Alberti Magni opus ethicorum

A
12-130

6 to 4 2
A
130

Nr. 1
14.V30

HOMILIA DE VERO
DEBAPTISMO
ABORTIVORVM

HOMO DVBIVS
SIVE
DE BAPTISMO
ABORTIVORVM.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

+11813891

R. 3945

BBa.

R.P. HIERONYMI

FLORENTINII

LVCENSIS,

CONGREGATIONIS MATRIS DEI,

CLERICI REGVLARIS

DE HOMINIBVS DVBIIS BAPTIZANDIS,

PIA PROTHESIS.

Olim sub Lugdunensi prælo anno 1658. edita; à nullo prius asserta, vnica tunc disputatione, nunc tribus superadditis consistens.

Quarum tertia argumento desumpto à noua constitutione ALEXANDRI Papæ VII. de Immaculata Deiparæ Conceptione S. INDICIS Congregatione mandante, ab ipso Authore correcta, & nonnullis insignium Academiarum censuris, necnon pluribus Doctissimorum virorum laudibus exornata.

Parochis, Medicis, omnibusque in praxi vtilis & necessaria

PROPONITVR.

Del Coll. de la Comp.ª de Jesus de Granada.

Compone el año 1655.

LVGDVNI

Ex Officina ANISSONIANA

M. DC. LXXIV.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

D. L. DE GRANADA



CHRISTINÆ ALEXANDRÆ

SVECORVM REGINÆ

Sapientissimæ, Religiosissimæ, Augustæ, & apud Apostolicam sedem glorioſissimæ.

Hieronymus Florentinius Congregationis Matris Dei Cler. Regul.

H. D. O.

CONSPIRANT adeo fœlici augurio, quæ me mouent, vt Regio Majestatis tuæ Patrocinio, hunc meum de Baptiſmo Abortiuorum Librum commendem, vt non ſolum me ſponte volentem, ſed propenſum, ſed avidũ ſed ambitioſum & præcupidum faciant. Etenim nemo melius *puſillum* hunc Abortiuorum *gregem*, cui complacuit *Diuino Patri dare Cœlorum Regnum* per

Batpiſma

Baptiſma ſub conditione collatum, ſuſcipere poteſt protegendum, quam piiſſima tua Majeſtas, quæ terrenis Sceptro, & Corona neglectis, maluit inter Catholicos, maximo totius Reipublicæ Chriſtianæ exẽplo recenſeri, quam in naturales ſubditos Regiam poteſtatem exercere, & in terris regnare.

Magnus ille Alexander, cum plurimos orbes, præter hunc quem ſibi, nec iam totum ſubjugauerat, inveniri audiuiſſet, doluit & lachrymatus eſt. Ego vero tuæ regiæ Majeſtati gratulor, dum novum animarum orbem in abortiuis, huc vſque deliteſcentem, ſed iam detectum, & facili cura gubernandum deffendendumque offero: quæ forte fuit cauſa, cur San. Mem. Alexander Papa VII. dum te ſacro Chriſmate confirmaret, Alexandræ nomen, & omen, Chriſtinæ nomini addiderit, ſanè præſcius, quod aliquando veteris illius Alexandri vota eſſes pro orbe Chriſtiano fœlicius conſequutura.

Accipe igitur, & ſereno vultu hoc opus intuere, quod Regiæ tuæ glorioſiſſimæ Maieſtati venerabundus exhibeo; &, quæ tua ſumma eſt humanitas, religio, & benignitas in invictam maieſtatis tuæ clientelam, velis eſſe collatum. Memini olim regium Prophetam, *Reginam* Catholicam deſcripſiſſe *aſſiſtentem à dextris* Chriſti Domini circumdatam varietate, ſiue ut alij cum D. Hieronymo legunt *in ſcutulatis*. Vtinam ergo fœlici auſpicio te glorioſiſſi-

mam

mam Reginam quæ non iam à ſiniſtris, ſed à dextris Eccleſiæ Catholicæ partibus in orbe nimirum Romano, apud Apoſtolicam ſedem glorioſiſſima aſſiſtis, ſcutulatis veſtimentis indutam, & incedentem nanciſcar: ſunt enim tua ſtudia ſublimia, doctiſſima, actus Regij, zelo fidei, charitatis, & Religionis inſignes veluti tot ſcuta, in quibus, vt cum Apoſtolo loquar, *ignea* communis *hoſtis tela* contra penè innumeras animas earumque ſalutem iactata, fore ſpero, vt extinguantur. Interim Deum Optimum Maximum enixè precor, vt in annos plurimos eoſque lætos, & ſaluberrimos majeſtatem tuam ſeruet *incolumem*, ad maius divinæ gloriæ incrementum, Chriſtianæ Reipublicæ profectum, nec non vniuerſi orbis gaudium, & exemplum. Vale, Lucæ 3. idus Septemb. 1673.



AVCTO

AVCTORIS DE ORDINE Superiorum declaratio.

HANC ego sententiam, de Baptismo Abortiuorum, tota hac Disputatione comprehensam, & præsertim Sectione vndecima expressam ab Eminentissimis Patribus Sacræ Indicis Congregationis iussus explicare, libens, volensque grauissimo prudemtissimoque doctissimorum Principum judicio, & imperio, pareo.

Et in primis assero, me nihil in præsenti materia definiendo dicere, sed vti rem probabilem, & per modum problematis proponere. Deinde adverto me neminem, quoad praxim attinet, sub mortali obligare, sed tantum rationes speculativas id suadentes exponere, ac in suspenso relinquere, sicuti, nec inducere novum aliquem ritum in Ecclesiam: cum id ad Sacram Rituum Congregationem, Summumque Pontificem spectet. Ita sentio, ita scripsi & ita me scribere, & sentire protestor, vt æquum est humilem, ac devotum S. Romanæ Ecclesiæ filium, qualem me esse, & fuisse hactenus, futurum in posterum, Sancte profiteor;

FRANCIS

FRANCISCVS GVINIGIVS
Congregationis Clericorum Regularium
Matris Dei Rector Generalis.

CVM opus cui titulus Pia Prothesis, *De Ministrando baptismo humanis fœtibus abortivis* P. HIERONIMI FLORENTINII, duo ex Patribus nostræ Congregationis quibus id commisimus, recognoverint ac in lucem edi posse probaverint; & cum de Ordine S. Indicis Congregationis, vsque de anno 1664. nobis à Reverendissimo P. Secretario, tunc temporis intimato, fuerit ab eodem Auctore declarata, seu correcta, vt in principio hujus operis dicitur; facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ijs ad quos spectat, placuerit, in quorum fidem præsentes propria manu subscripsimus & sigillo nostro munivimus. Romæ die 19. Augusti 1673.

FRANSCICVS GVINIGIVS Rector Generalis manu propria.

Loco † sigilli.

HVMANISSIMO LECTORI

suo Hieronymus Florentinius. S.

HABES *Amice Lector in hac quarta editione præter Primam, Secundam etiam, Tertiam, & Quartam Disputationem de Baptismo Abortivorum. Et ne, me nimis facilem credas, & avidum evulgandi quicquid in mentem venerit, hujusmodi additionis causam syncerè accipe. Nihil prorsus de hoc argumento amplius meditabar, nullam omnino appendicem primæ disputationis vel mente conceperam: quando ex improviso ad S. Indicis Congregationem Primam Disputationem Lugduni editam, delatam fuisse cognovi. Delata igitur triplici, ut moris est, examine à tribus Consultoribus, fuit de mandato Eminentissimorum PP. Propositio discussa; & licet ex relationibus factis, inventa fuisset probabilis, placuit nihilominus DD. meis, mihi per secretarium imponere, vt eam ad clariorem veritatis à me intentæ doctrinam, magis declararem: quod statim obediens feci, & assistente & approbante eodem secretario declarationem composui & vt vides illam in fronte libri proposui, & Lucæ typis Hiacinthi Pacij, in lucem edidi: ideo à prædicta S. Congregatione paulò post emanavit sub die decima Aprilis 1666. Decretum tenoris sequentis.*

Disputatio de Ministrando Baptismo humanis fœtibus Abortivorum à P. Hieronymo Florentinio &c. non permittitur nisi correcta juxta ultimam impressionem Lucæ ex Typographia Hyacinthi Pacij.

Postea vero cum aliqua argumenta contra meam Propositionem fuissent à nonnullis excogitata, & quædammetiam accepissem per litteras, ab amicis à me rogatis, vt ea mihi proponerent eo studio, quo magis veritas innotesceret; & præterea, cum ex Alexandri Papæ VII. Constitutione de Immaculata Deiparæ Conceptione argumentum desumptum, & pro confirmatione eiusdem propositionis, non contemnendum iam præcogitassem, alias tres

disputationes

disputationes primæ addidi & quidem secundam in qua principaliora in contrarium argumenta continentur à Superioribus Romanæ curiæ examinari, approbari & typis Romanis imprimi procurauí.

Accipe igitur studiosè Lector istud, qualecunque auctarium & vnico intuitu in subiecto indice censorum nomina lege: quod si illorum subscriptiones quibus meam Prothesim admittere, & probare voluerunt; imo si quorundam Opuscula perlegere non gravaberis, videbis ne dum illam libenter & obviis ulnis exceptam, sed hanc philosophicam veritatem, Quod nimirum humanus fœtus primis diebus viuat, Anima rationali, tanquam probabilem receptam & confirmatam; ita ut nihil illi deesse videatur, quominus inter propositiones tam intrinsece ut dicunt quam extrinsecè probabiles, debeat recenseri. Vale, & si quid in toto opere erroris occurrat benignus excusa: si quid vero, ad Animarum salutem iuvandam opportunum inveneris vtere; & redemptionis Animarum sanctissimum opus agredere, adiuua, perfice: quod si meliora repereris, vt spero, precor vt afferas. Quidquid enim meis inventis addideris, ne amplius Abortiuorum Animulæ periclitantes perdantur erit ipsis salutiferum, Deo gratum & mihi etiam iucundissimum. Vale.

INDEX CENSVRARVM.

Censura Vniversitatis Viennensis Theolog. I
Vniversitatis Viennensis Medicorum. II
Universitatis Pragensis Theologorum. III
Vniversitatis Pragensis Medicorum. IV
Universitatis Sorbonensis Theologorum. V
Universitatis Remensis Rectoris. VI
D.Episcopi Caramuelis Ep.1. VII
D.Episcopi Crespij censura per Epistolam. VIII
Eiusdem D. Episcopi Caramuelis Ep.2. IX
P. M. Michaelis de Alcantara. X
D. Stephani de Zvvixschlag Uicarij Generalis Episcopi Uiennensis. XI
P. Bernardi Geyer Thologi Soc. Jesu. XII
P. Michaëlis Heintz Theologi Soc Jesu. XIII
P. Maximiliani Reichemberger Theologi Soc. Jesu. XIV
P. M. Raymundi Pinsger Theologi Ord. Prædic. XV
P. M. Christophori Spies Theologi Ord. Prædic. XVI
P. M. Uincentij Geitter Theologi Ord. Prædic. XVII
P. M. Jacobi Philippi Polini Theologi Ord. Prædic. XVIII
P. Alberti de Albertis Theol. Soc. Jesu. XIX
P. Antonij Casilij Theologi Soc Jesu. XX
P. Michaëlis Bassani Theologi Soc Jesu. XXI
P. Nicolai Martinez Theologi Soc. Jesu. XXII
P. Joannis Tribault Theologi Soc. Iesu. XXIII
D. Jo. Baptistæ Solerij Medici Januensis. XXIV
Universitatis salmanticenses Theolog. P. Ioannis Barbiani Theologi Soc Jesu P. Richardi Lyncei Theolegi Soc. Jesu. XXV
P.M. Antonij de San. Pedro Theologi in Collegio Salmantino D. Bernardi. XXVI
P.M. Farnciſci de Roys Theologi in eodem Coll. XXVII
P.M. Petri de Oviedo Theol. in eodem Coll. XXVIII

P.M.Michaelis de FuentesTheol. in eod. Coll. XXIX
P.M.Ildephonsi Herbas Theol.in eodem Colleg. XXX
P.M.Mauri Semocoi Theol.Ord.S.Benedicti. XXXI
P.M Placidi de Puga Theol.eiusdem Ordin. XXXII
P. M.Antonij de Castillo.Ord.eiusdem XXXIII
P. M. Josephi Gomez Theol.eiusdem Ord. XXXIV
P.M.Philippi Uahamonde Theol eiusdem Ord. XXXV
Collegij Salmantini B.Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum.
P.M.Jo. Bapt.de candanedo. } Theologorum in dicto Collegio Salmantino. XXXVI
P. M. Didaci Uillavicinero
P. M. Joseph Gonzalez
P.M.Ferdinandi de Caravajal
P.M.Ildephonsi Gundisalvi
P. M. Josephi Bravo Theologi in Collegio Præmonstratensi Salmantino. XXXVII
D.Petri Carvoso Theologi Salmantini. XXXVIII
D.Ludovici Cittadella Prioris SS.Joannis,& Reparatæ Civitatis Lucen. XXXIX

CENSVRÆ,

Quas pro Baptismo Abortivorum favorabiles publicari voluerunt Vniversales Academiæ, & Primarij Doctores, tum Theologi, tum Medici, qui primam tantum Disputationem olim impressam perlegerunt.

Censura Illustrissimorum Patrum Præclarissimæ Facultatis Theologicæ in Vniversitate Viennensi.

I.

DISPVTATIONEM de ministrando sub conditione (prout sectione xj. explicatur) Baptismo humanis fœtibus Abortivorum, ab adm. Rev. P. Hieronymo Florentinio Congreg. MATRIS DEI Clerico Regulari conscriptam, ad Auctoris instantiam facultatis nostræ Theologicæ sub Uniuersitate Viennensi Censuram, & (si videretur) approbationem desiderantis, complurium, & gravium S. Theologiæ Doctorum & Professorum iudicio submisimus. Jj omnes præmisso accurato examine, pari suffragio, ac consensu censuerunt, nihil in eo opusculo, vel à S. Ecclesiæ mente, vel à sacrorum Canonum Decretis, vel à morum regula alienum esse: flagrantẽ insuper zelum doctissimi viri pro salute plurimorũ caullaudarunt præstanti eruditione conspicuum, & solidis Theologiæ subnixum momentis. Deinde in solemni Doctorum nostrorum Congregatione, visis Censuris singulorum, post maturam deliberationem decretum fuit, vt communi nomine Inclytæ facultatis nostræ libellus iste, mole sua exiguus, at magnus amplissima vtilitate, maximo animarum bono comprobaretur, quo citius ad felices conatus Authoris, publico Theologorum accedente Testimonio innumero pusillorum Populo, in regione umbræ mortis periclitanti radius

radius æternæ lucis affulgeret. Hoc est, quod ex officio, præsentibus exhibemus, & consueto facultatis sigillo, ac manu propria testatum vniuersis volumus. Viennæ Austriæ, ex Congregatione facultatis Theologicæ. Die 18. Febr. Anno salutis 1663.

Loco † Sigilli.

Laurentius Aidinger SS. Theol.
Doct. Can. Vien. &c. p. temp.
Facultatis Theologicæ Decanus

Censura Excellentiss. DD. Præclarissimæ facultatis Medicæ in Vniversitate Viennensi.

II.

EXibita est nobis Disputatio Rever. Domini Patris Heronymi Florentinij, Congregationis Matris Dei Clerici Regularis de Baptismo humanis fœtibus administrando legenda, & censenda. Huius opinio penitus nova, per quatuor nostri Collegij Doctores accuratè relicta, & multis argumentis in vtramque partem discussa, tandem scrupulis, & obiectionibus omnibus remotis, vnanimi omnium nostrum consensu, etiam ex Divino charitatis præcepto meruit applausum, & approbationem; vtpote quæ ad maiorem Dei gloriam, & præmaturè nascentium pusillorum salutem æternam, non minus pio quam laudabili zelo Parochos, Parentes, & Obstetrices excitat ad zelum salutis, ut nihil possit addere doctrina peritorum; sed secuturis mansura temporibus de faciendis erudiet posteritatem. Nam etsi nullum detur tempus determinatum, in quo de inexistentia animæ rationalis non possit dubitari: attamen cum Doctissimo Thoma Fieno, Pemplio, & aliis Catholicis Medicis, apud Farinacium citatis, probabili assertione statuimus, facta spermaticæ materiæ fermentatione, seu genituræ transmutatione, post paucas horas, vel paucos dies Embryoni animam rationalem infundi. Unde Morales Theologi concludere possunt, Fœtus ex uteri materni latebris immatu-

rè

rè prodeuntes dubia, aut saltem probabili vita præditos ex charitate posse sub conditione per Baptismum Christi meritis participes fieri, & Lymbo ereptos Cœlo adscribi: indubitata vero vitæ signa edentes ex iustitia absolutè esse baptizandos, vt multiplicatis intercessorum suffragiis, omnium saluatorem, pro nobis deprecentur. Ita Collegij Medici in generali studio Viennensi Collegiati quadraginta Doctores censemus. In quorum fidem præsentes Domini Decani nostri subscriptione, Collegiiq. sigillo voluimus communire. Dat. Viennæ Austriæ, pridie Nativitatis Dominicæ, Anno ejusdem supra mille sexcentos, sexagesimo secundo.

Joan. Gulielmus Mannagetta p.t.
Collegij Medic. Decanus, &c.

Loco † Sigilli.

Censura Illustriß. Patrum Antiquiß. facultatis Theologicæ Vniversitatis Carolo-Ferdinadeæ Pragensis.

III.

LIbrum hunc ab admodum Rev. P. Hieronymo Florentinio Clerico Regulari Congregationis MATRIS DEI typis editum cum approbatione Illustriss. ac Reverendiss. D. Joannis Caramuelis Episcopi Campanensis, & Reverendiss. Patris Fr. Michaelis de Alcantara Ordinis Beatiss. Virginis de Mercede Redemptionis captivorum Generalis dignissimi, diligenter perlegimus; & licet post tantorum Virorum approbationes, omnis alia iure meritò censeri deberet otiosa; nihilominus, vt Auctoris voluntati obsecundemus, dicimus in primis, nihil in eo omninò contineri, quod vel leuiter Catholicæ doctrinæ videatur opponi. Secundo Opiniones omnes circa fœtus animationem, & diligenter conquisitas, & eruditè propositas, & ingeniosè examinatas, & prudenter ad intentum operis inductas.

Qua

Qua propter librum hunc qui lucem semel aspexit, dignissimum esse, qui eandem sæpius aspiciat. In conclusione autem sect. 11. ex opinionibus illis variis illata, aliquam putamus subesse difficultatem; cum enim, & dubia sit prolis intra triduum aut etiam citius, animæ rationalis informatio, itaut excepta quorundam Auctoritate, nullum aliud à ratione positivum fundamentum ei patrocinari videatur, quàm quod ejus falsitas è contrario efficaciter nequeat ostendi, & ex impedimento secundinarum, quibus obvolutus fœtus eiicitur, grave secundum oriatur dubium de Baptismi capacitate: & (quod maximè apud nos urget) tertium, ex perseverantia animæ, in tam exigua, & tenera materia qualis ponitur, in parvitate unius hordeacei grani, quæ non nisi, veluti leviſſima scintilla ignis, quæ sola relicta quasi instantaneè extinguitur, debeat judicari. Etenim vel ex uteri alteratione ob quam foras eiicitur, vel ex injuriis agentium externorum, quibus expositus talis fœtus, non potest facilè credi resistendo sufficiens, non putamus tunc, de animæ rationalis in eo perseverantia, ullam esse posse probabilitatem, sed tot, & tam gravia ex variis capitibus de capacitate Baptismi dubia, certam in contrarium ostendere incapacitatem, ut propterea gravis à nobis judicetur imposita sub mortali hujusmodi tam exiguum fœtum baptizandi, etiam sub conditione, necessitas. Quæ tamen admitti probabiliter poterit, si fœtus in majori aliqua quantitate, puta ovi columbini, eiiciatur, cum in eo tertium, & ferè maximum periculum de extinctione subitanea probabiliter cessare videatur. Hoc est Facultatis nostræ Judicium, quod libentissimè aliorum Censuræ submittimus.

Hujus difficultatis solutionē vide infra

Datum Pragæ 3. Martij. Anno Domini 1663.

Loco ✠ Sigilli

Rodericus de Arriaga Soc. IESV Sacerdos S. Theol. Doct. ejudem Pragensis Vniversitatis Decanus, nec non Præfectus Generalis studiorum in Collegio Clementino ejusdem Societatis.

* * *

Cen

rè prodeuntes dubia, aut saltem probabili vita præditos ex charitate posse sub conditione per Baptismum Christi meritis participes fieri, & Lymbo ereptos Cœlo adscribi: indubitata vero vitæ signa edentes ex iustitia absolutè esse baptizandos, vt multiplicatis intercessorum suffragiis, omnium saluatorem, pro nobis deprecentur. Jta Collegij Medici in generali studio Viennensi Collegiati quadraginta Doctores censemus. Jn quorum fidem præsentes Domini Decani nostri subscriptione, Collegiiq. sigillo voluimus communire. Dat. Viennæ Austriæ, pridie Nativitatis Dominicæ, Anno ejusdem supra mille sexcentos, sexagesimo secundo.

Joan. Gulielmus Mannagetta p.t.
Collegij Medic. Decanus, &c.

Loco † Sigilli.

Censura Illustriß. Patrum Antiquiß. facultatis Theologicæ Vniversitatis Carolo-Ferdinadeæ Pragensis.

III.

LIbrum hunc ab admodum Rev. P. Hieronymo Florentinio Clerico Regulari Congregationis MATRIS DEI typis editum cum approbatione Illustriss. ac Reverendiss. D. Joannis Caramuelis Episcopi Campanensis, & Reverendiss. Patris Fr. Michaelis de Alcantara Ordinis Beatiss. Virginis de Mercede Redemptionis captivorum Generalis dignissimi, diligenter perlegimus; & licet post tantorum Virorum approbationes, omnis alia iure meritò censeri deberet otiosa; nihilominus, vt Auctoris voluntati obsecundemus, dicimus in primis, nihil in eo omninò contineri, quod vel leuiter Catholicæ doctrinæ videatur opponi. Secundo Opiniones omnes circa fœtus animationem, & diligenter conquisitas, & eruditè propositas, & ingeniosè examinatas, & prudenter ad intentum operis inductas.

Qua

Qua propter librum hunc qui lucem semel aspexit, dignissimum esse, qui eandem sæpius aspiciat. In conclusione autem sect. 11. ex opinionibus illis variis illata, aliquam putamus subesse difficultatem; cum enim, & dubia sit prolis intra triduum aut etiam citius, animæ rationalis informatio, itaut excepta quorundam Auctoritate, nullum aliud à ratione positivum fundamentum ei patrocinari videatur, quàm quod ejus falsitas è contrario efficaciter nequeat ostendi, & ex impedimento secundinarum, quibus obvolutus fœtus eiicitur, grave secundum oriatur dubium de Baptismi capacitate: & (quod maximè apud nos urget) tertium, ex perseverantia animæ, in tam exigua, & tenera materia qualis ponitur, in parvitate unius hordeacei grani, quæ non nisi, veluti leviſſima scintilla ignis, quæ sola relicta quasi instantaneè extinguitur, debeat judicari. Etenim vel ex uteri alteratione ob quam foras eiicitur, vel ex injuriis agentium externorum, quibus expositus talis fœtus, non potest facilè credi resistendo sufficiens, non putamus tunc, de animæ rationalis in eo perseverantia, ullam esse posse probabilitatem, sed tot, & tam gravia ex variis capitibus de capacitate Baptismi dubia, certam in contrarium ostendere incapacitatem, ut propterea gravis à nobis judicetur imposita sub mortali hujusmodi tam exiguum fœtum baptizandi, etiam sub conditione, necessitas. Quæ tamen admitti probabiliter poterit, si fœtus in majori aliqua quantitate, puta ovi columbini, eiiciatur, cum in eo tertium, & ferè maximum periculum de extinctione subitanea probabiliter cessare videatur. Hoc est Facultatis nostræ Judicium, quod libentissimè aliorum Censuræ submittimus.

Hujus difficultatis solutionē vide infra

Datum Pragæ 3. Martij. Anno Domini 1663.

Loco ✠ Sigilli

Rodericus de Arriaga Soc. IESV Sacerdos S. Theol. Doct. ejudem Pragensis Vniversitatis Decanus, nec non Præfectus Generalis studiorum in Collegio Clementino ejusdem Societatis.

* * * Cen

Censura Excellentiß. DD. Antiquiß. Facultatis Medicæ Vniversitatis Carolo-Ferdinandeæ Pragensis.

IV.

LIbellum R.P.Hieronymi Florentinij Congregat. MATRIS DEI Clerici Regularis de Ministrando Baptismo humanis fœtibus abortivorum Facultas Medicea Pragensis accuratè revisum, non solùm ex eo, quod salutem animarum in fœtibus abortivis delitescentium sollicitè,& magno zelo procurare satagat,eosdemque Baptizari posse,aut etiam deberi solidè demonstret;sed etiam ob multam eruditionem,quam continet Studiosis Medicinæ perutilem,majori Luce,quo à pluribus legatur,dignum judicat.Pragæ 1.Februar.Anno 1663.

Jo.Marcus Marci à Croland, &c.
Medicinæ Professor prim. & p.t. Decanus

CENSVRA ILLVSTRISSIMORVM PP. Theologorum Celeberrimæ Vniversitatis Parisiensis Sorbonensis à tribus fidelissimis Testibus,& Assertoribus per Epistolam subscripta.

Adm. R. ac Eruditiß.P.Hieronymo Florentinio Congregat. MATRIS DEI Religioso.
Stephanus le Bulenger,Ioannes Hamel',Ioannes Du Moulin, Theologi Parisienses.

V.

LIbrum, cui titulus est, *Disputatio de Ministrando Baptismo Humanis fœtibus Abortivorum*, non sine magna voluptate legimus, Vir religiosissime, nec non in eam, quam in decima præsertim, & undecima sectionibus proponis, explicasque, Thesim, *Fœtus humanos quocumque tempore venerint in lucem à die conceptionis sub conditione saltem baptizandos esse*, diligenter inquisivimus,illam in publicis exercitationibus Sorbonicis, & quidem

quidem comprobantibus Dignissimo Sacræ Facultatis Syndico ac tanquam veram propugnari curavimus. Illam expensis accuratè, quibus nititur, scripturæ, Patrum, rationisq. momentis, indubitatam plurimarum Animarum promovendæ saluti, & prohibendis (quæ in procurando Abortu perpetrant perditissimæ illæ mulieres, falsa quadam servandi honoris specie, & damnata à S. Basilio formati, & informis fætus subtilitate delusæ) homicidiis perutilem, quin etiam Sacramento Baptismatis, cujus finis hominum Sanctitas, & salus, commodam esse censuimus. Datum Parisiis anno Domini millesimo, sexcentisimo, sexagesimo tertio, die vero septima Mensis Decembris.

Stephanus Le Boulenger.
Joannes Du Moulin.
Joannes Hamel.

Censura Illustriss. DD. T. Mercier. D. Theologi, & Antiqui Rectoris Inclytæ Vniversitatis Remensis.

VI.

QUamvis nihil obscurius materia, quam hic Liber Disputationis de Ministrando Baptismo humanis fætibus Abortivorum à R.P. Hieronymo Florentinio Congregat. MATRIS DEI Clerico Regulari compositus tractat, attamen ita clarè, & nitidè dubium illud Author exposuit, quodque authoritatibus tam scripturæ, quàm Sanctorum Patrum, & Physicorum ratiociniis stabilivit; ut veritatis potius nomen sibi vendicaverit, quàm dubij; scilicet ministrandum esse humanis fætibus abortivorum Baptisma sub conditione. Quamobrem ut in lucem prodeat censui, & judicavi, cum nihil contineat contrarium Fidei Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ; immò ipsum multum devol-

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

luentibus fructum allaturum; quippe qui pugnat adversus eos nuperrimè docentes, sed statim damnatos, posse gravidam, innuptam sibi (ut salvetur honor) tuta conscientia abortum procurare; pessimè addentes fætum humanum non animari Anima rationali, nisi post (elapso tempore maturo) ex utero ejectionem, ideoque secundum eorum sententiam non baptizandum, nec homicidam matrem sævientem in prolem, puniendam à Prætore, quod est impium. Datum Parisiis die 29. Mensis Martij Anni reparationis humanæ Naturæ millesimi, sexcentesimi, sexagesimi quarti.

T. MERCIER DOCTOR THEOLOGVS

Illustrissimi, & Reverendissimi D.D. Joannis Caramuel, Campanienſium, & Satrianensium Episcopi, Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarij, &c.

Ad Adm. Reverendum, & Eruditissimum D. Patrem Hieronymum Florentinium Auctorem hujus Libri.

Epistola Pro Censvra

VII.

INgeniosam illam disputationem tuam *de Baptismate humanis fœtibus abortivis ministrando* quam magna rationum, necnon Patrum Doctorumque juniorum authoritatum efficacia firmasti, libentissimè legi, & ex cimmeriis tenebris tantam te lucem, & claritatem eruere potuisse demiror. Multa in isto erudito Syntagmate, quæ hodie rara, cras, aut perendie erunt communia, suo enim pondere stat veritas, suo splendore se prodit; & semel visa, esse non poterit viris doctis invisa. Sane Pygmæus, & Gigas nomina sunt in Categoria quantitatis oppositæ, at ipsa in hoc libro coincidunt; si enim considerem molem est parvus; si fructum, magnus; nam omnes in eo litteræ in majorem Dei gloriam, & proximorum miseria extrema laborantium salutem

æternam

æternam collimant. Hanc oro ob rem Florentini doctissime, ut tandem aliquando festines, & in lucem emittas ista folia, quæ plena pretiosi seminis fructum uberrimum sunt redditura. Hæc est sententia mea: hoc est meum de hoc libello judicium. Et quidem tametsi viris doctis ita pauca dixisse, aut verius insinuasse, sufficeret, quia tamen istud opus ad doctos, & indoctos perveniet, utriusque me debitorem fateor, & rationem, qua subsistit meum judicium subjungo.

Magni hominis (& Μακροπρόσωπου nomine mundum intelligo) conditio, & syntaxis est mira. In eo sol oriturus, prius ad crepusculinam lineam, quam ad Horizontalem accedit, & ipse occidens, ultra Horizontem præterlapsus, magno ruit adhuc tempore, antequam iterum superet crepusculinam. Si Horizontalem pingi jubeas in pagina, una, & eadem erit omnium Geographorum, & Astronomorum opinio: si autem crepusculinam, quot capita, tot sententias invenies. Uoluerunt plurimi inter lineam Horizontalem, crepusculinamque graduum 15^m. intercesse divortium; & hanc sententiam me docuerunt Compluti, dum ibi Philosophiæ vacarem. Submittit illam Tycho Brahæus ad gradum 16.½: & audentiores alij, quorum *in Commentariis suis super Sphæram Ioannis de Sacro Bosco*, Clavius meminit, ponunt 17.½ Ptolemæus 18. statuerat. Christophorus Rothmanus *in Epistola quadam ad Tychonem* 24. & quod mireris alij etiam 30. Vnde meritò P. Navius, cum tam dissentientes illustrium hominum opinationes subaudit, exclamat, non posse dari certam aliquam crepuscula metiendi regulam, cui consonat Joannes Alstedius *Encyclopediæ tom. 2. libro 17. parte tertia capite. 3. paragrapho quarto pag. 452. & libro 19. parte. 1. capite. 3. §. 9. pag. 596.*

Hac notitia præventus ad parvum mundum (& *Microcosmi* nomine, hominem intelligere debeo) converto oculos, & Divini Platonis sententiam, quæ inter utrumque hominem, inter utrumque mundum (parvum, magnum) summam analongiam, & concordiam instituit, esse veram invenio. Uita est Sol Microcosmi? quia, sicut in mundo Æthereo, Sol est omnium cælestium motuum ratio: etiam illa ortui, & occasui est

obnoxia : nempe visibili, & crepusculino. Oritur Homo oculorum judicio, cum nascitur; occidit eorumdem oculorum sententia, cum desertus à sensibus nullum vitalem actum elicit, qui possit humanitus percipi. Iste est visibilis diei Humani Finitor, hic Horizon : & quidem diem meritò voco totam durationem humanam ut consonem illi, qui dixit. *Tota vita dies unus.*

An ne tunc primum homo vivere incipit, cum vivere à nobis videtur? an tunc ultimo vivere desinit, cum videtur vitam cum morte commutasse ? Non puto. Ante ortum Humanus Sol auroram (hoc est lucem, & claritatem dubiam) habet: post occasum crepusculum : nam in homine prius desinit operari quam esse. Hinc ortæ leges in Republica, tam Ecclesiastica, quam sæculari, ne corpora efferantur statim : aliqui enim sunt egressi ex sarcophago, & aliqui sepulti adhuc vivi. Possem multos nominatim producere, sed quia frequens, & scita res est, sufficit Philomarum Poëtam ingeniosum audiri: numero enim LXIV. de quopiam, qui discipulorum errore mortuus creditus, vivus terram subiit, sic cecinit.

Mente procul stantem sua vecors turba magistrum
Viventem sepelit, quem periisse putat.
Errantum pœnas Doctor luit: & rude vulgus
Iam male, sic moriens, edocuisse dolet.

Ergo sicut sunt leges, quæ jubent ne desiviſse putemus hominem, quem sensu destitutum videmus, quousque succurrat tempus ratio-ve, quæ illum esse mortuum evidenter ostendat ; esse deberent etiam, ne nondum incepisse infantem vivere existimemus, tametsi sensuum in illo nulla inveniamus tyrocinia quousque vel nunquam eum habuisse vitam, vel jam perdidisse ratio certa, & indubitata persuadeat.

Sed quò ponemus crepusculinæ vitæ terminos ? quis definire audebit, quanto ante ortum tempore, quanto post occasum vita infra sensibilis Horizontis terminos deliteſcat?

Mulæ

Multæ profecto sunt sententiæ de Solis materialis crepuscu. lo: at multo plures de vitæ Humanæ initio fineque. Agens de vitæ Humanæ aurora in Theologiæ fundamentalis meæ *num.* 1622. extremas sententias connexui: has etiam, & intermedias omnes. Tu à sect. 2. ad 10. prudentissimè statuis *punctum, aut instans illud temporis, quo rationalis anima à Deo creatur, & corpori Embryonis infunditur, incertum, & valde dubium esse*: quod ipsum sacræ Scripturæ auctoritate *parte prima*, Patrum testimoniis *secunda*, & rationibus *tertia*, confirmas.

Hinc converto ad occasum oculos, & alterum contemplor crepusculum. Ejusdem libri mei fundamento LXVI. *num.* 1881. hanc conclusionem statuo, *Non est evidens tunc mori hominem cum ultimo sensu privatur*: vel verbis tuis assertionem accommodans *punctum, aut instans illud temporis, quo rationalis anima separatur à corpore, incertum, & valde dubium est.*

Hinc oriuntur duæ connexæ quæstiones, altera de Baptismo, altera de Pœnitentia, utrum videlicet omnis fœtus abortivus possit, aut debeat baptizari? utrum omnis homo, qui ita sensibus est destitutus, ut videatur jam mortuus, si aliunde non obstet, absolvi possit? (Consulto dixi *si aliunde non obstet*; nolo enim quæstionem, quæ inquirit, an qui nec est confessus, nec vllo signo sensibili confessarium vocavit, absolvi possit? hæc enim novam addit difficultatem & à me uberius edisseritur *à n.* 1848. *ad num.* 1878.) utramque breviter dilucidabo, & ut priorem expediam eruditiùs, & clariùs, posteriorem prætermittam, quam *ibid. n.* 1878. ad sequentes conclusiones reduco,

Prima. *Anima separata à corpore non potest à peccatis absolvi.* Secunda. *Impossibilis est casus, in quo dubitetur vtrum homo adultus sit vivus, vel mortuus.* Tertia: *Si esset possibile ejusmodi dubium, & de facto daretur, deberet homo habens dubiam vitam absolvi.* Quarta. *Si fuisset homo mortuus, & miraculo dubio ad vitam dubiam revocatus, deberet censeri non vivus.* Quinta. *Casus est possibilis, in quo aliquis probabiliter*

dicatur

dicatur mortuus. Sexta. *Homo probabiliter vivus (si aliunde non obsit dispositionis defectus) absolvi potest, imo & debet.* Septima. *Homo minus probabiliter vivus, absolvi potest, debetque.* Sed à quo ? *Ex justitia à suo Parocho: ex charitate vero à quocumque simplici Sacerdote*, & hinc novum dubium suboritur, scilicet. An quando Hominem posse, aut debere absolvi dicimus, de absoluta, an vero de conditionata absolutione differamus ? Respondeo. *Hominem certo vivum, quantum ex hoc capite absolvi debere absolutè : probabiliter vivum absolutè, vel conditionate : at vero dubio vivum tantummodo conditionatè* Hæc de vitæ humanæ crepusculo, quod sensibilem occasum sequitur : transeo ad aliud crepusculum, & vitæ humanæ auroram, & initium contemplor, & has conclusiones subjungo.

Prima : *Non creantur animæ rationales, antequam corporibus humanis infundantur.* Quid si prius crearentur, & postea demum infunderentur ? Illæ antequam unirentur corporibus non possent baptizari : cum quia pure spirituales sunt, & aqua lavari ideo non possunt : tum quia Sacramentum Baptismi pro Hominibus est institutum, & animæ nondum vnitæ corporibus non essent homines. Secunda : *Possibilis est casus in quo dubitetur, an fœtus animatus sit ?* Tertia : *Fœtus habens dubiam vitam potest, & debet baptizari.* Quarta *si esset à natura certum tempus ad fœtuum animationem constitutum, Embryo, qui miraculo dubio ad vitam dubiam perveniret, prudenter censeretur nondum vivus* : & cur ? quia esset pro lege à natura constituta possessio. Quinta. *Casus est possibilis, in quo fœtus probabiliter dicatur vivus.* Sexta : *Sanè fœtus probabiliter vivus baptizari potest, debetque.* Septima : *Imo etiam minus probabiliter vivus etiam potest, & debet.* Sed à quo ? *Ex justitia ab ordinario Parocho : & ex charitate à quocumque.* Et quo modo quæso baptizabitur, absolutè, an solummodo conditionate ? *Fœtus si certò vivat, absolutè, si vita probabili animetur, absolutè, aut conditionatè; si vero dubia tantùm conditionate.*

Si scire velit aliquis, vnde hæc potestas, aut etiam obligatio exoriatur ?

exoriatur? Ad officium, si de Parocho; ad charitatis legem si de cæteris agamus, recurro: tenetur enim homo sub peccato mortali juvare proximum constitutum in æternæ damnationis periculo. At fœtus animatus, qui meo errore judicatur aut nondum animatus, aut mortuus; & æger vivus, qui meo errore jam obiisse putatur, sunt in æternæ damnationis periculo, salui erunt, si congrua Sacramenta recipiant, aut aliàs in æternum peribunt. Ergo crudelis sũ, & sanguinis Divini reus, si nolim abluere alterum & alterum à peccatis absolvere. Quamobrem, Si in dubio Sacramenta administro conditionatè, infero nulli injuriam, etiam in casu, quo careãt anima illa corpora de quorum vita dubitatur. Cæterum si illa anima prædita sunt, & tamen Sacramenta negentur, ob opinationem meam in æternum damnantur. Ergo ne hanc illis irrevocabilem injuriam inferam, tutiorem viam ingredior, faveo periclitantibus, & eis quo possum modo Sacramenta administro.

Hanc tu resolutionem, quoad abortivos fœtus statuis, & eruditè exponis *sect.* 10. postea *sect.* 12. 13. & 14. objectiones nonnullas proponens, & fortissime diluens.

Uale igitur Pater eruditissime, bellum infer Lymbo (aut etiam forte Inferno, de statu enim infantum, qui caruerunt, aquæ Sacramentalis beneficio, nihil hucusque definivit Ecclesia) & quia eum non potes expoliare animabus, quas eo invexere ignorantiæ scrupulosæ, præjudicia, ob quæ multis infantibus, qui erant rẽ vera vivi, cum tamen viderentur mortui, fuit Baptisma negatum, grandi ore potius concionare, quam disputa; ne Obstetrices, & qui Embryonibus aborientibus adsunt, pergant desipere, hoc est, ne Christi meritis efficaciam invideant, infantibus dubia, aut probabili præditis vita, viam ad gratiam, & gloriam occupantes. Uale iterum, ut doctissimis libris exornes Theologiam. nostro ævo sublimium ingeniorum concursu ad magnam perfectionem promotam. Romæ pridie Kalendas Octobris M.DC.LVII.

**** Censura

Censura per Epistolam Excellentiß. D. D. Ludovici Crespÿ Episcopi Placentini, & ad SS. D. N. ALEX. PP. VII. Oratoris pro Ecclesiis Hispaniarum, & Catholico Rege Philippo IV.

VIII.

Molto Rever. Presbitere Osservandiss.

IL Presbitere Hippolito Marracci farà testimonio à V.P. della mia impossibilità di rispondere alla sua gratissima Lettera; poiche parecchi giorni mi hà veduto travagliato dalli dolori di fianco, e di podagra. Adesso trovandomi sollevato di essi rispondo ringratiandola in primo luogo del favore che mi fà, parendoli che sia di qualche stima il mio giuditio del suo Libro; E volendo che jo ne cavi da N.Sig. il suo giuditio in quanto alla pratica. Quanto à me jo non dubiterei certo, de che si potesse ministrare il Battesimo *sub conditione*, e la prima volta, che tenga Audienza del Papa, farò l'vfficio opportuno per cavare il più sicuro parere. E per fine le bacio le mani. Di Roma li 18. Giugno del. 1661.

Di V.P.

Sēr. Affettionatiss.

Lodovico Vesc. di Placenza.

Censura iterum scripta per secundam Epistolam ad Authorem ab Illustriss. DD. Ioanne Caramuel, Episcopo Campan. &c.

IX.

Adm. Rev. P. Hieronymo Florentinio Congregationis MATRIS DEI Clerico Regulari. D. & Amico meo Observantiss.

ERit valdè difficile, ut opinor, universitatum Salmanticensis Lovanienſis, Parisiensis, &c. extorquere Censuras: nam Politica ratione ducuntur, cui omnes Scholasticæ cedunt. Salmanticensis ante viginti annos à me in Causa Cornelij Jansenij consulta, respondit, non esse moris, ut per modum corporis responderet, nisi à Sum. Pontifice, aut à Rege rogata; sed tamen jussit; ut singuli dicerent privatim, quid sentirent: quod ipsum plerique fecerunt. Lovanienſis in Belgio, Salmanticensis Vniversitatis Soror est: undè non miror, si lege simili suam authoritatem manuteneat. Sorbona Vniversitatum Galliæ Princeps, crebro consulta à Regibus, tacebit consulta à privatis. Ergo proderit has Vniversitates tanquam scientiarum Numina venerari, sufficiet enim Nobis, si per Doctores suos respondere dignentur.

Jam scis, mi Florentini, causam, ob quam tacent celeberrimæ Vniversitates: Non igitur Salmanticensis, ob illas, quas tibi rescribunt. Videlicet (1) hoc, quod tuus libellus suadet, esse novum in Ecclesia Catholica: (2) esse contra D. Thomam: (3) non esse probabile embryonem, qui primis à conceptione diebus vix granum hordeaceum excedit, informari anima rationali. Ergo proderit, si de singulis his objectionibus breviter discurramus. Agens igitur.

De *prima* dico, te optimè probaviſſe, Ecclesiam, si lege sanciret omnes fœtus abortivos esse sub conditione baptizandos, non esse dicendum novum præceptum ferre, sed antiquum ex-

tendere, aut verius explicare. Hujusque oppositum illa non jussit, præceptum enim Divinum à Baptismo reposuit, jussitque infantes anima rationali præditos ablui; quinam autem essent illa anima rationali præditi, judicio prudentum reliquit. Vndè quia hodie major lux judicio prudentum affulsit, ex natura rei illud præceptum extenditur, & non esset novitatis, aut inconstantiæ arguenda Ecclesia, si hanc ipsam veteris præcepti extensionem, quæ re vera jam datur ad omnium instructionem, dari de facto declararetur.

Et quid, si per impossibile antiqui Pontifices sibi à sui temporis Philosophis, & Medicis suaderi permisissent, fœtus ante diem 40. vel 80. rationali anima non informari, & huic stando persuasioni illos ante prædictum 40. vel 80 diem baptizari inhibuissent? an non hodie veritate detecta non deberet ALEXANDER VII. Sanctissimus Dominus Noster jubere absolutè contrarium? Non est cur à me responsionem expectes, jam enim olim *Epist.* 180. respondit Mellifluus Bernardus. *Hoc solet habere præcipuum Apostolica Sedes*, inquit ille, *ut non pigeat revocare, quod à se fortè deprehenderit fraude elicitum* Ergo in casu nostro Ueteres Pontifices prudenter iussissent ante diem 40. vel 80. abortivos, fœtus non esse baptizandos, quia Philosophorum, & Medicorum sententiæ, tunc temporis indubitatæ, assentiri debuissent: & tamen hodie Sanctissimum Dominum Nostrum, ubi deprehenderit, jussionem illam Philosophorum fraude, aut errore fuisse elicitam, non pigeret eandem revocare.

Confirmat hanc doctrinam Eugenij IV. Constitutio, quæ incipit. *Regularem vitam.* in qua nos juvat hæc periodus. *Cum plerumque contingat importunitate potentium, & negotiorum multitudine suppressione veritatis Sum. Pontifices fatigatos, aut circumventos, ea concedere, quibus aliàs nullatenus annuerent, &c.* Ergo si Eugenius prudentissimè revocavit gratias, quas suppressione veritatis Sum. Pontifices Prædecessores sui circumventi concesserant: etiam revocasset præcepta, si qua illa suppressione veritatis circumventi imposuissent.

Confirmat

Confirmat hanc doctrinam adhuc clarius Julij II. Constitutio, quæ incipit, *Religionem vestram*, & expeditur 30. Januarij 1508. Nam cum quidam Sylvius ab eodem Julio postulasset, & impetrasset, aliquas Ecclesias, & domos, quæ erant Patrum Augustinianorum, veritate detecta, integerrimus Pontifex gratiam prudentissimè, & justissimè revocavit, Sylvio perpetuum silentium imposuit, declaravitque *suæ intentionis, & primi propositi semper fuisse, conservare singulis sua Iura, nec unquam voluisse privare Ordinem S. Augustini illis Ecclesiis, si illius erant; sed accensere Ordini, ad quem pertinerent revera: adeoque impetrationes illarum, qualitercumque factas (etiamsi motu proprio) non tenere, ut pote præter mentem, & voluntatem suam expeditas.* Julius igitur Pontifex, si à Philosophis deceptus, & circumventus Baptismo fœtus abortivos privasset, ubi errorem percepisset, perceptum revocasset, & declarasset. *Suæ intentionis, & primi propositi, semper fuisse conservare singulis sua Iura; nec unquam Baptismate voluisse privare abortivos, si viverent: adeoque jussiones illas, siquæ infantes vivos baptizari inhiberent, qualitercumque factas (etiamsi motu proprio) non tenere, ut pote præter mentem, & voluntatem suam expeditas.*

Ecce non dantur Ecclesiasticæ leges de non baptizandis abortivis; interim, si darentur, fuissent justissimæ, quandiù ut certum à Philosophis, & Medicis supponeretur, illos anima rationali carere: cæterum veritate detecta prudentissimè, & sanctissimè revocarentur, & contraria lege sublata, Jure suo frui abortivi fœtus permitterentur. Nec juvat dicere; non esse certum illos Anima rationali informari; Nam infans, qui probabiliter est vivus, baptizari debet sub mortali: & opinionem Fieni quis audebit improbabilem dicere, si præter Viennensis, & Pragensis Vniversitatum Censuras, etiam Avenionensis, quæ Pontificia est, approbatione, & judicio honoratur. Vide Danielis Sennerti Epitomen à Claudio Bonetio exaratam.

A secunda Objectione facili negotio me expedio. Primo enim ajo, posse sententiam tuam in Schola D. Thomæ defendi; illo videlicet modo, quem proponis; Nam illa Animarũ successio, si

datur

datur, breviſſimo tempore completur : vel etiam alio modo dicendo, has tres Animas, quæ ſuccedere ſibi dicuntur, non diſtingui intrinſecè, & entitativè, ſed extrinſecè, & quo ad effectus ; Infunditur enim ſpiritualis Anima, quæ ſub initium, qua vegetativa, & poſtea organa convenientia nacta, quà ſenſitiva, & tandem qua rationalis operatur. Hanc viam inivit P. Poncius Minorita: hanc alij, ut D. Thomam cum Scoto concilient *Aio ſecundo*, non eſſe neceſſarium, ut Conſtitutiones Pontificiæ ad doctrinam D. Thomæ elimentur. Hoc clariſſimè oſtendo: quoniam, ſi agamus de Immaculatæ Uirginis conceptione, opinionem minus piam habuiſſe D. Thomam certum, & indubitatum eſſe affirmant Patres Dominicani : & tamen multi Summ. Pontifices ediderunt Bullas, quæ faverent opinioni contrariæ. Non poſſe Sedem Apoſtolicam in voto diſpenſare ſolemni, eſt Angelici Doctoris, & omnium Thomiſtarum ſententia : & tamen pluries Summi Pontifices in illo diſpenſarunt. Solius eſſe Epiſcopi Ordines majores conferre tenent cum D. Thoma communiter PP. Dominicani: Et tamen Abbas Ciſtercienſis, & quatuor Coabbates Hypodiaconatum, & etiam Diaconatum conferunt, ex particulari privilegio Quid plura ? Nota res eſt, nec debet vlterius probari. Sanè æmulis, vel invitis omnia Angelici Doctoris aſſerta, vel certa, vel probabilia ſunt. Hoc non tollit multa poſſe præter, aut etiam contra probabiliter aſſeri. Et vt in particulari loquamur, iſtam conſequentiam. *Hoc eſt contra Sanctum Thomam : Ergo eſt impoſſibile.* Nemo doctus admittet : multa enim Scotiſtica Schola pronunciat, quæ opponuntur Thomiſtarum doctrinæ, & tamen probabilia ſunt. Accedit, te prudenter Propoſitionem ſimplicem à Modali diſtinguere, & ſi enim ultro demus Propoſitionem hanc, *Embryo tertia ad ſummum die informatur anima rationali*, opponi doctrinæ Divi Thomæ, negabimus eidem doctrinæ opponi hanc, *Probabile eſt Embryonem tertia ad ſummum die anima rationali informari.* Nullibi enim Sanctus Thomas dixit ſententiam hanc, quam poſt Fienum paſſim amplectuntur Doctores, eſſe probabilem.

Ad

Ad Tertiam objectionem dico, responsionem illam tuam esse solidam: Nam si dicamus Animam esse organici corporis conformatricem, nullo modo intelligi poterit Embryonem figuram humanam affectare, & anima humana carere.

His igitur iterum consideratis ad controversiam principalem vnico Syllogismo respondeo.

Infans, qui probabiliter vivit (qui probabiliter Anima rationali informatur) debet saltem sub conditione baptizari. Notá illud *debet.*

At embryonem tertia ad summum die informari Anima rationali est probabile.

Ergo baptizari debebit, si per abortum emittatur.

Uale Uir doctissime, & Deo, cujus causam agimus, me in tuis Sacrificijs commenda. Neapoli 23. Novembris 1663.

Tuæ doctissimæ, & Eruditissimæ
Dominationis humillimus Servus

Caramuel, &c.

Censura Reverendissimi Patris Magistri Fratris Michaëlis de Alcantara Vicarij Generalis Italiæ, & Siciliæ, & Procuratoris Generalis totius Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, Sanctæ Inquisitionis in Hispania qualificatoris, & Sacræ Congregationis Indicis in Vrbe Consultoris.

X.

DE mandato Reverendissimi P. Francisci Guinisij Religiosissimæ Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei Rectoris Generalis, Præsulis quidem eximij, & mihi quamplurimis

plurimis titulis summa observantia colendissimi, sedulò, ac attente perlegi Disputationem istam de ministrando Baptismate humanis fœtibus abortivorum Auctore R.P. Hieronymo Florentinio ejusdem Congregationis Alumno, & non modo nihil in ea offendi, quod Ecclesiæ Sanctionibus, aut bonis moribus, vel leviter repugnet, verum etiam, & illius Auctorem solidæ eruditionis virum, ac superiori laude dignissimum censeo, ut qui in re morali, in qua Doctores, uti Hercules in suis columnis Gaditanis non plus ultra videbantur inscripsisse, plus ultra aggredi, uti Columbus in novi occidui orbis inquisitione, ac adinventione, & conatus sit, & feliciter adeptus fuerit. Feliciter inquam imo & felicissime; perspicuè enim apparet novam resolutionem suam non tam topica ratiocinatione probare, quam Theologica demonstratione convincere, dum eam legitima consequentia infert ex quodam principio certo ex Præcepto Charitatis desumpto, ac ad fidem pertinente, & ex varietate opinionum circa animationem humani fœtus, quarum licet nulla transeat probalitatis metas, omnes tamen, cum quælibet sit assensus cum formidine alterius partis, evidenter concludunt, quod quamvis incertum sit determinatum tempus talis animationis, in quocumque tamen post conceptionem, seu receptionem seminis ea potest contingere. Quapropter judico, prædictam resolutionem uti probatissimam omnino in praxi sequendam esse, excipiendamque fore cum magna omnium, Theologorum congratulatione, si typis detur, ut lucem videat simulque det lucem. Et hæc mea mens, cui lubens me subscribo sub meliori semper. Romæ in hoc Conventu S. Adriani Sacri Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum die 1. Novembris 1657.

Fr. Michaël de Alcantara.

Censura Reverendiss. D. D. Vicarij Generalis Illustriss. D. D. Episcopi Viennensis.

Stephanus de Zwvixschlag Sanct. Theolog. D. Præpositus Viennensis, & antiquissimæ Vniversitatis ibidem Cancellarius, S.C.M. Consiliarius, & Illustriss. ac Reverendiss. Principis Episcopi Viennensis Officialis, & Vicarius Generalis.

XI.

DIsputationem de abortivis, & immaturis Fœtibus humanis conditionatè baptizandis, Authore R. P. D. Hieronymo Florentinio Congregationis MATRIS DEI Clerico Regulari conscriptam, magna mea consolatione legi, & censeo planè dignissimam esse, quæ in toto Orbe Christiano evulgetur, & typis sepius mandetur, quatenus, non tam animarum curæ Præfecti, quàm etiam omnes alij, qui parturientibus, aut abortum patientibus adsunt, hanc salutiferam doctrinam sequantur, & in plurium animarum salutem exerceant, caveàntque studiosissimè, ne hujusmodi fœtus humanus sine Baptismate subito quasi non esset animatus anima rationali de utero translatus ad tumulum, vita temporanea simul & æterna privetur. Ita censeo infrascriptus Viennæ Die 22. Decembris 1662.

Loco ✠ Sigilli.

Stephanus de ZWixschlag. Vicar Gener. Illustriss. Episcopi Viennen..

***** *Censura*

Censura Reverendiß. P. Bernardi Geyer Societat. IESV D. Theologi.

XII.

EXimius hic libellus, & ſummè vtilis Orbi Chriſtiano, dignißimus eſt, qui ſæpius recudatur, vt tam ſalutaris ejus Doctrina de adminiſtrando Baptiſmate abortivis, toti mundo ſecurè, quinimò (ut efficaciùs loquar, cum eruditißimo libelli Auctore ſect. 11.) etiam neceſſariò practicanda, per novas editiones amplius innoteſcat. Viennæ Auſtriæ 28. Auguſt. 1662. Ita cenſeo.

Bernardus Geyer è
Societate IESV.

Cenſura Reverendiß. P. Michaelis Heintz Societat. IESV D. Theologi.

XIII.

DIſputatio de Miniſtrando ſub conditione (prout ſect. xj. explicatur.) Baptiſmo Humanis fœtibus Abortivorum, ab Adm. Reverendo. D. P. Hieronymo Florentinio Congregationis MATRIS DEI Clerico Regulari, vix dum quadriennio ab hinc primùm in publicum emiſſa, brevi ſuo Authori animos conciliavit, laudeſque Sapientum. Id merito quidem ſuo: præterquam enim, quòd nihil, vel à S. Eccleſiæ mente, vel à morum regula alienum continet; flagrantem pro plurimorum ſalute zelum Doctißimi Viri abundè prodit, præſtanti eruditione conſpicuum, & ſolidis Theologiæ ſubnixum momentis. Vt omninò nihil obſtet: quin libellus

ſibellus iſte, mole ſua exiguus, at ampliſſima vtilitate verè magnus, maximo animarum bono, ſecundis, & ſæpius iteratis typis vulgetur. Neque vero ab eximio eius Authore deſiderari quicquam poſſit: niſi, vt (poſtquam conatu felicis ingenij, publico Theologorum teſtimonio, effecit; vt Puſillorum populo in regione umbræ mortis periclitanti radius æternæ lucis affulgeret) porrò nunquam deſinat, erudito, quo vtitur, ac ſapiente calamo ſuæ, & alienæ ſalutis avidos, atque omnem ſibi Theologiam demereri. Ita cenſui, Viennæ Auſtriæ Die 28. Auguſti 1662.

Michaël Heintz è
Societate JESV.

Cenſura Rever. P. Maximiliani Reichenberger Societ. IESV D. Theologi. ejuſdemque in univerſitate Pragenſi Profeſſoris ordinarij, & facultatis Philoſophicæ pro tempore Decani.

XIV.

LEgi accuratè, & expendi Diſputationem de Miniſtrando baptiſmo humanis fœtibus abortivorum, editamà Rev. P. Hieronymo Florentinio Congregationis MATRIS DEI, Clerico Regulari, & cenſeo ſententiam aſſerentem, fœtus abortivorum, quocumque tempore ejectos, ſub conditione baptizari poſſe, & debere, eſſe tum ex principiis intrinſecis, tùm propter gravium, & peritiſſimorum Medicorum authoritatem, valdè probabilem. In hujus rei fidem propria manu ſubſcripſi Pragæ in collegio S. Clementis Societ. JESV die 3. Ianu. Anno 1663.

Maximilianus Reichenberger è
Societ. IESV SS. Theol. Doctor.

Censura Reverendiß. Raymundi Pinſger Ordin. Prædicat. S. Theologiæ Doctor. Generalis Studij Viennenſ. Regentis, & Convent. p. t. Vice-Prioris.

XV.

LIbellum hunc ab Admodum Reverendo Domino Patre Hieronymo Florentinio Clerico Regulari, non minùs vtiliter, quam ingeniosè elucubratum, perlegi; qui cùm de-adminiſtrando humanis fætibus Abortivorum Baptiſmate, tractet, ejuſdemque neceſſitatem, & obligationem ponderoſis rationibus, & argumentis perſuadeat, tanquam fœtus quidam intellectualis, ex fœcundiſſimo, ac ſubtiliſſimo Authoris ingenio quaſi ſemine conceptus, jamjamque progenitus, per omnia ſanæ Doctrinæ conformis, adeòque non abortivus, aut immaturus, digniſſimus eſt, vt per novas editiones, iterum iterumque renaſcatur, quo ſic uberrimis benevoli Lectoris ſuffultus alimentis, ad immortalem eiuſdem Authoris gloriam multarumque animarum vtilitatem, & ſalutem magis magiſque excreſcat. Ita cenſeo, Uiennæ Auſtriæ 1. Septembris, 1662.

Fr. Raym. &c. Pinſger Ord. Præd.

Censura Reverendiſſim. P. Chriſtophori Spies Ordin. Prædicat. S. Theologiæ Doctor.

XVI.

CUm Diſputatio hæc eruditiſſima, de Miniſtrando Baptiſmo humanis fœtibus Abortivorum conſcripta, nil Fidei, aut bonis moribus contrarium contineat, quin potius plurimum proximorum

proximorum ſaluti conſulat, dum Author in ea infantium, ſe ipſos tueri non valentium, zeloſum agens Advocatum, fœtuumque Abortivorum partes, de Miniſtrando eiſdem Baptiſmo, piè, & ingeniosè defendens plures Parvulos ad Dominum Parvulorum amatorem conatur deducere, opus hoc prælo dari, & publici juris fieri poſſe cenſeo.

Fr. Chriſtophorus Spies, Ord. Prædic.
SS. Theologiæ Doctor.

Cenſura R. P. Vincentij Geitter. Ord. Præd. S. Theolog. Doct.

XVII.

LIbellus hic à me infraſcripto relectus, non ſupra arenam, ſed ſupra ſolidiſſimam tum Auctoritatum, tum rationum petram fundatus ſubſiſtit. Proinde velut Civitas ſupra montem poſita, abſcondi non poteſt, ſed potiùs dignus eſt, ut ſecundo prælo lucem non tam aſpiciat, quàm aliis præluceat; velut lucerna accenſa ſuper candelabrum poſita; quod maximè præſtat erga humanos Abortivorum fœtus, æternis alioquin tenebris obnoxios, quos eximia inſtructione, & directione circa adminiſtrandum iiſdem Baptiſmi ſub conditione Sacramentum illuminat, & reducit ad lucem inacceſſibilem, ut luceat eis cum Sanctis Dei lux æterna, & qui erraverãt ab utero, dirigit in viã juſtitiæ, & veritatis: qui mox ſederẽt in regione umbrę mortis, prę ſervat ad vitã, promovendo parvulos venire ad eum, qui eſt via, veritas, & vita ut ſint Cives Sanctorum, & domeſtici Dei, qui fuerant vi peccati originalis patria extorres; prodeat ergò voto meo libellus hic in lucem communem, qui pro communi multorum puſillorum perpetua utilitate ſalubriter eſt conſcriptus. Ita Cenſeo

P. F. Vincentius Geitter
Ord. Prædicatorum SS. Theol. Doctor.

Censura R.P. Iacobi Thilippi Polini Magistri, Regen. & Lector. publ. in Conven. S. Dominici Bononiæ.

XVIII.

TAm multiplex, dissitaque Scolasticorum est complexio, ut admodum semper collaudaverim illud ad Ephes. 3. *Multiformis.* textus Syriaci versionem. *Sapientia Dei differentus plena.* Reticeo plures humorum varietates, quibus DD. constant: hanc dumtaxat meo instituto non absonam, observo. Quosdam enim capulari dogmatum vetustati expertus sum affixos, ut probro dent, quidquid novitatis umbram augurari conspexerint, morsibus placita recentiora corrodentes, & comminuentes. Alios recentiorum asserta ambabus ulnis vice versa amplexantes, & principia, tametsi pretioso veritatis unguento delibuta, non alio ab eisdem depulsa prætextu, nisi quia ex senili Parentum fonte perenni fluxu defluxerunt. Quamvis autem novitatis aliquid redolentia, nisi vetustissimis Angelici Doctoris innitantur principiis, mihi non multum arrideant, (hac namque ratione pronunciatum Christi illibatum custoditur, qui de Patre familias edisserens, De Thesauro suo nova, & vetera deducente, vetustatem haud propulsans, nec novitati interdicens, utramque tamen amicabili nexu conjungit) novissima tamen collimantes, Constantinopolitanæ Synodi sententia protectos, nempe *Beatus qui prædicat verbum inauditum*, prorsus non illaudo. Præsertim si ea, qua par est reverentia, veritatisque indagandæ causa pandantur; nec non spiritu non illaqueandi, sed Animas salvandi dirigantur: quæ cum summa industria, mira claritate, disputandi methodo, pulcherrimo stylo, propria eruditione, in hoc perinsigni Libello de Baptismate fœtibus abortivis conferendo à Doctissimo Presby. Hieronimo Florentinio Congregationis MATRIS DEI Clerico Regulari, elaborato apprimè illucescant: Ego infrascriptus Sacræ Theologiæ Magister, ac in celeberrima Vniversitate Bononiensi Theologicæ

gicæ Cathedræ S. Thomæ Moderator, nec non ſtudij Generalis S. Dominici Regens (qui juſſus, ſedula pro viribus diligentia, non impari voluptate, hoc præclarum Opuſculum luſtravi) fateor nihil in eo reperiſſe Fidei Catholicæ Regulis diſſonum, Chriſtianæ vitæ moribus nihil contrarium : Quinimo authori non modicum ornamentum allaturum, omnibuſque ſtudioſis plauſibilem futurum cenſeo. Si quidem in arduis, vel altiſſimis voluiſſe ; ſeu attentaſſe, commendabile judicatur ; hinc conatus, ſtudium, vigilantia, pulſatio ad ſupernaturalem gratiam, virtutis non eſſe naturalis ſancitur in Concilio Arauſſicano 2. *can.6.* Magiſque concupiſcimus ſcire modicum de rebus honorabilibus, & altiſſimis, quamvis topicè, ac probabiliter dumtaxat, quam multum certoque de minus Nobilibus, ſi credimus Philoſopho *libro* 11. *de animalibus* apud D. Thom. *libro primo de Anima lect.* 1. Quid, quod in Theologica navigatione, quæ difficultates, quæ pericula ſuperanda ſint, qui leget, intelliget : Nos enim ſub aquis tam vehementibus non gemere tantum (quod, & magnis viris, ipſiſque etiam Gigantibus evenire, Scriptura teſtatur) ſed & opprimi, ac penè mergi non diffitemur, cum à ſpiritu procellæ exaltati fluctus aſcendant uſque ad Cœlos, & deſcendant vſque ad Abyſſos, ut in tanto diſputationum fragore, & illidentium undarum mole, omnis ſapientia noſtra (ſi tamen noſtra) plenè devorata ſit. Quid ni petere in tam luctuoſa tempeſtate portum, dirigendo puppim, movendo clavum, expediendo vela, dignum commendatione non prædicabitur? Laudetur ergo, pluribus celebretur titulis, conatus, ſtudium ſiderium, vigilantiaque præfati eximij viri. Datum Bononiæ in Conventu S. Dominici die 1. Julij 1663.

F. Jacobus Philippus Polinus.

Cenſura

Censura R. P. Alberti de Albertis Soc. IESV S. Theol. Doct. in Collegio Romano.

XIX.

LEgi jampridem idem quoque pereruditum eiusdem Adm. Reu. Patris Hieronymi Florentinij Opusculum de Ministrando Baptismo, &c. testorque ingenuè, mihi illius sententiam legitimè probabilem visam esse, ea propter, quoniam apud cunctos Doctores extra controversiam est, toties sub conditione administrandum esse baptismum, quoties sub dubio negativo rationabili, vel sub opinione probabili est, an validè fuerit collatus vel omninò prætermissus. Vnde infero conferendum quoque esse sub conditione, quotiescumque sub dubio negativo rationabili, vel sub opinione probabili est, an fœtus sit rationali anima informatus; nec ne? Quandoquidem in utroque casu idem periculum damnationis æternæ imminet, ut consideranti perspectum est, facilèque evinci posset, si hic locus esset. Porrò omnia, quæ valdè erudite Author ibidem disceptavit, ex doctissimis Medicis, & Philosophis, & Theologis, vel opinionem probabilem, vel saltem dubium negativum rationabile, necessariò gignunt: an ille fœtus initio sit Anima rationali informatus Neque vllum hactenus argumentum audivi, *quod physicè, vel moraliter demonstret non esse in principio prædicto modo eum animatum*, sed certè prorsus sine prudenti formidine constare de opposito. Quare libenter subscribo supra expositæ doctrinæ, etiam quantum ad reliquas conclusiones, Salvo meliori Judicio, &c.

Albertus de Albertis è Soc. JESV
5. Julij 1663.

Censura R. P. Antonij Casilij Soc. IESV olim in Collegio Romano S. Theologiæ, & Philosophiæ Lectoris, & pro tempore Studiorum Præfecti.

XX.

LEgi disputationem de Ministrando Baptismo humanis fœtibus abortivorum Adm. Rev. Patris Hieronymi Florentinij Congreg. MATRIS DEI Clerici Regularis, in eaque laudavi ingenium, Pietatem, prudentiam, doctrinam, & eruditionem, ex qua sequentes mihi videntur satis probabiliter elici posse conclusiones.

Prima, in quocumque dubio rationabili etiam negativo, quod fœtus sit animatus, potest, imo ex charitate debet baptizari. Conclusionem optimè probat Author, & elicitur ex principiis moralibus evidentibus.

Secunda, Suppositа incertitudine animationis fœtus, & probabilitate, quod statim primo animetur Anima rationali: Probabile est, posse baptizari fœtum quocumque tempore habet aliquod etiam dubium signum viventis, quamvis non appareat sensibiliter organizatio accidētalis membrorum, &c. quia adhuc potest esse homo substantialiter cum Anima, quæ contraxit peccatum originale, & à qua formatur organizatio accidentalis membrorum, &c.

Primam, & secundam partem eruditè probat Author, ex quibus satis probabiliter deducitur conclusio.

Ex his

Infertur, viros doctos data opportunitate, debere ex Charitate hanc doctrinam propalare, præcipuè Parochis, ut illam suis Parochianis insinuent, præsertim Obstetricibus, & Medicis: Uerum magna opus est prudentia, & suavitate, hisce initiis propter Pusillos, ne excitetur in illis turbatio, quā solet parere novitas; quamvis hæc non sit novitas, sed antiqua veritas, noviter tamen deducta, sicut quotidie fieri solet; Paulatim enim usu molleſcit

ſicut factum eſt in multis, ut Author erudite oſtendit in conferenda abſolutione moribundis, &c.

Nec obſtat, quod Eccleſia huc vſque hanc veritatem non docuerit fideles; Nam ſicut ſanctum tectumque eſt, ipſam non poſſe docere falſum, ita indubitatum eſt non teneri docere omnes veritates, præſertim, quando tradita ſunt talia principia, ex quibus aliæ veritates *deduci poſſent expreſſius, ut paulatim fieri videmus.* Ita judico Salvo, &c. 6. Julij 1663.

Antonius Caſilius Societatis JESV.

Cenſura R. P. Michaelis Baſſani Soc. IESV, Doctor. Theologi, & librorum in Italia imprimendorum Cenſoris.

XXI.

DIſputatio de Miniſtrando Baptiſmo humanis fœtibus abortivorum Auctore Admodum Rever. P. Hieronymo Florentinio Congregat. MATRIS DEI Clerico Regulari, licet quæſtionem contineat à Theologis tam Scholaſticis, quàm moralibus non agitatam, eam tamen ſingulari eruditione ſacra, & profana, ita ſapienter contextam, tantoque authoritatis, & rationum pondere communitam proponit, ac diſſoluit, ut ſi qua inter opiniones, de re morali valde dubia, & obſcura ſupremum probabilitatis gradum attigit, hanc, de miniſtrando Baptiſmo humanis fœtibus abortivis, opinionem auctoris ſui ſolertia, & ingenio, illum feciliter attigiſſe non dubitem

Ita judico ego

Michaël Baſſanus Soc. JESV.

Cenſura

Censura R. P. Nicolai Martinez Scc. IESV D. Theol. in Collegio Romano p.t.S.Theol.Primarij Lectoris.

XXII.

VIdi eruditam Disputationem doctissimi Viri Hieronymi Florentinij Congreg. MATRIS DEI Clerici Regularis, de Ministrando Baptismo Humanis fœtibus abortivorum: & reperi plenam eruditionis, & Theologicæ Doctrinæ, adeo ut argumentum sibi propositum omninò impleat. Circa resolutionem Authoris judico, illum modestissimè agere, dum contentus rem in utramque partem problematicè examinasse, tandem concludit, se in illam magis inclinare, quæ Baptismum infantibus immaturè editis, concedit. In quam eandem Conclusionem ego libenter eo.

Primo, quia quoties prudentibus fundamentis dubitatur, an vivat nec ne, hujusmodi Infans baptizandus est; nec modo potest, sed & debet baptizari ab iis, ad quos spectat. At certum est, hujusmodi fœtus imperfectos non vivere incertum esse; & de illis, an vivant dubitari cum prudentibus fundamentis posse. Ergo & baptizari debent, & possunt. Major est omninò certa in re morali, & si illa non admittatur, ut certa, corruere necesse est innumeras conclusiones, quæ quasi certa dogmata in praxi Ecclesiæ communi recepta sunt. Minor verò evidenter ostenditur ex iis omnibus, quæ in hoc tractatu aureo disputantur à pr. sect. usque ad 11.

Secundo, quia quoties concurrunt duo Præcepta incompossibilia, hic, & nunc, quod minus est, cedit majori; & majori obtemperandum est; remittente interim minore suam vim obligandi. At hic concurrunt duo præcepta, alterum Charitatis erga Deum, & Proximum, in materia spiritualissima, in qua agitur de summa rerum, hoc est de salute æterna Animæ: Alterum de reverentia servanda Sacramentis. Illud primum majus est, & strictius obligat, quam hoc secundum, ut patet tum à priori,

quia illud præceptum pertinet ad Charitatem Dei, & Proximi quæ proculdubio est major virtus, quàm religio : Tum à posteriori, quia in similibus casibus ejusdem Concursus sivè occursus præceptorum, semper charitati obtemperamus, subveniendo Proximo periclitanti spiritualiter, & præceptum religionis, ut hic & nunc non obligans, omittimus ; sic moribundo sensibus destituto, de quo dubitatur, an sit dispositus, absolutionem sub conditione impendimus, Infantem morti proximum cum adest solum aqua, de qua dubitatur, an sit naturalis, baptizamus, &c. Ergo hujusmodi fœtus imperfecti etiam baptizandi sunt sub conditione.

Nec obstat consuetudo contraria. In primis, quia in hac re praxis est anceps, & varia, secundum opinionem Medicorum, & Obstetricum. Nec potest probari in Vniversa Ecclesia viguisse, aut etiam nunc vigere praxim vniformem omninò contrariam. Secundo, & maximè quia Pastor universalis, sicut nec quicumque alter legislator descendit ad casus particulares specificè, & in individuo, qui propter circumstantias infinities combinabiles, sunt infiniti; sufficientissimè salvatur Providentia Sanctæ Matris Ecclesiæ circa salutem horum parvulorum minimorum, si dicatur sub principiis, legibus, & regulis generalibus de Baptismo parvulis Ministrando, etiam hos, de quibus est sermo, fuisse comprehensos. Ita sentio, & judico, salvo semper Doctiorum, & præcipue Superiorum meorum Judicio, cui me, & resolutionem hanc submitto, dum subscribo. Romæ in Collegio Romano Societatis JESV die 21. Julij 1663.

Nicolaus Martinez
in Coll. Rom. S. Theol. Lect. &c.

Censura Reverendissimi Patris Ioannis Trybault Societat. IESV Doctor. Theologiæ & olim Sacræ Theologiæ Lectoris Lovanij.

XXIII.

Exhibita mihi fuit hæc propositio. *Fœtus Abortivi quocumque tempore edantur in lucem etiam primis diebus cum dubium sit, illos vivere Anima rationali, Baptizandi sunt sub conditione.* Et expensis rationibus, quas pro ea affert Reverendissimus Petrus Hieronymus Florentinius Congregationis MATRIS DEI Clericus Regularis; Censeo, propositionem probabilem, & practicè sequendam: modo fœtus illi humanam speciem præseferant, & non planè constet esse mortuos.

Datum Antuerpiæ 8. Martij 1664.

Joannes Tribault Societatis JESVS Sacræ Theologiæ Lovanij quondam Professor.

Censura Excellentissimi Dom. Dom. Ioannis Baptistæ Solerij Medici Ianuensis.

XXIV.

Opinionem de incertitudine temporis, quo Anima rationalis fœtui in utero Matris existenti, infunditur, ab Adm. Reverēdo. Hieronymo Florentinio, Cōgregat. MATRIS DEI, Clerico Regulari, in suo doctissimo opusculo de Ministrando Baptismo humanis fœtibus abortivorum assertam, probabilissimam esse omnino censeo; vt varietas doctissimo-

rum virorum in hoc tempore decernendo manifestè ostendit : quod soli Deo cognitum esse , certè credo ; Probabiliorem tamen in tanta incertitudine existimo sententiam opinantium, Animam rationalem primis diebus à concepto fœtu, infundi ; quia sive fiat delineatio , & formatio immediatè à Deo ; sive ab Intelligentia , sive ab Anima vegetante , ut doctissimis viris placuit , cum otiosa non sit facultas ; & omnia membra simul , & eodem tempore formentur , credibile est statim , ac primis diebus ad eam formationem devenire , in qua Anima rationalis decenter infundi possit ; Hanc formationem in provocato abortu die septima observavit Hippocrates , qui ex sententia Macrobij nimis tamen audacis , nec falli , nec fallere potuerit.

Nec obstat , quod in abortivis fœtibus hæc non observentur quotidie : quia multa concurrere possunt ad has obtenebrandas delineationes ; præterquam quod natura tanta subtilitate sua perficit opera , quæ possint potius intellectu,quam sensu percipi omninò. Acarus habet motum progressivum,& per consequens pedes , crura , nervos , spinam , & caput , aut quid illis respondens ; & totum animal ope etiam Miscroscopij vix intueri quis potest ; Stat igitur verum , incertum , & valde dubium esse tempus , quo Anima rationalis à Deo creatur , & corpori infunditur , & probabiliorem esse sententiam , quæ hoc primis diebus fieri asseverat , Et ita ego sentio salvo , &c.

Ioan.Baptista Solerius
Medicus Januensis.

Illustriss.

Illustrissim. & Reverendissim. Patres, viginti numero S. Theologiæ Professores, Doctores, & Magistri, in celeberrima, & Dignissima Universitate Salmanticensi, visa mea prima Disputatione, De Baptismo Abortivorum edita Ludugni anno 1658. & lecto etiam folio, eadem de re, Lucæ impresso anno superiori 1663. non solum approbarunt etiam ex professo, meam Protheſim de Baptismate humanis fœtibus quocumque tempore ab utero Matris fundantur, ministrando: Sed imò, tanto studio, & animi propensione periclitantes Animulas juvandi, hujusmodi veritatem amplexi sunt, ut Illustrissim. D. D. Laurentius Cenamius, nunc pro nostra Excellentiß. Rep. Lucensi apud Philippum IV. Orator digniss. datis ad me litteris sub die 8. Octobris hujus præsentis Anni 1664. scripserit, Reverendissim. Salmanticenses Theologos ad omnes Hispaniarum Episcopos, significasse per Epistolas, meam prædictam Propositionem, esse usu recipiendam, & sequendam in praxi.

Sequuntur Censuræ Illustrissimorum, & Reverendissimorum Patrum Salmanticensium, quarum prima est, imo Opusculum Reverendissimi Patris Ioannis Barbiani Societatis I E S V, in quo doctissime, breviter, & dilucidè perstringit, omnia, quæ ego tribus sequentibus Disputationibus, & præsertim

Tertia

Tertia jam impressa, fusè, & sparsim asserveram; Veritas, enim vna est, & vbique, omnibusque illam amantibus, se prodit cognoscendam.

XXV.

VIDI, & accurate perlustravi libellum Rev. Adm. P. Hieronimi Florentinij Congregat MATRIS DEI Clerici Regularis Lugduni editum, cui titulus est, *De administrando Baptismate Humanis fœtibus abortivorum*, eximiè jam laudatum, & comprobatum ab Illustriss. Domino Caramuele. Vidi etiam, & duo ejusdem authoris folia seorsim typis mandata, in quibus novâ luce donatur propositio illa: *Fœtus abortivi quocumque tempore edantur in lucem, etiam primis diebus, cum dubium sit illos vivere animâ rationali, Baptizandi sunt sub conditione.* Existimo autem prædictam propositionem, quæ est totius doctrinæ summa in libello contentæ, non solum esse probabilem, & ab omni prorsus censura, sive Theologica, sive Philosophica immunem, sed veram etiam, & in praxi ab omnibus observandam; dignumque esse authoris studium, quod totus litteratorum Orbis cum laude, ac plausu excipiat; cuique de asserta, vel asserenda forsan tot animarum in abortivis fœtibus delitescentium salute, Catholici omnes gratulentur. Ecce enim duo tantum continet illa propositio. Primum est, posito quod prudenter dubitetur, an sit anima rationalis in humano fœtu à primis etiam diebus, cum conformari jam incipit, si eum aboriri contingat, posse ac debere sub conditione Baptizari; ac de hoc quidem dubitari minime potest. Alterum est, incertum nobis esse absolute, atque omninò dubium, quo temporis puncto humanus fœtus anima rationali vivere incipiat, ac sententiam esse, vel positive, vel saltem negative probabilem, quæ docet animam rationalem mox à principio concepti fœtus infundi, nec expectandum esse quoadusque omnibus organis humanæ proli convenientibus corpusculum

corpusculum illud distinctum perfectumque sit. Et quo ad hanc etiam partem spectat, plane in ea sum sententia, vt quod anima rationalis sit primis diebus in fœtu, videatur posse prudenter dubitari, Id enim & ex authoritate scripturæ, ac SS. PP. & ex tot relatis Philosophorum sententijs, rationibusque ab Authore diligenter adductis, efficaciter comprobatur. Quo circa, quamvis nihil Omnino desiderandum nobis reliquerit Authoris industria, adnotare hic tamen breviter placuit, quæ novissime scripsit Petrus Gassendus Sacræ Theoloiæ Doctor, ac Philosophiæ quidem peritissimus, qui solus hac de re latuisse videtur authorem libelli, forte quia Italiam ex Gallia non dum transcendit.

Hic igitur tom.2.sect.2. Physicæ, membro posteriori lib.4. capite quarto sic habet: *Quandoquidem vero dubium supereſt, de tempore quo rationalis anima in corpus infunditur, fatendum eſt ſane rem eſſe obſcuram, nihilque de ea definiri poſſe, quo ad uſque ſacra fides, qua creari, & infundi docet quo tempore id fiat definierit. Quippe cum res pendeat ex Dei arbitrio, nemo, mortalium ſcire id poſſit, niſi cui forte Deus revelet, aut quis ſit, qui gloriari poſſit eſſe ſe Deo à conſiliis.* Tunc postquam proposuit, & ex principijs Sacræ Fidei rejecit Stoicorum sententiam, quia asserebat animam rationalem non prius, quam à partu seu nativitate, homini advenire, subjungitur: *Longe eſſe planius videretur, ut putaremus infuſionem fieri ab ipſa uſque conceptione, ſeu à quo uſque tempore, ſemina eo pacto excepta, commixtaque in utero ſunt, ut conformationis actio inchoetur quippe propter illum tenorem, quem jam inculcavimus* (scilicet quo fœtus ita paulatim formatur, vt ab obscuris quibusdam rudimentis, ad majorem semper majoremque distinctionem insensibiliter procedatur) *nullum reperitur commodius momentum, cum aſſumpto quolibet alio, incredibile fiat, cur non tantiſper antea diſpoſitio idonea fuerit, aut cur tunc adeo fuerit idonea, vt non tantiſper amplius expectari debuerit. Nam quod credunt quidem Ariſtoteli agnoſcenti in*

 fœtu

fœtu ex semine vsque vegetalem animam, decentique temporis progressu sensilem recipi, qua animal fiat, ac postremo accedere extrinsecus mentem, qua evadat homo; Ecce, si requiratur cur non ab initio, sentiens quoque anima sit? Respondent, quia tunc non sunt adhuc organa ad sentiendum apta; & si instetur, cur cum est etiam sentiens, rationalis quoque non sit. Respondeant oportet, quia non sunt tunc quoque organa ad ratiocinandum idonea. At verò admittuntnè fœtum in utero ratiocinari, ex quo rationalis adest anima, quod jam sint inservientia ratiocinationi organa idonea? Nam perspicuum est homines ratiocinari non posse nisi longè à nativitate, &c. Quare organorum dispositio videtur quidem necessaria, ut operari anima, non ita ut inesse possit; adeo proinde ut cum anima fœtui infundatur intra uterum, dum illi tamen nullus esse rationis usus conceditur, nihil esse videatur magis consentaneum, quam ut ab initio usque infundatur. Hæc Gassendus. Ex quibus & si cœtera deessent, constare satis videtur, quam prudenter dubitari possit de infusione animæ rationalis ab ipso usque humani fœtus exordio. Nec obesse quidquam potest, quod immediatè Gassendus subjungit. *Verumtamen aliqua sunt, quæ id fieri ratum minimè patiuntur. Nam primo sunt aliquæ leges tam canonicæ quam Civiles, quæ procurationem abortus, aut alias occisionem fœtus in utero pro homicidio non habent, nec puniunt, nisi ille fuerit formatus animamque acceperit. Deinde praxis non est Ecclesiæ, ut fœtus qui sunt informes baptizentur, etiam sub illa conditione, si animatus quidem est, &c.* Nihil, inquam, obesse hoc potest; Nolumus enim *ratum esse* quod anima rationalis sit primis diebus in fœtu, sed solum, quod sit probabile, aut de quo saltem dubitari meritò possit; nec argumenta quæ Gassendus insinuat, ab ipso adducuntur, quasi manifestè demonstrent, dari post conceptionem tempus, quo rationalis anima nondum creata sit, ac infusa, sed quia rem probabilem faciunt, & sententiam oppositam, quam velut probabiliorem amplectitur, *ratam esse* non sinant. Et certè

quod

quod ad primum attinet, ut leges tam Canonicæ, quam Civiles procurationem abortus pro homicidio non habeant, donec ille formatus jam sit, satis est, quod ante formationem fœtus non constat illum esse animatum, quamvis dubitari possit, an etiam ab initio animam rationalem acceperit. Nam in dubio an fœtus sit animatus, forum externum præsumit pro inanimatione in favorem delinquentis, ut ait Navarrus consil. 46. de homic. Ergo quod procuratio abortus in foro externo, non semper reputetur esse homicidium, nihil obest; quominus prudenter dubitari possit, an fœtus ab initio anima rationali vivere incipiat. Quod vero attinet ad praxim de non Baptizando fœtu adhuc informi, ea ipsa est quam cavere intendit Author libelli, & quam revera probat non esse ipsius Ecclesiæ praxim, sed Parochorum, aut obstetricum insciciam, vel incuriam.

Prosequitur deinde Gassendus, & concludit probandam non esse sententiam illam, quæ asserit animam in maribus quidem circiter quadragesimum, & in fœminis circiter octogesimum diem, infundi, *quia articulatio fœtus conspicua tantum temporis non expectat; ac præter memoratum*, inquit, *fœtum dierum duodecim, observata est etiam ab Hypocrate delineatio in fœtu dierum non amplius septem; idcirco supposita etiam delineationis necessitate ad infusionem animæ, videretur animæ infusio reduci saltem posse ad septimum diem, neque esse trigesimum aut quadragesimum expectandum. Quamquam idnè adhuc tempus congruum sit, Deus solus hactenus novit.* Sive igitur organorum distinctio necessaria sit ad introductionem animæ rationalis, sive non sit necessaria; dubium tamen esse potest, an fœtus abortivus paucis à conceptione diebus vivat anima rationali, cum intra paucos dies à concepto fœtu, dari absolute possit corpus organicum, licet ejus dearticulatio communiter in tam exigua quantitate observetur.

Imo exinde suaderi probabiliter potest, advenire animam rationalem statim, ab initio conformationis fœtus; quoniam

anima rationalis non requirit ad actuandum corpus, exquisitam perectamque ipsius organizationem, ut patet in infantibus, quibus adhuc sunt organa rudia, & confusa, ut proinde rationis vsu tandiu careant, donec sint omnino distincta, & elaborata: Ergo sufficere debet organizatio quamvis imperfecta, & obscura; at fœtus mox à principio habet aliqua organa, non illa quidem eo modo distincta, quo sunt temporis progressu futura, sed confusa tamen, soluta, ac rudia, cum natura statim à concepto fœtu prima hominis lineamenta ducere incipiat. Ergo dici probabiliter potest mox, à principio animam rationalem infundi, cum etiam sit prorsus consentaneum illam è Dei manibus recens natam, non exigere adhuc nisi corpus nascens, seu organis nascentibus, rudissimis scilicet constans.

Confirmatur primo: quoniam, si certo quodam momento, corporis dearticulatio fieret, ac membra velut erumperent; tunc fortè probabilius, certiusvè esset, animam rationalem simul cum iis advenire; at quia res potius ita fit, ut à rudissimis rudimentis ad majorem semper, majoremque distinctionem insensibiliter procedatur, ut loquitur Gassendus, probabile jam est ab initio usque animam adesse, quæ actuosa ex se cum sit, non cesset unquam incumbere qualibuscumque functionibus potest.

Confirmatur secundo. Namque in humano fœtu, dispositiones, quæ sufficiunt ad animam vegetativam, & sensitivam, sufficiunt etiam ad rationalem; tum quia anima rationalis apta est per se exercere operationes vegetativas, & sensitivas: Tum quia ulterius expectare non potest ad primam sui existentiam, ut materia sit capax discursus: certum enim est, & apud omnes in confesso, imo sæpe insinuatum in scriptura nasci homines, & vivere anima rationali, etiam tunc, cum nullum rationis actum elicere possunt. Atqui dispositiones ad animam vegetativam, ac sensitivam, citissimè adsunt, quando fœtus formari jam incipit; Ergo non improbabiliter dici potest fœtum humanum ab initio usque animatum esse anima

rationali

rationali. Minor prob. Nam, ut expressè advertunt Patres Conimbricenses in libro 2. de anima capite primo quæst. 4. artic. 2. *Fœtus confestim post conceptionem nutritur sanguine, quem ei Mater per venam umbilicarem ad id muneris destinatam transmittit, &c. Deinde aliquot post diebus moveri incipit, et si tenui & obscuro motu; ut in iis qui alorsu eiiciuntur, observari poterit: si enim pungantur, contrahent se se, quod pertinet ad animam sensitivam.* Igitur ab initio fœtus adsunt dispositiones requisitæ ad animam vegetativam, quandoquidem adest anima ipsa, & paulo post sensitiva se prodit. Ergo & ab initio etiam adesse oportet dispositiones ad animam rationalem, atque adeo ipsammet corpori infundi; quando quidem cum primo creatur, & infunditur, non alias quam vel vegetativas, vel sensitivas operationes exercere potest, aut petit. Quare vel hoc argumento constat opus non esse, ut materia fœtus informetur primum sola anima vegetativa; deindè verò sensitiva, ac demum rationali, cum dispositiones quæ sufficiunt ad animam vegetativam, aut sensitivam, sufficiant etiam ad rationalem.

Hinc vero statim suboritur Tertia confirmatio. Quamvis enim propter authoritatem Angelici Præceptoris probabile admodum sit, animam vegetativam, ac sensitivam præcedere rationalem in eadem materia; probabilius tamen, magisque receptum est, solam esse in humano fœtu animam rationalem, quæ prius quidem actiones vegetandi, deinde sentiendi, ac tandem suo tempore intelligendi munera obeat: Quod præter ea, quæ author libelli adducit præsertim sect. 3. probari ulterius potest tum ex proximè dictis; tum, quia captum fugit, generationem hominis non nisi alterius animalis morte constare, & quod natura eo solum fine animal illud pariat, ut brevissime pereat; tum denique quia cum dispositiones unius animæ sint subordinatæ, nedum incompossibiles, cum dispositionibus alterius animæ, deberet potius in eodem vivente remanere præcedens anima, & sequi pluralitas animarum simul, contra Doctores. Quis enim credat animam vegetativam,

aut sensitivam informare fœtum adhuc informẽ, cum imperfectè solùm, aut obscurè agere possunt, ac demum, cum adeptæ jam sunt materiam exquisitè organicam, in qua operari perfectius possent, procul ab ea expelli? Quippe nulla unquam substantialis forma esse desinit, nisi dispositiones sibi contrariæ in materiam prius introducantur. at vero anima vegetativa, vel sensitiva, quæ rationalem præcederet, tunc potius peritura foret, cum materia jam esset perfectè disposita ad actus sentiendi, & vegetandi; quod plane videtur, absurdum. Dicendum est igitur, ante adventum animæ rationalis, nullam aliam præcedere in fœtu vel vegetativam, vel sensitivam; atqui fœtus ab initio est absolutè animatus, siquidem continuo per nutritionem augetur, atque intus se se in omnem partem figurat, & format Ergo ab initio usque vivere incipit anima rationali.

Denique confirmatur: quia quæcumque alia forma, præter animam rationalem, nutritionem, & incrementum fœtus, & elaborationem illam organorum peragat, ipsamet sibi suam destructionem moliretur; siquidem postquam sunt jam organa distincta, & elaborata, cum advenire debeat anima rationalis, ipsa operi suo superstes esse non poterit. Ergo forma illa quæ embryonem format, nisi sit anima rationalis, directè operabitur in sui ipsius interitum: at hoc absurdum esse videtur ergo dicendum est, animam rationalem esse, quæ sola ab initio, fœtus conformationem aggreditur; æqujus, enim est, ut quæ organizatum jam corpus sola possidet, organizationi prius incumbat, & in sui emolumentum laboret; quam ut alia quævis forma nihil sibi profuturo labore defatigetur, & propriam sibi mortem adsciscat.

Jam quod attinet ad parvitatem humani corpusculi quamvis illud primis diebus hordeacei grani magnitudinem non excedat, ut ex sententia Medicorum docet Author libelli, nihil obest quominus in ea quantitate adeo parva existere possit anima rationalis. Nam minimum quantitatis, in qua potest anima rationalis primum infundi, non excedere quantitatem

titatem formicæ, docet ex Aristotele D. Thomas in 3. dist. 3. quæst. 5. art. 2. & Abulensis in cap. 1. Matthæi, parte 1. quæst. 53. Atque id quidem mirabili artificio Divina Sapientia instituit, ut viventia creata in suis initiis sint adeo parva, & minimum quod fieri possit accipiant à generante, nempe ut cætera vitaliter, & ab intrinseco obtineant, imitando modum illum quo Deus se habet. Quare homo, qui est inter viventia omnia corporea excellentioris naturæ, eo ipso debet in exigua valde quantitate produci, vt totam ferè magnitudinem suam sibi debeat, ac naturam Divinam, quoad fieri possit æmuletur. At qui hinc etiam facilè rejicitur, quod communiter dici solet, non decere vt anima rationalis, quæ est forma omnium perfectissima, in rudem, & incompositam materiæ molem ab initio fœtus introducatur, sed in corpus organis aptè, concinneque elaboratum. Hoc inquam facile rejicitur, quia, cum modus habendi perfectionem à se sit proprius Dei, & maxima omnium perfectio, tanto aliquod vivens erit perfectius, magisque ad Deum accedens, quanto magis habet à se perfectionem suam. Jgitur major erit perfectio hominis, si anima rationalis ab initio, fœtus conformationem peragat, ac totam corporis sui concinnitatem, & elegantiam à se ipsa vitaliter obtineat, quam si corpus organis jam suis distinctum, & elaboratum ab alio accipiat. Namque hoc pacto poterit anima corpus agnoscere tanquam aliquid plane suum, hoc est tanquam adæquatè à se ipsa in eam figuram conformatum. Sic invenire aliquam pulcherrimam veritatem proprio ingenio, melius est ac delectabilius, quam illam discere ab alio; & universim, quod modus possidendi aliquod bonum tanquam à se partum, augeat pretium ipsius boni, docuit Aristoteles 1. rethoric. cap. septimo. Non igitur dedecet animam rationalem, vt in rudem, & incompositam materiæ molem prius infundatur, quando ipsa sibi confestim elaborare illam potest, quin alteri formæ debeat organorum omnium, & corporis sui apparatum.

Sed finem hic facio, ne amplius videamur ligna in sylvam adducere.

adducere, vel lumina in solem; quando in libello Authoris nihil omnino desiderari possit ad stabiliendam suæ propositionis veritatem. Quare iterum censeo, prudentissimè dubitari posse, an fœtus abortivus à primis diebus vivat anima rationali, & consequenter eum sub conditione Baptizari debere etiam, in quantitate grani hordeacei. Salvo, &c. In hoc Regali Collegio Salmanticensi Societatis JESV Decimo octavo Kalend. Jul. anno Domini 1664.

Joannes Barbianus.

Richardus Lynceus.

XXVI.

EXistimo hanc propositionem, *Fœtus abortivi quocumque tempore edantur in lucem, etiam primis diebus, cum dubium sit illos vivere anima rationali, baptizandi sunt sub conditione*, Quæ est scopus totius libelli R. P. Hieronymi Florentinij, probabilem esse, & laudabiliter in praxi observandam; quam solidissimis rationibus Author persuadet, & conformem judicio communi doctrinæ Theologiæ moralis docentis fœtum esse baptizandum sub conditione, quando dubitatur an habeat animam rationalem, ut si haberet caput ferinum, & cætera humana. In præsenti autem prudentissimè dubitatur, an anima rationali informentur fœtus abortivi quocumque tempore, & sub quacumque brevi quantitate in lucem edantur; cum in tot placita sint Doctores divisi, & aliqui doceant septima die anima rationali vivere, alij tertia die, ut refertur sectione septima libelli, & tandem alij in ipso momento conceptionis, vel intra septem horas à retentione seminis in utero, ut constat ex his, quæ congerit Author sect. 8. & 9. Quis autem negabit prudens judicium adesse, ubi est tanta sententiarum diversitas, quarum quælibet non contemnendo

nendo fundamento ſuadetur, quarum nulla evidenter falſitatis convincitur.

Confirmatur. Prudenter poteſt dubitari an fœtus abortivi habeant animam nutritivam, quocumque tempore, in quacumque brevi quantitate edantur in lucem; cum ad operationes nutritionis minor quantitas, minorque organizatio, quam ad ſentiendum, & intelligendum ſint requiſitæ, & quantitas grani hordeacei ad nutritionem videatur ſufficiens, ſed quando prudenter dubitatur, an fœtus abortivus habeat animam nutritivam, & diſpoſitiones ſufficientes ad actionem nutritionis tantum, prudenter etiam dubitatur an informetur anima rationali, quia eſt ſententia probabilis corpuſculum non prius habere animam nutritivam, quam rationalem, ſed ubi primum diſpoſitum eſt ad operationes nutritionis animam rationalem infundi, quæ pro tunc tantum eſt principium nutritionis, & operationum communium plantis; creſcentibus quoque paulatim diſpoſitionibus eadem anima rationalis principium eſt ſenſationum; tandemquè poſteriori tempore ad infuſionem animæ rationalis organizatio perfecta ad intelligendum exacta producitur; quam ſententiam docet, & ut veriorem tuetur P. Rodericus de Arriaga diſp. 1. de Anima, ſect. 12. à num. 348. Et eiſdem probat rationibus, quibus ſuam confirmat Petrus Gaſſendus à Sapientiſſimo P. M. Joanne Barbiano adductus, quo ſicut prudenter poteſt dubitari, an fœtus abortivi, quocumque tempore, & ſub quacumque brevi quantitate in lucem edantur, habeant animam nutritivam, poterit etiam dubitari prudenter an habeant animam rationalem. Sic ſentio, ſalvo &c. In hoc P. N. Divi Bernardi Salmantino Collegio die 2. Menſis Julij, anno Domini 1664.

Franc Antonius de San Pedro, &c

 Libellum

XXVII.

LIbellum hunc, & Reverendissimorum Patrum censuras perpendi, contra quem nullum censeo impugnatorem posse prævalere, neque si, teste Regio Vate, qui ex ore infantium, & lactentium perficit laudem, inimicum facile destruit, & ultorem qui linguis nondum formatis non dum lactentium, sed abortivorum adhuc, quasi novus redemptor jure optimo plauditur, nullius poterit opprobrio subjacere, maxime cum quidquid in eo supponitur totum sit ad minus speculativè probabile, & quidquid infertur, certum, pium, & in praxi securum. Sic sentio in eodem Parentis D. Bernardi Collegio Tertio Non. Julij anno 1664

Mag. Franciscus de Roys, &c.

XXVIII.

QVa cura potui, & diligentia libellum hunc Reverendi admodum Patris Hieronymi Florentinij, *de Ministrando Baptismo humanis fœtibus arbotivorum*: Cum sua assertione, nempe *Fœtus abortivi, quocumque tempore edantur in lucem, etiam primis diebus, cum dubium sit illos vivere Anima rationali, baptizandi sunt sub conditione*; Et cum supra positis censuris, perlustravi, haudque modica aviditate relegi; legique formosissimos ex Florentinio flores, ex lucubrationibus de abortivis fœtibus, partus uberrimos concinnavi. Nec mirum, quippe ab ortu libelli, quasi Solis ortu, quidam mihi collucere visi sunt radij, novamvè fulsisse lucem, qua abortivis oriatur splendor, qui nescit Occasum. Misera plane esset ignavia, æternitatis aditum occludere parvulis; parvulis, inquam, qui mortalium infelicitate; adhuc intra materna viscera sunt periclitati. Hæc florida serta, hæc gariophylla dedit vobis (O insontes) Florentinius, quibus per tempora, intempesto tempore licet nati, Redimiamini, & Redimamini; Si Ibero Vati fiditis Martialis.

Extra

Extra fortunam est, quidquid donatur egenti;
Quas dederis solas semper habebis opes.

At qua doctrina, acumine quanto? Miror in tali Corpusculo, hos Spiritus: Sed experiri fas erit gemmatas tantillo ambitu contineri thecas, quas molybdena sive plumbi ingens quantitas haud æquarit, Quid immoror? *Tamen* (cum Floro loquor) *quia ipsa sibi obstat magnitudo; verumque, diversitas aciem intentionis obrumpit: faciam, quod solent, qui terrarum situs pingunt, in brevi quasi tabella, totam eius imaginem amplectar, non nihil, ut spero, ad admirationem collaturum, si pariter atque in semet, universam magnitudinem ejus ostendero.* Ita Apellæam lineam contuebor. Quia enim claritate, qua præstantia, proposita difficultate, sectione pri. & per sequentes variis ad quæstionis intelligentiam adnotatis, placitis Vniversis de animatione humani fœtus explosis; propria & certissima sententia, de incertitudine rei; tum ex Scripturis, tum ex ratione, comprobata: tandem assertum expendat sect. 11. (nimirum quod cum probabile sit, in quacumque quantitate fœtui humano inesse rationalem Animam, debet ei semper sub conditione, vel mente concepta, vel verbis expressa, largiri Baptismum) oppositasque machinationes perfacile, scite, erudite, & compte dissoluit? Et meritò sic processit, cum omnino pendeat resolutio à tempore, quo Anima rationalis, carnis ergastulum inhabitat primo; taleque dogma figendum, ut parvulis utile, doctis jucundum, & quod mage, undequaque securum. Sic censeo cum Sapientissimis Patribus Magistris hujus nostri Salmantini Musæi, Salvo, &c. In hoc Patris nostri, & Divi Bernardi Collegio die 10. Julij Anni Dominici 1664. Lib. 5. Epig. 43.

Fr. Petrus de Oviedo,

XXVII.

LIbellum hunc, & Reverendissimorum Patrum censutas perpendi, contra quem nullum censeo impugnatorem posse prævalere, neque si, teste Regio Uate, qui ex ore infantium, & lactentium perficit laudem, inimicum facile destruit, & ultorem qui linguis nondum formatis non dum lactentium, sed abortivorum adhuc, quasi novus redemptor jure optimo plauditur, nullius poterit opprobrio subjacere, maxime cum quidquid in eo supponitur totum sit ad minus speculativè probabile, & quidquid infertur, certum, pium, & in praxi securum. Sic sentio in eodem Parentis D. Bernardi Collegio Tertio Non. Julij anno 1664

Mag. Franciscus de Roys, &c.

XXVIII.

QVa cura potui, & diligentia libellum hunc Reverendi admodum Patris Hieronymi Florentinij, *de Ministrando Baptismo humanis fœtibus arbotivorum*: Cum sua assertione, nempe *Fœtus abortivi, quocumque tempore edantur in lucem, etiam primis diebus, cum dubium sit illos vivere Anima rationali, baptizandi sunt sub conditione*; Et cum supra positis censuris, perlustravi, haudque modica aviditate relegi; legique formosissimos ex Florentinio flores, ex lucubrationibus de abortivis fœtibus, partus uberrimos concinnavi. Nec mirum, quippe ab ortu libelli, quasi Solis ortu, quidam mihi collucere visi sunt radij, novamvè fulsisse lucem, qua abortivis oriatur splendor, qui nescit Occasum. Misera plane esset ignavia, æternitatis aditum occludere parvulis; parvulis, inquam, qui mortalium infelicitate; adhuc intra materna viscera sunt periclitati. Hæc florida serta, hæc gariophylla dedit vobis (O insontes) Florentinius, quibus per tempora, intempesto tempore licet nati, Redimiamini, & Redimamini; Si Ibero Uati Editis Martialis.

Extra

Extra fortunam est, quidquid donatur egenti;
Quas dederis solas semper habebis opes.

At qua doctrina, acumine quanto? Miror in tali Corpusculo, hos Spiritus: Sed experiri fas erit gemmatas tantillo ambitu contineri thecas, quas molybdena sive plumbi ingens quantitas haud æquarit, Quid immoror? *Tamen* (cum Floro loquor) *quia ipsa sibi obstat magnitudo; verumque, diversitas aciem intentionis obrumpit: faciam, quod solent, qui terrarum situs pingunt, in brevi quasi tabella, totam eius imaginem amplectar, non nihil, ut ferò, ad admirationem collaturum, si pariter atque in semet, universam magnitudinem ejus ostendero.* Ita Apellæam lineam contuebor. Qua enim claritate, qua præstantia, proposita difficultate, sectione pri. & per sequentes variis ad quæstionis intelligentiam adnotatis, placitis Vniversis de animatione humani fœtus explosis; propria & certissima sententia, de incertitudine rei; tum ex Scripturis, tum ex ratione, comprobata: tandem assertum expendat sect. 11. (nimirum quod cum probabile sit, in quacumque quantitate fœtui humano inesse rationalem Animam, debet ei semper sub conditione, vel mente concepta, vel verbis expressa, largiri Baptismum) oppositasque machinationes perfacile, scite, erudite, & compte dissoluit? Et meritò sic processit, cum omnino pendeat resolutio à tempore, quo Anima rationalis, carnis ergastulum inhabitat primo; taleque dogma figendum, ut parvulis utile, doctis jucundum, & quod mage, undequaque securum. Sic censeo cum Sapientissimis Patribus Magistris hujus nostri Salmantini Musæi, Salvo, &c. In hoc Patris nostri, & Divi Bernardi Collegio die 10. Julij Anni Dominici 1664. Lib. 5. Epig. 43.

Fr. Petrus de Oviedo,

XXIX.

SEmel probato, & constituto, neque leviter quidem, sed efficaciter omnino, dubium esse, nil certum, imò utrinque probabile, juxta varias sententias Philosophorum, atque Medicorum, de tempore, quo fœtus animetur in utero, vita nimirum rationali; infertur planè, quod intendit Doctissimus non minus, quàm pius Pater Hieronymus Florentinius hoc libello pulchro, & erudito, de Ministrando Baptismo Humanis fœtibus abortivorum, nempè secure posse, imò deberi, ex charitate saltem, illis ministrari sub conditione tacita, aut expressa quocumque tempore Baptisma, nè in salute periclitentur, quæ modis omnibus possibilibus procuranda est omninò. Quarè subscribo libentissimè, & gratulor sententiæ, ingenio, atque pietati prædicti Patris Florentinij; maximè vero roboratæ tot gravium Magistrorum approbatione, atque consensu. Salva semper, &c. In hoc nostro Collegio Divi Parentis Bernardi Salmanticensi, undecima die Julij, anno salutis Christianæ 1664.

Fr. Michaël de Fuentes, &c.

XXX.

ITa probabilis, pia, & utilis apparet mihi doctrina P. Hieronymi Florentinij, quam in suo libello, De Ministrando Baptismo humanis fœtibus abortivorum, tradit; ut quidquid sit de opposito, in praxi jam tantummodo possem, firmiter adhærere huic sanè proficuo judicio. Sic sentio, Salvo meliori. In hoc Salmantino Parentis D. Bernardi Collegio die 16. Julij Anni Dominici 1664.

Fr. Ildephonsus Herbas, &c.

XXXI.

CUm evidenter non constet de tempore, quo infunditur in corpus anima rationalis, merito probabiliter dubitari potest de

de quocumque in lucem edantur abortivi fœtus, an scilicet sint animati anima rationali nec ne, etiam primis diebus: consequenterque posse ipsis administrari Sacramentum Baptismi absque aliqua iniuria ipsius sacramenti. Vnde studium, piamque resolutionem R. Adm. P. Hieronymi Florentinij in suo libello aureo de administrando Baptismo humanis fœtibus abortivorum, ne dum immunem ab omni prorsus censura tam Theologica, quam Phylosophica existimo; verum etiam summa laude dignam, summa pietate plenam, in praxiquè probabilem.

Neque ei obest; imò prodest, quod hucusque sententia ista piissima in tenebris delituerit, neque ei fuerit exorta Theologicæ disputationis lux; est enim hoc majus Auctoris encomium: dicebat enim Picus Mirandulæ Comes in apologia: *Profectò ingenerosum est, ait Seneca, Sapere solum ex commentario quasi majorum inventa nostræ industriæ viam præcluserint; & quasi in nobis effœta vis naturæ nihil ex se parere, quod veritatem, si non demonstret, saltim innuat, vel de longiquo: quod si in agro colonus, in vxore maritus odit sterilitatem, tanto magis infœcundam animam oderit illi, complicita, associata Divina mens, quanto inde nobilior, longè proles desideratur: propterea præter communes doctrinas plurima quoque per nos inventa, & meditata disputando proposuimus,* Salvo meliori &c. In hoc nostro Collegio Divi Vincentij Salmantini Ordinis Sanctissimi Parentis nostri Benedicti die 6. Aug. Anni Domini 1664.

M. Frater Mau rus Semocoi, &c

XXXII.

IPsa incertitudo de tempore animationis, (quæ satis conspicua ostenditur à R. Adm. P. Hieronymo Florentinio, ex multiplici facultatis Medicæ argumento, ex quo saltem constat apud Artis Medicæ peritissimos, nullum fixum stabiliri momentum

animationis) simul cum pietate administrationis Baptismatis pro salute æterna necessarij, comprobat mentem quam intendit R.Adm.P.Hieronymus Florentinius, in suo libello Lugduni edito; cui titulus est, *de administrando Baptismate humanis fœtibus abortivorum.* Quare, censeo nec pietatem nec probabilitatem Theologicam deesse huic Authori in re ista, quam noviter excogitavit; sed ex novitate, quam spero in æternam plurimarum animarum fælicitatem excipiendam fore, merito laudandus, cui adgratulor, subscribens RR. PP. Magistrorum præcedenti judicio etjam. In nostro Benedictinorum, apud Salmanticenses D. Vincentio Collegio Sacro Die 6. Augusti Anno Domini 1664.

M.Fr.Placidus de Puga, &c.

XXXIII.

OPinionem valde probabilem, & ab omni prorsus censura sive Theologica, sive Philosophica immunem, existimo asserentem dubium esse tempus, & incertum, quo anima rationalis à Deo creatur, & in corpus infunditur, quam supra laudatus R.Adm.P.Hieronymus Florentinius Congr. MATRIS DEI Clericus Regularis satis efficaciter suadet tum ex sacris literis, tum ex Sanctis Patribus, tum ex ratione, & experimentis. Qua sententia supposita censeo ex illa per legitimam consequentiam inferri posse sub conditione tacita, vel expressa tuta conscientia, immo & deberi ministrari baptisma humanis fœtibus abortivorum, quod in suo libello Lugduni edito præfatus author intendit, ne tot animæ pereant, & periculo damnationis æternæ exponantur: nec est cur hæc sententia, quæ animarum saluti favet, & præter Christianam pietatem maximam continet probabilitatem, non sequatur in praxi. Ita censeo salvo meliori, &c. In hoc nostro Benedictinorum apud Salmanticenses D.Vincentio sacro Collegio die 20.Aug.Anno Domini 1664.

M.Fr.Antonius de Castillo, &c.

Uidi

XXXIV.

VIdi disputationem hanc de Ministrando baptismo humanis fœtibus abortivorum à R. Adm. P. Hieronymo Florentinio, tam recenter, quam piè in veritatis semita inductam; vere, & luculenter discussam, & non minori, imo maximæ animarum facilè pereuntium subventioni haud difficilè incumbentem. Felix inventio, Non siccis ingeniorum phaleratis structuris male fœcunda; Sed pietatis stillicidiis, sed salutari rore, sed caritatis flamma, non pinguis campus, sed bibula nubes, quæ pientissimi cordis ardore liquida se se in aridum abortivorum campum irrorantem agit, vt in meliorem frugem, incuria colonorum marcidam, reducat. Gratulatorem potius quam Censorem, vel primis labijs egi. Cœpi fateor, Ast, si hacce in difficultate nihil censura dignum, quid agerem? Scio quid agendum: dolere, sic angustijs horarijs premi, quod latiori, ut æqu um erat, calamo Authori haud quaquam pro tam ingenti animarum beneficio gratulationem facere possim. Salmanticæ ex nostro Benedictino Collegio D. Uincentio Sacro die 26. Augusti à Christi Nativit. 1664.

M. Fr. Joseph Gomez, &c.

XXXV.

LIbellum de Ministrando Baptismo humanis abortivorum fœtibus sub conditione; qui noviter in lucem prodiit per R. P. Hieronymum Florentinium ex Cong. MATRIS DEI, dignum quidem judico, ut ab omnibus in praxi habeatur; Jmò potius doleo tot ante acta sæcula non haberi: & sic animarum sine dubio perdita salus tam facili lucraretur medicamine. Sic judico in nostro Benedictinorum Salmanticensi Collegio B. Vincentio Sacro, die 27. Augusti anno 1664.

M. P. D. Philippus Vahamonde, &c.

Collegium

Collegium Veræ Crucis Regalis Ordinis B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum Salmantinum.

XXXVI.

AVreum opus R.P.Hieronymi Florentinij de administran-
de Baptismate humanis fœtibus abortivorum, jam diu
typis excusum avidè volvimus, atque relegimus. Authori gra-
tulamur, quod habitantibus in regione umbræ mortis lucem
afferat, vt lumina videant. Jn hac ergo disceptatione subtilis-
sima,atque neruosa sic ex Concilijs,sic ex Patribus,Theologicis,
& Phylosophicis momentis solida fundamina jacit ,stabilire
thesim ; vt nihil in ea non securum occurrat,nil ruinosum im-
mineat,nil addendum, nihilque dolandum obuiet. Absolutissi-
mum censemus opus,& de manu eruditissimi Authoris strenuè
clypeatum : nodos solvit cæcos hucusque : exitiali parvulorum
infortunio medetur : nova debellat climata salutaria calamo
perennaturo, pio genio, clarissimo ingenio. Ipsi procul dubio
de innumeris benemerito infantibus nullus non ante eiulatum
primum abjectus è vulva concinens plaudet cum Davidico
Psalte: *Misericordia tua magna est super me: eruisti animam meam*
Psal.85. vers.13. *ex inferno inferiori.* Et à præservatrice novissima idæa plerique
redempti de carcere cœco melos dabunt in choris, cum illo
centesimo vigesimo tertio cantico graduum: *cum exurgerent*
Psal.123. ver.3.2d 7. *homines in nos, fortè vivos deglutissent nos. Cum irascceretur furor*
eorum in nos forsitan aqua absorbuisset nos. Torrentem pertransivit
anima nostra (baptismatis exponimus) *forsitan pertransisset ani-*
ma nostra aquam intolerabilem. Benedictus Dominus,qui non dedit
nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta
est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati su-
mus. Pateat ergo,quod latuit;nanque dubium prudens & posse,
& debere efformari de rationali animatione fœtus abortivi
quantumvis minimi post illius efformationem citra dubium
videtur; serio inspectis, quæ Reverendissimus,ac peritissimus
P.M.Joan.Barbianus congessit.Ex quibus subducitur quempiam

teneri

teneri ad salutarem aquam sub conditione effundendam supra fœtum quantumvis rudem incomptum,& lineamentis non apparentibus,ut à morte æterna animam,quam ibi latitare dubitat prudenter, si possit, eripiat, ut in monstrosis fœtibus persæpe contingit : satius enim est aborsum fœtum cum dubio Sacramento decedere,quàm sine tanto juvamine perire.Subscribimus ergo,& nos tot Academiæ nostræ Doctorum judicio. Subscribimus & illi viro magno nostri Collegij alumno,Sacræ Indicis Romanæ Congregationis Consultori,R.P.Magistro Fr.Michaëli de Alcantara Italiæ,& Siciliæ Vicario,& apud Sanctam Sedem Procuratori Generali,Theologo insigni,& operis hujusce Censori, atque ex calculo Approbatori. Salmanticæ in nostro Veræ Crucis Sacri, Regalis, ac Militaris Ordinis Redemptorum S. VERBIparæ de Mercede Collegio pridie Kalendas Septembris,nostro Sacra Hispaniarum Cardinali Raymund.anno 1664.

M.Fr.Jo:Baptista de Candanedo,&c.
M.Fr.Didacus de Villavicenero,&c.
M.Fr.Joseph Gonzalez, &c.
M.Fr.Ferdinandus de Carvajal. &c.
M.Fr.Ildelphonsus Gundisaluus del' Alma Salmantinus,Theologiæ Professor.

XXXVII.

DVm tot Sceleribus, æternæ vitæ aditum sibi præcludunt Adulti,Opportunus is quoque strenuissimus, misericordiæ superexaltantis judicium, vindex adest R. P. Hieronymus Florentinius è MATRIS DEI, misericordiæ opificis,Congregatione Clericus Reg. Consulit quippè humanis fœtibus immaturis,anima rationali adhuc sub Judice:ipsisquè impervium (proh dolor!)hucusque aditum vitæ æternæ patefacit,egregia disputatione de baptismo eisdem ministrando.Scopum collimasse dexterrimè,lectio evincet brevissima:nec enim angustia temporis, ultra tempus,& tempora laboraturis animulis prospiciens; tot

occupationũ mole laborantibus animis, tẽporis infert dispendiũ Herclè doctissimæ huic disputationi praxim tutè accessuram censeo ingenuè. Cupio quoque isthæc diffundi copiosius, ut ex. Doctiorum manibus (quibus, Homeri invidia, & si intra Darij delicioſum scriniolum teguntur) evulgata; vel cunctos in baptisma sub conditione conferendum erigant, vel saltem Illustriss. Præsules in subsidium horum, pereuntium certò, & fortè salvandorum accingant, quatenus subditis possunt injungere praxim adeo probabilis resolutionis, qua practicata à Paradiso exclusæ, propter opinantium (ne dixerim nimis credentium, minus quam discutientium) varia placita istæ animæ amphibiæ, forsan Ecclesiæ concinent, Paradisi Portæ per te nobis apertæ sunt. Sic Salvo, &c. voveo ex animo qui subscribo, Salmanticæ in nostro Canonicorum Regularium Præmonstratensium Collegio die 2. Septembris 1664.

M. Fr. Joseph Bravo, &c
de Villalobo.

XXXVIII.

CVm satis efficaciter authoritatibus, & rationibus tã Philosophorum, quàm Medicorum probabilitas ergà incertitudinem temporis in quo fœtui anima rationalis infunditur stabiliatur, abortivis Baptismatis Sacramentum sub conditione impertiendum esse (ut luculenter opinatur in suo erudito libello de Ministrando Baptismo humanis fœtibus abortivorum R. P. Hieronymus Florentinius) in praxi securè, & sine aliquo neque contra Philosophiam, neque Theologiam piaculo censeo, libenterque doctissimis nostræ Salmanticensis Academiæ Magistris hac in re subscribo. Salmanticæ die 3. Septembris anno 1664.

Mag. D. Petrus Cardoso
& Valdes, &c.

De

XXXIX.

DE mandato Rev.D.mei Vicarij Generalis,vidi, & accuratè perlegi tam primam jamdiù Lugdunicis typis excusam,quam alias mox additas disputationes *de Baptismo Abortivis sub conditione ministrando* Adm. R.P.Hieronymi Florentinij Religionis Matris Dei, in præsenti Libello contentas, & quo ad primam, post tot Insignium Accademiarum, & Præstantissimorum tum Theologicæ Scientiæ,tum Medicæ facultatis Professorum, ne dum approbationes, sed Elogia initio operis præmissa, quid ego ? Faculam nempè sibi admoveri ad proprij luminis incrementum Sol dedignatur. De reliquis hoc vnum. Accessorium sui principalis naturam sequi, vulgare est effatum. At posteriores hasce, quæ priori accesserunt disputationes, Operis pretiositate, & eruditissimi sui Authoris ingenij redolentia illam præire verius,quam sequi dixerim. Hunc igitur Libellum innumerabili propè Parvulorum numero hactenus clusum,ad æternam vitam aditum reserare gestientem, ut æternum, & ipse vivat, publica eius facta impressione, in lucem edi cum Catholica Fides non renuat, & Christiana pietas non exigat modò sed vrgeat, imprimendi potestatem faciendam censeo.

Ego Ludovicus Cittadella Prior Insignis Collegiatæ, & Parrochialis Ecclesiæ SS. Joannis, & Reparatæ.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA NAPOLI

INDICVLVS SECTIONVM
Disputationis primæ.

Sectio I. PROPONITVR *status difficultatis & supponuntur aliqua.*

Sect. II. *Referuntur variæ sententiæ.*

Sect. III. *Proponitur quarta, & quinta sententia de tempore quo anima rationalis incipit informare corpus humanum.*

IV. *Afferuntur varij modi explicandi supradictas sententias quoad tempus animationis.*

V. *An ex distinctione juris civilis, & Canonici de fœtu animato & inanimato bene inferat Gallego humanum fœtum ante mensem non esse baptizandum.*

VI. *Referuntur alij sex modi, quibus statuitur à quibusdam Auctoribus tempus animationis fœtus humani.*

VII. *Referuntur alij tres modi explicandi tempus animationis juxta quartam sententiam.*

VIII. *Recensetur nonus dicendi modus.*

IX. *Refertur ultimus dicendi modus:*

X. *Ponitur sententia auctoris.*

1 *Probatur ex sacris litteris quam sit incertum tempus, quo fœtus humanus anima rationali vivere incipiat.*

2 *Afferuntur Patrum testimonia, quibus probatur hujus temporis incertitudo.*

3 *Ratione probatur incertitudo temporis, quo humanus fœtus anima rationali primo vivat.*

Sect. XI. *Resolvitur difficultas ab initio proposita.*

XII. *Proponitur argumentum principale contra supradictam sententiam.*

XIII. *Proponuntur, & referuntur Summi Pontifices, & Concilia pro solutione prædictorum.*

XIV. *Solvitur principale argumentum.*

DE

DE MINISTRANDO

BAPTISMATE

HVMANIS FOETIBVS ABORTIVIS

Disputatio Prima.

PROLOQVIVM

SVMMARIVM.

1 *Parvuli baptizandi sunt propter originale peccatum, quod verè contrahunt.*

2 *Pelagiani id negant, & solum concedunt requiri Baptisma ad Regnum Cælorum comparandum.*

3 *Wiclef, & alij hæretici negant esse necessarium ad vtrumque effectum.*

4 *Calvinus, Bullingerus, & Lullardi asserebant parvulos Christianis parentibus genitos sine Baptismo nasci sanctos.*

5 *Sancta mater Ecclesia necessarium esse Baptisma parvulis quibuscunque, & præsertim periclitantibus semper docuit.*

6 *Opinio quorumdam Philosophica potest esse causa periculi quoad parvulos Abortivos.*

7 *Quod Animæ quorumdam Abortivorum damnentur, pœna est originalis peccati.*

GRAVISSIMAM difficultatem, quam antiquiſſimam etiam dicerem, cum ab Orbe redempto diſputari debuerit, ſed à nullo tam ex antiquis, quam ex recentioribus, quos viderim diſcuſſam, vel excitatam, imo ab omnibus diſſimulatam, & neſcio qua fatali conniuentia prætermiſſam, in examen adduco. Non quidem vt de ea quidquam certi conſtituam, ſed vt quam probabilis ſit ſententia, quæ animarum ſaluti fauet, oſtendam: & ſimul etiam, ut ſapientioribus magiſtris, à quibus me didiciſſe non pœnitebit, dubium indicem, & occaſionem exhibeam decernendi.

De Baptiſmate quippe fœtibus Abortiuorum, ſiue miniſtrando, ſiue ſubtrahendo agitur: hoc eſt, de plurimarum animarum ſalute, vel æterna damnatione. Et quidem de fide penes Catholicos certum eſt, ex *c. 3. Ioannis; quod niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei.* Et ſæpius antea à Conciliis, & nouiſſimè à Sacro Tridentino. 1 *ſeſſ. 5. can. 2. & 4.* Decretum eſt parvulos eſſe baptizandos & ab originali peccato, quod verè contraxerunt, liberandos; id quod contra Hæreticos ſtatutum meritò fuit: nam Pelagiani 2 dicebant Baptiſma non eſſe neceſſarium ad peccatum Originis delendum, ſed ſolum ad Regnum Cœlorum comparandum. Wiclef negabat ad vtrumque effectum eſſe neceſſarium, 3 quem ZWinglius, & Bucerus ſequuti ſunt. Caluinus docebat 4 parvulos ex Chriſtianis parentibus genitos ſine Baptiſmo eſſe Sanctos, cui adhæſerunt Bullingerus, & quidam Hæretici nuncupati Lullardi, qui ſtatim ac anima rationalis corpori vnitur infundi ei gratiam Spiritus Sancti affirmabant, vt videre eſt apud *Thomam Waldenſem tom. 3. tract. d. c. 53. Bellarm. tom. 2. de Sacram. Baptiſmi. lib. 1. cap. 4. Valent. tom. 1. controuerſ. de Baptiſ. Paruulorum. Iodocum Coccium in Theſauro, tom. 2. lib. 5. art. 6.* 5

At Sancta Mater Eccleſia ſemper neceſſitatem Baptiſmi ab ipſa Chriſtianitatis origine recognoſcens, parvulos eſſe Baptizandos firmiter docuit, & affirmauit: & quia olim ſtatis quibuſdam diebus dumtaxat Paſchæ videlicet, & Pentecoſtes hoc Sacramentum publicè miniſtrabatur, illud ſemper enixis verbis

bis declarauit paruulis periclitantibus esse statim tam necessario remedio subueniendum;& quidem tali loquendi modo,vt etiamsi noluerit Philosophicam quæstionem de tempore, quo 6
fœtus viuere incipiat anima rationali,dirimere : attamen particularibus ministris occasionem dederit satagendi,vt quicumque humani fœtus extra vterum maternum viui egrediantur, possint hoc Sacramento à communi culpa liberari.

Cæterum aliqui in Christiano negotio fortasse nimis Philosophorum sententiis addicti, & persuasi, vt humani fœtus, qui immaturi prodeunt in lucem prius tempore viuant anima sensitiua, quam rationali, etiamsi videant illos non integrè, sed ex parte formatos,& aliquem ab intrinseco motum habere propter quem fatentur viuere vita sensus, negligunt tamen baptizare,putantes ipsos anima rationali carere: Id quod veluti sub opinione positum sicuti dubium est,si falsum esset, & re vera anima rationalis adesset, quis non videat perplures animas propter solam Philosophiæ opinionem in æternum damnari ?

Quod vero aliqui fœtus in vtero matris antequam perfectè conformentur decedant,& animæ inexistentes damnentur pœna est originalis peccati,& iudicium Dei imperscrutabile, vti docent, *D. Augustinus de bon.perseu.c.*12.*& lib.de natur. & grat.c.*8.*in fin.& S.Thomas* 2.2.*q.*1.*art.*1.*ad tertium. D. Prosper.*1. *de vocat.gentium c.*13.*Bellarm.lib.*2.*de grat.c.*3.*ad finem, & Suarez* 1.*tom.in* 1.*p.lib.*4.*c.*3.*n.*13.

At quod Parochi fere omnes,& obstetrices fœtus immaturos baptizari non curent, nisi ad certum tempus triginta vel quadraginta dierum peruenerint,quando membra omnia perfectè conformata videntur,est illud, quod apud me totum facessit negotium,& vereor,ne ex nimia quorundam securitate, plurima,eaque grauissima damna sequantur animarum. Idcirco valdè vtilè,& necessarium duxi præsentem disputationem instituere,& veritatem hucusque latentem, & indiscussam, si non ostendere,indicare saltem,& aliis qui perspicaciori vtuntur microscopio ad huiusmodi animulas, si existant, in fœtu discernendas,materiam præbere,& excitamentum.

SECTIO I.

Proponitur status difficultatis, & supponuntur aliqua.

SVMMARIVM

1 *Quando in fœtu immaturè edito apparent humana membra cum motu, absolutè esse baptizandum docent omnes.*

2 *Difficultas est, an conditionaliter sit baptizandus fœtus, quando est adeo exiguus, vt grani hordeacei magnitudinem non excedat, & vix apparent vitæ signa.*

3 *Intentio conditionalis habet motivum, tum quia non est certa Animæ rationalis inexistentia, tum quia Verbum, Baptizo, dubium est, an verificetur propter involucrum secundinarum.*

4 *Baptismus collatus puero secundinis involuto, valet; sed in dubio; & ideo sub conditione collatus, sub conditione est reiterandus.*

5 *Actio Ministri Sacramentorum debet esse prudens.*

6 *Minister Sacramenti Baptismi debet formare iudicium prudens de baptizando hic, & nunc, non tamen debet scire Philosophiam, & Medicinam.*

7 *Sed saltem Auctoritatibus innixus, debet posse iudicare an hic, & nunc fœtus sit animatus.*

8 *Datur in fœtu humano organizatio accidentalis, & quænam sit?*

9 *Organizatio substantialis quæ sit?*

10 *Vtraque organizatio infert esse à causa intelligente.*

11 *Homo inter animalia ovipara quodammodo reputatur.*

12 *Datur Ovum humanæ conceptionis, & quomodo formetur?*

13 *Secundinæ formantur, & intra eas fœtus humanus concluditur.*

14 *Humanus fœtus in ovo formatur, sicut pullus.*

15 *Punctum saliens est primum, quod mouetur in fœtu humano motu composito ex Systole, & Diastole.*

16 *Mola in vtero quid sit, & quam multos decipiat.*

17 *Homunculus vnius mensis in ovo conceptionis quam paruus.*

Non

NOn est dubium quod formato iam fœtu, & apparentibus 1
in eo omnibus humanis membris unà cum motu, quæ sunt vitæ certissima argumenta debeat homunculus ille baptizari: hos enim omnes Catholici admittunt, & absolutè, non conditionaliter baptizant. Præsens difficultas est quando hæc signa non apparent, & certum est conceptionem iam esse inchoatam, & humani opificij prima filamenta deducta; sed dubitatur an anima rationalis adhuc informet corpusculum illud, quod aliquando grani hordeacei, aut minoris phaselli magnitudinem non excedit, vt Anatomicus Gallus *Ioannes Riolanus l.6. Anthropographiæ, c.6 ex Varolio* observavit, & tunc 2
maximè procedit difficultas, an saltem sub conditione possit tuta conscientia, & debeat baptizari?

Quia vero conditio, quæ à Ministro Baptismi in huiusmodi casu dubio debet esse saltem mente concepta, potest ex duplici motivo dependere: primò nimirum si fœtus vivat anima rationali: secundò ex hypothesi quod ita vivat, an sit capax, ut 3
de illo homine verificentur verba formæ Sacramentalis *Ego te Baptizo*, id est lavo: nam cum fœtus huiusmodi secundinis sit involutus, iam non videtur lauari infans cum aqua eius substantiam non attingat, sed involucrum illud secundinarum; duplex hic esset explicanda difficultas.

Prima, an posito dubio, quod in fœtu esset anima rationalis ministrandum sit Sacramentum tantæ necessitatis sub conditione si vivat anima rationali? Secunda, an interpositis secundinis ministrandum sit Sacramentum sub alia conditione, si nimirum verificentur verba formæ? in hoc secundo sensu non intendo examinare præsentem difficultatem, cum luculenter ab eruditissimo P. Diana resolvatur pro affirmativa, licere nimirum sub conditione baptizare infantem secundinis involu- 4
tum ita ille, *p.5.tract.3.resol.4.& 112.& p.10.tract.16.resol.18.* Quamvis huiusmodi Baptismum postea reiterandum esse sub conditione affirmet cum Diana Eminentissimus de Lugo in *respons.moral.lib.1.dub.1.n.10.* Sed in primo sensu procedit difficultas, an scilicet sub conditione, quod in fœtu sit anima rationalis sit ministrandum Baptismi Sacramentum? Et in hoc

sensu ab Auctoribus (quod valde miror) neque propositam disputationem aggredior.

Pendet difficultatis in hoc sensu propositæ decisio a periculo cui exponitur fœtus amittendi perpetuo salutem animæ, si viveret vita rationali: & ideo videndæ sunt, & expendendæ diligenter rationes dubitandi, an fœtus tali anima viuathic & nunc, quando casus occurrit, ita vt prudenter iudicare quilibet possit ministrandum esse Sacramentum. Actio enim Ministri Ecclesiæ debet esse prudens, cum sit illius, de quo dicitur, *Matthæi c.24.n.45. Fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus*
5 *super Familiam suam.* Sed quia ad formandum hoc iudicium practicum non est necesse scire, & scientifice cognoscere omnes rationes Philosophicas, & Medicorum sententias penetrare, quæ de humani fœtus animatione agitantur in scholis, vt patet, cum quilibet possit esse necessarius Baptismi Minister, & teneatur saltem ex charitate in casu contingente formare huiusmodi iudicium, non tamen possit, aut debeat esse Philosophus, vel Medicus, satis esset si in præsenti indicaremus varias Philosophorum, & Medicorum hac de re sententias, cum Auctoribus quibus tales conclusiones defendi possunt, vt sal-
7 tem per rationes extrinsecas liceret iudicare rem esse dubiam, & vtrimque rationes probabiles adesse, ad iudicandum fœtum esse animatum, vel non animatum anima rationali: nam posito dubio huiusmodi, locum habebit, vt videbimus, Theologica resolutio. Cæterum ad pleniorem doctrinæ explicationem non grauabor etiam rationes aliquas Philosophorum afferre, & explicare, vt solidiori fundamento resolutio danda subsistat.

Et ne frustra laboremus in æquiuoco antequam huiusmodi sententias expendamus, præmittendum est duplicem in humano fœtu dari organizationem, seu præparationem materiæ ad animam recipiendam.

Prima est accidentalis, & est illa, qua materia seminalis, à virtute plastica præparatur, & afficitur diuersis accidentibus proportionatis ad formandas diuersas partes heterogeneas; nam frigidum temperamentum ad formandum cerebrum, calidum

calidum ad cor, siccum ad ossa, humidum ad carnem requiritur, & sic de aliis.

Altera substantialis, quæ consistit in variis membris, & partibus ad inuicem substantialiter distinctis, vt sunt caro, ossa, 9
venæ, pulmones, brachia, caput, & similia, de quibus Medici, & etiam Theologi: inter quos admittunt hanc distinctionem communiter receptam *Scotus in 3 dist 2. q. 3. vers. quantum ad secundum. Suarez in metaph. disp. 18. sect. 2, n. 32.* & rursus *l. 1. de An. c. 2. n. 7. 30. & 31. Hurtadus de Mendoça de Generat. disp 2. sect. 6. n. 86.* Vtraque organizatio est adeo artificiosa, & mirabilis, vt valde laborent Philosophi in assignanda causa efficiente creata tam ingeniosi opificij. *Scotus de cæl. comm. 69. & seq. dixit semen agere virtute Diuina, & 7. metaph.* text. 31. *virtutem seminis esse Diuinam, & artificiosam, & intellectualem. Galenus in lib. de fæt. format.* sentit admirabilem operationem seminis non esse absque aliquo rationis, & intellectus compote. 10

Vt autem melius humanus fœtus cogitatione concipiatur, & intelligatur quid sit illud, cui ministrandus est Baptismus, sciendum imprimis, quod forte alicui incredibile videbitur, ho- 11
minem inter ouipara animalia non male connumerari aliquo modo posse; & esse adeo verum, vt etiam ipsi fabularum inuentores, vt in auditorum animis sibi fidem conciliarent, illi quam adinuenerunt fabulosæ commentationi, hanc veritatē pro fundamento suppoſuerunt. Vnde, Lædam ex Iove in Cycnum conuerso, grauidam, ovum peperisse, ex quo gemini prognati Castor, & Pollux refert *Theatr. vit. hum. to. 4. p. 1. Clearchus in amatoriis apud Athenæum l. 2. c. 17.* Helenam ex ovo natam fuisse testatur; imo Selenitidas mulieres ova parere, indeque nascentes homines quinquies decies nobis grandiores approbat *Herodotus Heracleotes*: & refert *Aldrouandus de Histor. monstr. initio.* Sed fabulosis istis omissis veniamus ad ea, quæ apud oculatos testes, & expertos Autores sunt certissima, & receptissima, & præsertim apud *Aldrouand. ibid. cap. 1. fol. mihi 48.* Quod mixtis ambobus seminibus, maris scilicet & fœminæ in odem ut ero, quædam substantia subito producitur, quam

Placentam

12 Placentam vocant, siue ex eadem genitura, ut communior opinio Medicorum asserit, remanente pro subiecto transmutationis: sive post actum prolificum utero fœcundato resolvantur, & euanescant eadem semina, ut per exactissimas observationes in sectionib. Damarum factas, deprehendisse credit *Harueus*: arteriarum osculis in uteri cauitate apertis, paulatim sanguis tunc effluat in illum locum, & ex uteri prolifico calore concrescat, ut sentit, *Nathanael Highmorus in disquisit. anatom. corpor. human. l.1.p.1.c.5.vers. Atque sic.* Illico quadam tenui pellicula superinducta, huiusmodi Placenta quasi intra tenuissimum ovi putamen concluditur. Iam post huiusmodi conceptionem munimenta fœtus, nimirum duæ tunicæ producuntur, quarum
13 prima Allanthoides, secunda Amnea; & duarum simul compago Chorion appellatur. *Vesal. l.5.c.17.* Deinde tres Ampullæ, ut testatur etiam cit. *Riolanus l.1. Anthropograph. c.6.* ibidem formantur instar vuarum racemi, in quarum media punctum seu corpusculum generatur, quod vel est Iecur, vt sentit Galenus; vel, vt cum Aristotele philosophantur Auicenna, & alij, est cor, aut certe fundamentum totius corporis: & ab hoc puncto, inquit, totius corporis generatio inchoatur. Aliæ duæ vesiculæ nihil præter aquam continent pellucidam, quæ in alimentum convertitur illius corpusculi; & hanc esse primam hominis formationem asserunt artis professores, & ovum conceptionis appellant.

14 Addendum etiam, quod ista prima hominis conceptio in utero mulieris eo modo se habet, sicuti Pullificatio, seu pulli ex ovo formatio; id quod docuit *Hippocrates in l. de nat. puer.* & adhæret *Aristoteles l.7. de Histor. animal. c.7. & lib.3. de generat. animal. c.9.* idemque confirmat *Riolanus* ex practica observatione, *& Iacobus Rueffus in libello de concept. hom. c.2.3.4.5.6.* At vero contingit in pullificatione, vt fieri observarunt multi, & præsertim *Vlysses Aldrovandus Ornithologiæ l.14. pag. mihi 127. Guillielmus Harveus exercit.17. de tertia oui inspect.* quod in principio quartæ diei ab incubatione Gallinæ apparet punctum quoddam sanguineum saliens, quod iam movetur, ut animal,
15 inquit *Aristoteles de Histor. anim. l.6. c.3.* & pulsatione rythmica

seruat

ſervat ordinem compoſitum ex Syſtole, & Diaſtole. Ex hoc puncto ſanguineæ venæ in ramuſculos diffuſæ apparent: & ita, prorſus contingit in prima hominis generatione, ut teſtatur etiam *Hippocrates lib. cit. de natur. puer.* ubi docet ſe obſervaſſe in illo ſex dierum fœtu à ſaltatrice Muliere excreto quod detracto ovi putamine apparuit rotundum quoddam corpuſculum rubrum, & circa ipſam fibræ venulæ, quæ albæ quidem, ſed exterius erant ſanguineæ.

Hæc ſunt quæ de prima hominis conceptione præcogitanda ſunt, ut ſciamus diſtinguere in hoc primo tempore fœtum humanum à mola, quam etiam mulieres interdum geſtant in utero putantes ſe eſſe fœcundas cum non ſint. Nec mirum quod 16
mulieres errent in geſtatione molæ, cum inter molam, & fœtum quandiu ſunt in utero, tanta ſit convenientia, ut innumeros aberrare fecerit Medicos, teſte *Nicolao Rocheo de morb. mulier. c.* 7.

Eſt autem mola, ut *Hippocrates deſcribit lib.* 1 *de morb. mulier.* fruſtum vel plura fruſtula carnis concepta ex abundantia menſtrui, & paucitate ſeminis. Hanc vero molam, quia fœtus non eſt, à noſtra conſideratione penitus ablegamus, & advertimus hanc non eſſe, de qua præſens procedit diſputatio, quando quærimus, an fœtus nondum formatus, ſit baptizandus.

De ovo igitur in prima hominis conceptione formato, & de corpuſculo, quod intra ipſum ovum genitum apparet diſputandum eſt: quod ſane corpuſculum eſt adeo puſillum, vt ex 17
Botallo l. de miſſ. ſanguin. c. 3. *Riolanus loc. cit.* dixerit fœtum menſtruum vix accedere ad pondus unius drachmæ quamvis integerrimè ſit formatus: & de hoc incerto virunculo, quærimus an baptizandus ſit, ſaltem ſub conditione.

Neque alicui id videatur incredibile, vel abſurdum; nempe hominem adeo puſillum omnibus partibus, ita eſſe figuratum, ut plures & primarij Medici fateantur in eo animam rationalem exiſtere; nam culices, muſciculæ, pediculi, aliæque beſtiolæ, ut ope microſcopij intueri licet (& ego ſæpius vidi) pluribus diſtinctiſque organis, oculis, & pupillis prædiræ ſunt, quæ tamen ſenſum effugiunt, niſi ad oculum ſpecillis augeantur: &

tamen integra sunt animalia, & animam in suo gradu perfectam habent.

SECTIO II.

Referuntur variæ sententiæ.

SVMMARIVM.

1 *Embryonem esse animatum anima matris, refellitur.*

2 *Non sunt in humano corpore tres animæ distinctæ.*

3 *In humano fœtu primò esse animam vegetativam, mox ista corrupta succedere sensitivam, tandem pereunte sensitiva creari animam rationalem docet S. Thomas.*

4 *S. Thomas non determinat tempus, in quo fœtus humanus vivat tantum anima sensitiva.*

5 *Christi corpus fuit in primo instanti perfectè formatum.*

6 *Explicatur* S. Augustinus, *de perfecta Christi corporis formatione vsque ad partum, quando dicit tot diebus fuisse formatum Christi corpus, quot annis Templum Hierosolymitanum fuerat ædificatum.*

7 Jobi c. 10. *describitur formatio humani fœtus similis primi hominis creationi.*

8 *Aliqui ex Sanctis Patribus sentire videntur luteam Adami statuam prius tempore fuisse organizatam, deinde animatam.*

9 *Sed explicantur commodè de accidentali organizatione.*

10 *Angelicum ministerium in creatione Adæ, si forte interfuit, solum fuit ad deferendum, & congregandum lutum in loco creationis.*

11 *Sed dato, quod illa organizatio prævia fuerit substantialis, fuit tanta celeritate facta, vt Angelorum ministerium præuenisse sentiat Suarez.*

12 *Ex cap. 10. Iob re vera solum infertur, quod organizatio illa in prioritate naturæ, non temporis, præcesserit animationem.*

13 *Videtur inutilis organizatio substantialis, quæ tempore præcedat,*

cedat, si datur resolutio vsque ad materiam primam.

14 *Etiam in sententia asserente dari formas partiales in materia præcedentes, ex cit. c.* 10. *Iob, non infertur prius tempore materiam illam fuisse substantialiter organizatam.*

15 *Probabile est, quod formatio illa materiæ, & creatio animæ in illa fuerint actiones simul, & in instanti à Deo factæ.*

16 *Deus in productione aliorum animalium operatus est in instanti, & non successiue, & per partes, vt faciunt Agentia naturalia.*

HIs præmissis: prima sententia est eorum, qui dixerunt Embryonem esse inanimatum, operationes autem vitæ, 1
quæ in ipso apparent, vel esse ab anima matris, vel à virtute formatiua seminis.

Sed hanc refert, & refellit *S. Thom.* 1. *p. q.* 118. *art.* 2. *ad* 2. quia opera vitæ, qualia sunt sentire, nutriri, & augeri non possunt esse à principio extrinseco, cuiusmodi sunt tam anima matris, quam virtus formatiua seminis.

Secunda sententia est aliorum dicentium, tres animas omnino distinctas esse in homine, vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, easque sibi inuicem paulatim succedere, & tamen simul in eodem corpore, quandiu viuit, permanere.

Sed rejiciuntur communiter præsertim à *S. Thoma* 1. *p. q.* 76. 2
art. 13. *& 2. contra gentes c.* 50. *&* 59. *Hurtado de generat. disp.* 2. *sect.* 8. *n.* 104. 105. 106. 107. *& de An. disp.* 1. *sect.* 4. *num.* 24. 25. 26. 27. 28. quia homo non esset vnum compositum substantiale: essent enim in in eo tres formæ distinctæ: & vnum aggregatum ex pluribus compositis, nimirum arbore, bruto, & homine: tum quia cum anima sensitiua sit formaliter vegetatiua, vt patet in brutis, etiam anima rationalis est formaliter sensitiva, sicut homo est formaliter sensitiuus, non minus, quam alia bruta. Vide *S. Thom. q. vnic. de An. art.* 11. *&* 1. *p. q.* 76. *art.* 3. *&* 4.

Tertia sententia est illorum, qui moti supradictis rationibus, 3
& aliis quas prosequitur. S. Thom. cum suis, dixerunt in homine, seu embryone hominis, esse vnam tantum animam; sed hanc à principio dicunt esse solum vegetatiuam, deinde virtute for-

tiua ſeminis produci animam ſenſitiuam, & illam priorem corrumpi, cum ſenſitiua ſit etiam vegetativa: tandem ab extrinſeco venire, ut loquitur *Ariſtoteles l.2.de generat.animal.c.3.* hoc eſt Deo creante, produci animam rationalem, ita *S.Thomas p.1. quæſt.76.art.3.ad 3.& q.118.art.2.ad 2.& 2.contr.gent.c.89.verſ. Nec eſt inconueniens*: ſequuntur omnes Thomiſtæ, & alij etiam *vt Conimbr. l.2.de An.c.1.q.4.art.2.* & plures è ſchola Medicorum. Et probant, quia materia fœtus prius diſponitur, ut ſolet natura ad vitam imperfectam, id eſt vegetativam, deinde ad perfectam, & tandem ad perfectiorem. Exemplum afferunt amygdalarum, quæ prius habent aqueum humorem, deinde duriorem, cum quo educitur nuclei forma. Hoc fundamento procedunt ij auctores, & quia Medici, & Parochi vident huius ſententiæ Anteſignanum S.Thomam, facile docent, non debere nos circa hos fœtus, in quibus apparent primæ operationes ſenſitivæ, quales ſunt conſtringi, ſi acu pungantur, dilatari ſecundum aliquas partes; ſi in aquam immegantur, innatare, & moveri in ea tamquam piſciculos; non inquam debere nos eſſe valde ſollicitos, vt illis miniſtretur Baptiſmi Sacramentum, niſi poſt diem trigeſimum vel quadrageſimum, quia ante hoc tempus vivunt ſolum anima ſenſitiva, ut Sanct.Thomas, loc. cit. & aliqui Medici aſſerunt, quos infra citabimus.

4 Sed re vera licet S. Thomas dicat humanum fœtum prius vivere anima ſenſitiva, quam rationali; at nec loc.cit. nec alibi dixit obſervandos eſſe illos, vel alios dies ad formandum iudicium de inexiſtentia animæ rationalis: imo vero, cum *in 3.p. q.3 art.1.ad 1.* reſponderet ad difficultatem factam ex auctoritate *S.Auguſtini l.4 de Trinit c.5.& l.83.quæſtionum, q.56.* hanc Medicorum obſervationem, nequidem indicat: cum enim poſuiſſet hanc concluſionem, quod corpus Chriſti fuit perfectè
5 organizatum in illo primo inſtanti, quo materia ſanguinis congregata pervenit ad locum conceptionis, & contra ſe in primo argumento obieciſſet, quod quadraginta ſex diebus fuerat formatum Chriſti corpus, nam quadraginta ſex annis ædificatum fuit Templum Hieroſolymitanum, quod *ex c.2.Ioan.* figurabat

Chriſti

Christi corpus,& *quot anni fuerunt in templi ædificatione tot dies fuerunt in corporis Dominici perfectione* inquit *S. Augustinus*, respondet *S. Thomas*, dicerem D. Augustinum verificari non de sola formatione Christi corporis, sed de illius perfectione, & augmento vsque ad Natiuitatem: & expresse S. Augustinus dicit, quod si dies quadraginta sex ducantur in numerum senarium, conflabunt dies ducentos septuaginta sex, qui novem menses, & sex dies, comprehendunt à, vigesima quinta die Martij, vsque ad vigesimam quintam Decembris. Hunc solum dierum numerum circa humanum corpus obseruat S. Thomas ibi; non autem tempus formationis tantum: verum quidem est, quod ibidem S. Augustinus refert, & non refellit dies, quos nonnulli è Schola Medicorum obseruant circa humanam conceptionem; vt nimirum sex primis diebus fœtus habeat similitudinem lactis, sequentibus novem diebus conuertatur in sanguinem, deinde aliis duodecim solidetur, reliquis decem, & octo formetur homunculus, vsque ad perfecta lineamenta membrorum, & tandem perficiatur usque ad natiuitatem. Sed hanc obseruationem S. Augustinus non affert tanquam suam, vel tanquam alienam, vt approbet; sed solum refert his verbis: *Dicitur autem conceptio humana sic procedere, & perfici, vt primis sex diebus, &c.* & eam adducit ad ornamentum, & eruditionem, non quia esset ad proprium institutum necessaria, cum satis sibi foret multiplicare numerum quadraginta sex per senarium, vt auctoritatem Ex Euangelio petita de ædificatione templi, interpretaretur de perfecta Christi corporis formatione usque ad partum: quare neque S. Augustini, neque S. Thomæ, auctoritate potest prædicta dierum obseruatio confirmari.

Nihilominus hæc sententia S. Thomæ, & quibusdam Medicis adscripta videtur non male probari ex *c.* 10. *Iob vers.* 10. 11. & 12 vbi describens primo loco S. Job tum primi hominis in Paradiso formationem ex luto, tum omnium deinde in vtero matris generationem dicit: *Memento quæso, quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me, nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? pelle, & carnibus vestisti me, ossibus, & nervis compegisti me: vitam, & misericordiam tribuisti mihi &c.*

In quibus verbis præmiſſa Adæ ex luto formatione, ſtatim quaſi ad eius imitationem fiat ipſa naturalis procreatio, dicit ad inſtar lactis,& caſei ex ſemine viri tanquam ex coagulo, & ex ſanguine mulieris tanquam ex lacte materiam generationis in vtero primum concreſcere;quæ ſimilitudo ex caseo coagulato deſumpta non ſolum indicatur à Salomone *Sap. c.7.verſ.2.* ſed eam latè docet *Gloſſa* in hunc locum *Iobi*, *Ariſtot.l.2. de gener.animal.c.4.Galenus lib. de ſemine. Plinius lib. 7. c.16. Gellius l.3.c.16.*Sed Medici omnes admittunt.Deinde ſubdit S.Job partes omnes diſſimilares figuratas, & conformatas, pellem, carnes,oſſa,neruos, &c. varia membra conſtituiſſe,ex quibus tandem integratum corpus organicum,*vitam*, id eſt animam, & *miſericordiam*,id eſt animæ vitam, ſanctitatem à Deo infuſam accepiſſe vt ſit homo.

Cum autem hominis generatio deſcribatur cum ſucceſſione materialis præparationis, vt prius intelligatur corpus organicum eſſe factum,& inſtructum ſuis partibus,deinde animatum; & hoc totum fieri ad imitationem primæuæ creationis, conſtat,& probatur prius tempore hominem viuere vita ſenſitiua, quam rationali, quia præceſſit organizatio ſubſtantialis. Et videtur eſſe ſententia S. Auguſtini in lib. quæſtionum veter. & nou.teſtam.quæſt.23.vbi habet:*Contemplemur factluram adæ, in Adam enim exemplum datum,&c.quia primum oportebat domum compaginari,& ſic habitatorem induci*, &c. Verum huius libri Auctor,ut infra videbimus non eſt *D. Auguſtinus*, ſed aliquis Hæreticus. Idem ſentire videtur *Auctor libri de ſpiritu,& anima c.9.*qui tamen licet ſub nomine Auguſtini,eſt cuiuſdam viri docti,ut obſervavit Bellarminus,conſentit etiam *D.Hugo Eterianus tom.9.Bibliothecæ veterum Patrum lib.de An.regreſſ.c.4.*

8 Quod autem prima Adæ ex luto creatio facta fuerit, ita ut prius tempore non ſolum figurata fuerit à Deo exterius,ſed etiam interius formata,& organizata cum omnium membrorum internarumque partium delineatione, & diſtinctione docent multi ex Patribus,ut *S.Auguſtinus 1.retract.c. 10. & lib.13. de ciuit.c.24.Chryſoſtomus homil. 12. & 13. in Geneſim Hilar.in Pſalmum 118.Cyprianus epiſt.64.Diodor.apud Lippoman. in caten. Abulen.*

len.in c.2.Geneſis.D.Bonauentura in 2.d.17.n.3.D.Alcimus cap.6. Pined.in Iob.c.10. Qui omnes ita de ea loquuntur, vt videantur ſentire quod lenior eſſet pars in carnem conuertenda, durior quæ in oſſa, politior quæ in cutem, flexibilior quæ in neruos, & quæ in medullas mollior, & ſic ante animationem corpus eſſet organicum potentia vitam habens, ut ait *Ariſtot.2.de An.c.1.&* 2. Imo videntur hi Patres indicare, quod ita in prima creatione hominis Deus obſeruauerit, vt præluderet eiuſdem generationi, & minus miraculosè, quam oporteret, formaretur homo, ſuæque naturæ conformior, cum ſine neceſſitate Deus miracula non faciat.

Sed reſpondetur, quod licet in argumento aſſumantur multa tanquam certa, quæ ſint valde dubia, & fortaſſe non vera, non tamen probant hanc ſententiam: nam licet concedamus Deum præluſiſſe in prima hominis creatione eiuſdem naturali propagationi; & licet vera eſſet ſententia illorum Patrum, qui dicunt prius formatam eſſe luteam illam ſtatuam, & deinde animatam; licet etiam demus organizatam fuiſſe interius, & non tantum figuratam exterius; hæc tamen nec ſimul ſumpta, nec ſeorſim concludunt intentum.

Et vt ab hoc vltimo incipiam; certum eſt, quod in luto tota illa diuerſitas partium interiorum conſiſtit ſolum in maiori, vel minori duritie, aſperitate, lenitate, & mollitie eiuſdem luti, & varia delineatione, & figuratione, ergo in accidentali tantum diſpoſitione.

Deinde conceſſa illa Patrum ſententia tanquam probabili, quod nimirum prius tempore corpus Adami ſit à Deo formatum, nihil tamen infertur pro hac tertia ſententia, quæ aſſerit ante trigeſimum, vel quadrageſimum diem corpus humanum non animari anima rationali; nam ob creatoris infinitam virtutem, & omnipotentiam, & ob perfectiſſimam creaturæ ſubiectionem, cum tanta, imo maxima celeritate facta eſt ſtatuæ illius formatio, & præparatio ad animam recipiendam, ut *Suarez in lib.de opere ſex dierum lib.3 c.1. n.15.* putet Angelorum miniſterium non interfuiſſe, ſed ad ſummum potuiſſe ſolùm inſeruire ad congregandam materiam, & lutum in illo loco determi-

determinato: at vero nullatenus ad lutum comprimendum, & formandum, ſed formationem illam ſuperaſſe omnem Angelorum virtutem, & velocitatem: quare ſi Deus voluit, vt hanc formationem imitaretur naturalis in vtero generatio, ſolum infertur, quod breuiſſimo tempore præceſſerit Animæ ratio-
11 nalis creationem, & infuſionem organizatio illa à S. Jobo deſcripta, ut aliqui ex Auctoribus pro quarta ſententia afferendis exiſtimant de facto contingere.

Præterea ex auctoritate, & ex modo, quo S. Job deſcribit propagationem humanam non ſequitur, quod prius tempore organizatio præcedat animationem, ſed ſatis eſt, quod prius natura; vt etiam Pineda aduertit, in ordine ad operationes, quas anima in ſuo ſubiecto exercet; quia reſpectu illarum corpus organicum habet rationem cauſæ materialis. Imo in ſententia *S. Thom. & Thomiſtarum*, qui vt in præſenti aduertit bene
12 *Auerſ. q. 45 de corpore animato ſect. 2. verſ. aſſerendum*, cum rejiciant in univerſum omnem formarum pluralitatem in vna materia, & dicant in mutatione ſubſtantiali dari reſolutionem vſque ad materiam primam non apparet ad quid tempore præcedente adſit in materia primum anima vegetativa, & deinde iſta corrumpatur adveniente ſenſitiva, & eodem modo, adveniente rationali, hæc deſinat eſſe; nam ſemper anima, & quælibet forma ſubſtantialis in hac ſententia advenit materiæ nudæ, & reſolutæ ab omni forma etiam accidentali.

Dices inſeruire ad ſigillandam, & determinandam materiam, vt ita determinata naturaliter exigat talem formam.

Sed contra, quia hæc determinatio, præter quam quod, eſt mera denominatio extrinſeca, cum nulla forma ſit in materia, quando denominatur, bene, & ſufficienter intelligitur facta per talia accidentia abſque multiplicatione animæ vegetativæ primum, & deindè ſenſitivæ; ergo ſuperflua eſt iſta animarum præceſſio: ideo refert Viguer eiuſdem familiæ alumnus c. 1. Inſt. §. 2. verſ. 1. ab Oxonienſi Academia fuiſſe reprobatam.

Quod ſi, ut alij philoſophantur, dentur formæ partiales heterogeneæ, quæ præcedant animam, & cum anima remaneant in materia, vt voluit *Scotus in 4. diſt. 21. quæſt. 3. art. 2.* cum ſuis, &

Medi ci

Medici communiter asserunt apud *Bannes* 1. *de generat. c.* 4. *q.* 8. *art.* 4. quos refellit *Auersf. loc. cit.* adhuc respondetur ex hac Iobi descriptione non probari intentum, quia ex modo loquendi ipsius solum habemus, prius enumerari partes heterogeneas corporis, & deinde animæ creationem: at cum non potuerit omnia simul, & vno verbo recensere, ideò vnam formam post aliam necessariò numerauit; id quod etiam in illa satis probabili sententia seruandum fuisset, quæ dicit simul cum anima, & non prius esse in corpore partes heterogeneas, quatenus sunt eius effectus proprij: quam sententiam latè, & efficaciter tuetur *Suar. de An. lib. pr. c.* 1. *n.* 6. 22. 13. *&* 24. *&* *Auersf. loc cit.* vbi docent, quod iuxta variam accidentium dispositionem iam introductam in materia siue à calore vteri, siue à plastica virtute seminis, siue etiam à solo Deo, vt infra videbimus, vna & eadem anima indiuisibilis diuerso modo se vnit, & communicat diuersis partibus materiæ.

Tandem assumitur etiam in argumento ex Auctoritate S. Iobi desumpto tanquam certum, quod prima humani corporis ex luto facti formatio tempore præcesserit animæ rationalis creationem, quod non est certum; imo in contrarium satis probabiliter sentiunt *Damascenus, lib. 2. de fide c.* 12. *Nyssenus lib. de opif. hom. cap.* 28. *&* 29 *S. Augustinus*, qui licet loco supra citato valde propendeat in illam sententiam, tamen hanc oppositam probabilem putat, & tenet *lib. 2. de Genes. contra Manichæum c.* 8 *&* *ipse S. Thomas* 1. *p. q.* 91. *art.* 2. *&* *sequent.* & præsertim *art.* 4 *ad* 3. & probabiliorem vocat, & tuetur *Suar. de opere sex dierum lib.* 3. *c.* 1. *num.* 13. nimirum subito, & in momento, ac simultanea operatione Adami corpus esse compactum, & in corpore animam à Deo fuisse productam; & probat, tum quia magis consentanea est hæc sententia illis verbis Sacræ Scripturæ: *Faciamus hominem ad imaginem*, &c. *Creauit Deus hominem*, &c. *Et formauit Deus hominem*, &c. tum quia hac simultanea & instantanea mutatione videtur Deus creasse cætera animantia, tam quoad accidentalem quam quoad substantialem organizationem, cum ea produxerit simplici, & absoluto vocis imperio: & tertio, quia non fecit alias

creaturas eo modo, quem poſtea naturalia agentia deberent imitari, licet ex præjacente produxerit materia: vt patet in productione volucrum ex aquis, & aliorum animalium ex terra, ſed altiori, & nobiliori modo operatus fuit, utpote ad inſtar creationis ſubitò, & in inſtanti, non autem per partes, & ſucceſſivè, ſicuti fit ab agentibus naturalibus; & quidem meritò, vt diſtingueretur modus operandi Divinus, qui eſt à virtute independente, & infinita, à modo operandi creaturæ, quæ in eſſe, & operari dependens eſt, & limitata; quare non poteſt dici quod in formatione primi hominis debuerit, aut voluerit præludere naturali hominum propagationi. Ideo hæc tertia ſententia non ſatis efficaciter probatur ex auctoritate Jobi.

SECTIO III.

Proponitur quarta, & quinta ſententia de tempore, quo anima rationalis incipit informare corpus humanum.

SVMMARIVM.

1 *Embryonem prius vivere vita vegetiva, ſentiunt aliqui.*

2 *Ioannes Gallego Philippi tertij, & quarti Hiſpaniarum Regum Medicus reprehendit eos, qui dicunt animam rationalem creari in materia generationis.*

3 *In inſtanti, in quo creatur anima rationalis in materia, dicit idem auctor corrumpi dumtaxat formam Embryonis, quæ ibi tantum præcedebat.*

4 *Non placet idem auctor, dum dicit contra ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſenſum, & reuerentiam animæ rationali debitam facere, qui illam in humida materia ponunt.*

5 *Anima rationalis non educitur de potentia materiæ, ſed creatur ex nihilo.*

6 *Non præcedit tempore suum corpus, sed in ipso creatur.*

7 *In vnoquoque homine est vna tantum anima.*

8 *Anima rationalis est immortalis, & est vera forma informans corpus, & contrarium dicere, est gravi censura dignum.*

9 *Fœtus à principio statim ac est completè accidentaliter organizatus informatur anima rationali ibi à Deo creata.*

10 *Explicatur Aristoteles quando dicit hominem prius vivere vita plantæ, deinde animalis, & tandem hominis.*

11 *Vita apud Aristotelem duplex est, altera substantialis, quæ consistit in actu primo, & altera accidentalis, quæ consistit in operationibus.*

12 *Sententia affirmans animam rationalem creari in materia statim, ac perfecta est accidentalis organizatio est multorum veterum, & recentiorum, & probatur multis.*

13 *Hac sententia melius explicat miraculosam Christi conceptionem absque tot miraculorum superflua multiplicatione.*

14 *Christi corpus fuisse in primo instanti perfectè organizatum, formatum, animatum, & assumptum à verbo Divino certum est ex Conciliis, & Sanctis Patribus, & contrarium est temerarium, & erroneum.*

15 *In hac sententia melius explicatur cur non debuerit nasci ante novem menses, & cur non creverit in maiori quantitate.*

16 *Afferuntur, & explicantur aliqui Sancti Patres, & interpretes de parvitate Christi corporis in instanti incarnationis.*

17 *Assignatur causa efficiens humani fœtus, tam ingeniosè organizati.*

18 *Absurdum videtur, quod aliquando corpus humanum sit animatum, & non ab anima rationali.*

QVarta sententia est cuiusdam recentioris existimantis supradictam tertiam sententiam nimis de trahere animæ rationalis dignitati, quãtenus illam in fæces seminales, & sãguineam materiam Auctores immergunt. Hic autem dicit fœtum vivere prius vita vegetativa, quam ipse vocat Embryonis: hic est

Joannes Gallego Hispanus,& Philippi tertij ,& quarti Medicus, qui anno 1634. edidit tractatus quinque de generatione, vbi præsertim *lib.*1.*tract.*1.*cap.*19.*vers.Quapropter.* temerarium
2 dicit asserere quod anima rationalis à Deo creetur in solo semine, vel in massa ex semine,& sanguine permixta : Idem repetit *cap.*35.*vers. Quam vero.* vbi dicit contra Sanctissimæ Matris Ecclesiæ Romanæ receptam opinionem sentire, qui dicunt in liquido adhuc existente humore, defluique paratissimo, animam pretiosissimam introduci. *Et cap.*33.*vers.Nobis tamen,* dicit superfluam esse animam sensitiuam, ad introductionem animæ rationalis, propter rationes iam factas contra tertiam sententiam,& sufficere formam Embryonicam viuentem anima Embryonis.

Probatur hæc sententia, quia nulla ratio Physica conuincit, vt inter vegetantem,& rationalem sit forma intermedia sensitiua ; imo potius est impedimento ; nam ad introductionem rationalis, satis est debita attemperatio, & organizatio corporis. Sed hæc omnia sufficientissimè præstat anima Embryonica actu recipiens influxum,seu directionem ab anima matris,quæ est agens principale vniuocum. Et ita intelligit *Galenum lib.*1. *de sem.* loquentem de hoc principio cum ait. *Illud habere fœtum quatenus , vt planta gubernatur, & solum viuere , ut viuunt*
3 *plantæ vsque ad expressam formationem quæ apparet in tertio tempore , quando iam distinguuntur hepar , cerebrum, & cor,cum omomnibus vehiculis,per quæ fit cõmunicatio,*&c.Et vers.*Quapropter,* docet, quod in eodem instanti in quo absolutũ est hoc modo cor , cerebrum , & hepar,creatur in illo corpusculo anima rationalis à Deo,& corrumpitur anima Embryonis,& anima rationalis continuat actiones iam inchoatas nutritionis , augmentationis , exsiccationis,omnium partium separationis , ac perfectæ elaborationis ; & propterea dicit *Galenum* 1. *de sem.* dixisse *plantam hanc , cum fit animal , non amittere quam habebat facultatem , sed alia insuper acquisita animal reddi,* &c.

Cæterum licet quæ Gallego dicit de anima Embryonica,& de introductione animæ rationalis satis probabiliter disputet,

&

& non male ab omnibus audiantur, illud tamen, quod de anima rationali addit, nempe in irreverentiam hujus nobilissimæ formæ esse excogitatum, & contra Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sensum quod in immundam materiam introducatur, nimis scrupolosè, & immeritò exaggeratur; nam quod substantia spiritualis informet impuram materiam, neque physicè, neque moraliter detrahit illius dignitati, cum ex parte animæ immaterialis & incorporeæ non detur contactus quantitativus, qui solus est conspurcationis periculosus: sicuti re vera, licet totus homo compositus ex anima rationali tamquam ex nobilissima forma dicatur *Iob. cap. 14. n. 4. de immundo conceptus semine*: non tamen propterea detrahitur aliquid formæ præstantissimæ, sed magis declaratur admirabilis Dei sapientia, quod gemmam pretiosissimam absque sui vilitate intra luteum vas collocaverit; sicut radius solis impura tangit, neque tamen contaminatur. 4

Et ipse Gallego fatetur animam rationalem advenire ad exsiccandas, magisque discernendas partes dissimilares, & membra: ergo si tunc non est periculum, vt in illa humida, mucosa, & non adhuc exsiccata materia fœdetur, cur paulo ante tam scrupulose timet Catholicus auctor? neque Sancta Romana Ecclesia, vt huiusmodi periculum præcaveret, fuit vel minimum sollicita: sed solum declaravit aliqua de fide circa substantiam animæ rationalis. Quæ autem sunt de fide ab Ecclesia determinata circa animam rationalem sunt hæc.

Primò animam rationalem non educi de potentia materiæ, vt cæterorum viventium formæ educuntur, sed ex nihilo à Deo esse creatam, & esse spiritualem. Ita in *Conc. Lateranen. sub Innocentio III. c. Firmiter. de sum. Trinit. & Fide. Vide Mag. in 2. d. 18. S. Thom. 1. p. q. 118. art. 2. Bellarm. tom. 3 de amiss. grat. l. 4. c. 11. vers. Quod vero. Suar. de ani. l. 1. cap. 9. n. 11. & de Ang. lib. 1. cap. 5. num. 7.*

Secundo non esse creatam ante corpus, vt male sensit Origenes: cuius error damnatur *à Leone I. Pontific epist. 31. & in 1. Conc. Bracar. cap. 7.* sed creari in ipso corpore, vt *Leo I.* statuit *in epist. ad Toribi.* & in *Conc. octavo Const. act. 11.*

Tertio non esse in unoquoque homine nisi unam animam: id quod repetitur *in Conc. octauo Constan. Can.* 11.

Quarto esse immortalem, & à corpore independentem, in alio *Conc. Lateranens. sub Leon. X. sess.* 8. Esse autem in homine veram formam informantem, licet expresse non sit definitum: est tamen apud Theologos ita certum ut contrarium censura gravi sit dignum, quod docet Suarez *lib.* 1. *de An. cap.* 8. *n.* 4. & merito cum in dicto *Concil. Lateranens. sub Leone X. sess.* 8. post quam gravissimis verbis damnatus fuit error contra animæ rationalis immortalitatem, statim dicitur: *cum illa non solum per se, & essentialiter humani corporis forma existat, verum immortalis: &c.*

Hæc sunt quæ Catholici communiter fatentur, & sunt certa; cætera autem Sancta Ecclesia relinquit Theologorum, & Philosophorum considerationi; Itaque hæc sententia Gallegi Ecclesiæ auctoritate non probatur.

Quinta sententia est illorum, qui dicunt fœtum à principio habere virtute seminis accidentalem organizationem; sed statim ac perfecta est, & completa huiusmodi organizatio, itaut naturaliter exigat materia istam vnionem cum forma substan-
9 tiali, creari ibi à Deo animam rationalem, quæ non statim omnia munera vitæ exerceat, sed ea primum quæ sunt vegetativæ, deinde quæ sensitivæ, & demum suo tempore quæ intellectivæ sunt animæ; & ita intelligunt quod auctores communiter dicunt *ex Aristotele, lib.* 2. *de generat. animal. c.* 3. *Hominem*
10 *prius vivere vita plantæ, deinde animalis, & tandem hominis*: hoc est gradatim procedere in exercitio harum operationum, quia primo tempore apparent operationes vegetativæ, secundo sensitivæ, & postremo rationales.

Et quidem negari non potest, hanc interpretationem esse ad
11 mentem Aristotelis; nam apud ipsum vita, vel vivere, duplici significatione accipitur: primo modo substantialiter, ut idem sit vita, vel vivere ac animam esse vnitam corpori, & illud substantia sua informare: secundo modo accidentaliter, ut importet operationes, & actus, qui accidentia sunt, sed magis sensibilia, & nota.

Est

Est autem hæc distinctio ipsius Aristotelis, *lib.*1.*Ethic.cap.*7. ubi loquens de illo animali, quod rationem habet, hoc est de homine, præmittit hanc eamdem distinctionem, & asserit vitam accidentalem dici magis propriè; hoc est, ut ego intelligo, magis communiter, cum ait *quandam esse vitam rationem habentis, sed cum hæc bifariam dicatur, exponenda est, quæ est actu, & hæc magis proprie dicitur vita. Et l.*10. *Ethicor. cap.*7. ait *Vita quædam est operatio.* De priori autem acceptione loquitur, *l.*2. *de anim. text.*37. cum dicit, *Vivere in viventibus est substantiale, &c.* At vero cum loquitur in allegato *c.*3. *lib.*2. *de gener. anim.* de vita hominis, quod intelligat in secundo sensu constat ex eo, quod dicit in eadem significatione; *l.*5. *de gener. anim. c.*1. *animalia quædam cum dormiunt, vivere vita plantæ*, &c. At manifestum est animalia cum dormiunt vivere vita plantæ, non solum substantiali, sed etiam vita accidentali, seu quoad operationes: & hanc Doctrinam docet etiam *S. Thomas* 1. *part. q.*118. *art.*1. *ad* 4. Cum igitur ibi Aristoteles sit intelligendus de vita quoad operationes, non est contra ipsum hæc sententia, quæ dicit humanum fœtum, statim ac animatus est, vivere vita rationali, quoad esse substantiale.

Huius sententiæ inter antiquos Philosophos fuit *Philoponus* 12
*in Comment. ad text.*3. *&* 24. *l.*2. *de An. Albertus Magnus in summa de homine quæst.*18. *&* plures alij, quos citat *Dandin. lib.*2. *de Ani. Comment.*13. *digres.*8. *p.*3. *vers. His duobus fol. Mihi* 790. 791. *Hugo de S. Victore tom.*1. *lib.*4. *Alleg. in Euang. Lucæ ad* ea verba *Et exultauit: Beda tom.*1. *lib. de mun. const. vers. De certa.* D. Gregor. Nissen. de *ani. & resurr.* & S. Cesarius Dial.3. in resp. ad 115. interrog. Est etiam expressa sententia *Hipocratis, Galeni, Auicennæ*, & plurimorum Medicorum, qui hac nostra tempestate hac de re, ex professo scripserunt, quos infra citabimus. Inter recentiores hanc defendunt *Petrus Garc. disp.*38. *c. vers.*2. *vers. Sed licet, &c. Hurtadus de generat. disp.*2. *sect.*8. *n.*108. *&* 109. *& P. Theophil. Raynaud. de ortu infant. c.*10. *n.*48. P. Gass. *tom.*2. *sect.*2. *physicæ membro posteriori l.*4. *c.*4. P. Roder. Arriaga *Disp.*1. *de ani. sec.*12. *num.* 318. P. Bambian. *in censur. supra fol.* 27. & alij *in manuscript.*

Primo,

Primo, quia nullum inuenitur commodius tempus, absoluta accidentali organizatione, quo dicatur anima rationalis adesse in materia disposita, quam illud, quo inchoatur formatio prima hominis. Ergo tunc adest: Antecedens patet, nam dato quocumque posteriori tempore nulla ratio potest assignari cur non tantisper antea fuerit ibi producta anima rationalis, & quocumque tempore assignato, aliud anterius semper peti potest, usque ad illud tempus primæ formationis.

Dicunt Authores contrariæ sententiæ rationem esse, quia non sunt adhuc ibi organa necessaria, ad operationes rationales.

Sed contra quia quousque filius est in vtero matris; imo etiam, & multo tempore post egressum ex vtero non exercet operationes rationales, & tamen creatur anima rationalis in corpore, antequam egrediatur ex utero, & est homo vivens anima rationali, aliquo tempore, quo manet in vtero. Ergo carentia organorum non probat ibi illo primo tempore quo inchoatur formatio non adesse animam rationalem sicut carentia oculorum, aurium, dentium, &c. vel impotentia operationem, non probat, ibi non esse animam sensitivam.

Secundo quia anima rationalis vbi primum est completa accidentalis organizatio, exigitur naturaliter tanquam forma debita illi materiæ Ergo Deus tanquam naturale agens nisi velit alterare concursum generalem; tenetur illam ibi creare. Ergo adest.

Tertio quia, in humano fœtu dispositiones, quæ exigunt naturaliter animam vegetativam, & sensitivam exigunt rationalem; sed huiusmodi dispositiones ad animam vegativam, & sensitivam adsunt, vbi primum est completa organizatio accidentalis, seu ubi primum incipit formatio, & organizatio substantialis. Ergo tunc primo adest anima rationalis. Major patet, quia tunc illæ dispositiones non exigunt illas formas nisi prout illæ constituunt hominem: sed hoc non præstant illæ animæ, nisi provt identificantur cum anima rationali. Ergo exigunt simul animam rationalem: & ideo non exigunt organa plantæ

quæ

quæ ſufficerent ad nutritionem; neque organa bruti, quæ ſufficerent ad ſentiendum. Sed organa humani corporis. Minor probatur, quia ſtatim fœtus attrahit ſanguinem per venam umbilicalem Matris, vt nutriatur, & ſtatim incipit moveri, ut patet in Abortivis, qui ſi pungantur acu ſeſe contrahunt; & patet in punctosaliente ſupra ſect. 1. n. 13. 14. 15. Vide Diſp. 4. ſect. 15. num. 18.

Quarto quia ſi illæ duæ animæ vegativa, & ſenſitiva præexiſterent ante animam rationalem, tanquam ab ea diſtinctæ deberent corrumpi adveniente anima rationali, ne plures formæ ſimul eſſent: hoc autem dici non poteſt, nam nulla forma ſubſtantialis corrumpitur in materia, niſi diſpoſitiones propriæ corrumpantur à diſpoſitionibus contrarijs formæ incompoſſibilis: ſed diſpoſitiones prærequiſitæ ad animam rationalem non ſunt illis contrariæ, imo convenientes; quia anima rationalis ipſis indiget ut nutriat, & ſentiat. Ergo ſi illæ adſunt à principio formationis, adeſt etiam anima rationalis, ab illis non diſtincta.

Quinto quia, ſi ut Authores contrariæ ſententiæ diſcurrunt deberent præcedere duæ illæ animæ, nutritiva, & ſenſitiva in communi deberent ei præcedere non ſolum in homine, ſed in Equo, Leone &c. Et tandem animæ vegetativæ anima hinniens & anima rugiens advenire; probatur ſequela; quia ideo præcedunt in homine, quia in hoc præcedunt operationes nutritivæ, deinde ſenſitivæ, & tandem ſequitur rationalis: ſed in Equo, & Leone pariter præcedunt huiuſmodi operationes, ergo deberent etiam in iſtis precedere anima vegetativa, & ſenſitiva in communi; & tandem advenire tertia conſtitutiva in ſua ſpecie Equum, & Leonem in ſua: conſequens autem nemo philoſophorum huc uſque conceſſit, ergo falſum eſt antecedens.

Sexto quia, inquit Arriaga, illa anima ſenſitiva præcedens in homine, vel eſt rationalis, vel irrationalis: ſi primum habeo intentum: ſi ſecundum ergo conſtituit brutum. Ergo homo prius eſt beſtia, quàm homo. Deinde ſi eſt ſenſitiva non debet eſſe generica quia genus à parte rei ſine ſpecie non datur:

ſi eſt ſpecifica. Ergo ante iſtam datur alia in genere: probatur dari; ideo enim ante rationalem ponunt ſenſitivam, quia materia priùs per ipſos diſponitur ad operationes cõmunes ſentiendi quam ad rationales; ergo prius fuit anima ſenſitiva diſponens ad operationes ſenſitivas in communi; ante quam diſponeret ad proprias talis animæ ſenſitivæ, ergo ante illam fuit alia, & alia, & ſic in infinitum.

Septimo quia, cum anima rationalis ſit inter omnia animalia imò, & omnia corpora præſtantiſſima forma debet, inter omnia magis accedere ad Deum, & aſſimilari illi, qui eſt agens excellentiſſimum: hæc autem excellentia in operando, eſt ſumma independentia, & eſſe à ſe: ergo quod anima rationalis ipſa ſit agens, & producens ſibi membra in corpore incipiens à prima formatione non ſolum non dedecet ipſam, ſed ſuæ perfectioni eſt maximè conueniens; quia ſic propius accedit ad Dei perfectionem. Ergo eſt ibi preſens, & à principio ſibi corpus conformat.

Octauo quia ſuperflua eſt illa animarum productio, & corruptio, cum per ſolam animæ rationalis infuſionem, omnia ſatis & bene explicentur.

13 Nono, quia in hac ſententia facilius intelligitur conceptio corporis Chriſti, eiuſque animatio, neque tot miracula multiplicantur, ſicut in ſuperioribus ſententijs, quarum exinde ſumitur inveriſimilitudo, quia abſque neceſſitate coguntur multiplicare miracula. Nam cum corpus Chriſti in inſtanti formatum perfectè organizatum, & animatum ſit, vt dicitur in 5. & 6. *Synodo*, & *in Conc. Epheſ.* nec non *in epiſt.* 11. Leonis

14 Papæ *ſimul carnem Chriſti fuiſſe formatam, & animatam, & aſſumptam à Verbo*; & hæc omnia in primo inſtanti, vt docent *D. Baſilius*, *Damaſcen.* & bene *Suarez tomo* 2. *in* 3. *p. diſp.* 11. *ſect.* 2. probat hanc concluſionem eſſe Theologicam, omnino certam, & contrarium ſentire, temerarium, & erroneum: ſequitur quod non poſſint Auctores contrarij rationem reddere, cur non fuerit Chriſto neceſſarium exire de vtero Matris ante novẽ menſes; cum enim alij infantes in illorum ſententia egrediantur ante octavum menſem, qui animantur poſt 35. vel 40.

diem

diem à conceptione; corpus Christi, quod fuit animatum in primo instanti suæ conceptionis, fuisset sub majori quantita- 15
te, & mole, quam naturaliter esse posset; supposito, quod in utero Matris steterit spatio nouem mensium, ut uniuersaliter recipit Ecclesia & toto illo tempore creuerit.

Respondent aliqui, naturaliter debuisse quidem nasci ante nouem menses; sed miraculo factum esse, vt spatio nouem mensium ibi fuerit; tum vt occultaretur mysterium; tum ne monstrosa, & præternaturalis natiuitas videretur: Augmentum autem illud cum fuerit factum spatio quadraginta dierum, non videtur fuisse adeo magnum, ut ad sensum appareret, & videretur præternaturale. Ecce igitur quomodo multiplicant miracula sine fundamento, & necessitate, & ideo à *Suarez loco citato* reprehenditur hæc responsio.

Alij dicunt augmentum illius corpusculi fuisse ita temperatum, & paulatim factum, vt non crescceret spatio nouem mensium, nisi quantum alij pueri solent crescere spatio octo mensium. Verum hæc etiam responsio merito displicet *Suarez ibidem*, quia ista retardatio augmenti fuisset perpetuum miraculum non enim fuisset naturalis, sed ex divina supernaturali prouidentia.

Ideo ipse Suarez, & alij recentiores dicunt, quod organizauit quidem Deus corpus Christi in primo instanti; sed quia minima, & maxima infantilis corporis quantitas non consistunt in indiuisibili, sed aliquam habent latitudinem; potuit in primo instanti, esse sub minima quantitate possibili ad recipiendam naturaliter formam humanam, & infans spatio novem mensium potuit naturaliter crescere usque ad maximam quantitatem, quam talis puer intra talē vterum posset iuxta suam complexionem naturaliter habere; & sic potuit compensari excessus quadraginta dierum, quibus aliorum corporum animationem præcessit.

Sed neque hæc responsio placere omnino potest, nam imprimis diuinare videtur; & deinde non vitat omnem multiplicationem miraculi. Inquiro enim, quis novit, aut unde sciri potuit ab illa corporis pusillitate, quæ fuit à principio, tale incre-

mentum paulatim ita fuisse incohatum,& sensim factum,usque ad præfinitum tempus Nativitatis Christi, vt exacte potuerit peruenire Diuinus Infans ad maximam illam quantitatem, quam puer perfectæ complexionis, qualis erat Christus intra talem uterum naturaliter exigebat: & quod potius non satis fuerit illa paruitas sufficienter recompensata per excessum illum quadraginta dierum, quo fuit animatus fœtus ante tempus communis animationis?

Respondent à Deo tantam quantitatem ex purissimis Beatæ Mariæ sanguinibus fuisse determinatam, & congregatam in utero,quanta satis erat ad naturalem paruitatem infantilis corporis, ut postea ex incremento continuo ad illam maximam quantitatem perueniret, quæ naturaliter exigebatur in tali puero nascituro.

Sed contra quia hæc est manifesta diuinatio, ad quam cogit supradicta sententia.

Deinde, cum Beata Virgo propter optimam complexionem, & perfectum calorem nullam haberet, nec in sanguine, qui fuit materia conceptionis,nec in utero imbecillitatem, aut imperfectionem,sed omnia requisita,quæ habent aliæ mulieres perfectæ complexionis,& virtutis,vt omnes admittunt,& notauit *Suarez disp.*10.*sect.*2.*vers.sed adhuc.* Sequitur quod minima illa materiæ portio,non esset in ea naturaliter exigita, sed potius maior portio illi vtero deberetur,vt posset concipi corpusculum majoris quantitatis, sub qua infans naturaliter exigebat animari in vtero materno optime dispositio.

Cum igitur debuerit Deus tanquam naturalis concausa illa sola præstare,quæ præstitisset vir,si beatissima Virgo humana operatione concepisset, sequitur, quod determinatio illa sanguinum fuerit miraculosa; tum quia in aliis conceptibus humanis virilis concursus illam non faciat; tum quia determinatio parvæ quantitatis erat contra naturalem exigentiam talis vteri: superaddit igitur etiam hæc responsio miracula, & diuinare cogitur.

16 Sed adhuc in fauorem tertiæ & quartæ sententiæ video hic multiplicari posse,quæ à quibusdam Sanctis Patribus,& Sacræ

Scripturæ

Scripturæ interpretibus dicuntur de paruitate corporis Christi in puncto Incarnationis ad ostendendum, quam singularis, & supernaturalis fuerit illius Sanctissimi corpusculi organizatio, nam *Petrus Comestor. in Histor. Euang. cap. 2.* dixit quod postquam Sanctissima Virgo protulit illa verba. *Ecce Ancilla Domini*, quibus Angelicæ legationi consensum præbuit *statim conceptus est Christus de Virgine plenus homo in anima, & carne: ita tamen quod lineamenta corporis, & membrorum oculis discerni non possent, &c. Tostatus in Paradoxo primo, cap. 27.* dicit *quod fuit paruæ quantitatis, minus quolibet alio corpore humano, cum perfectam organizationem attigerit, &c. Dionysius Cartus. in cap. 2. Lucæ art. 3.* dicit, *quod distinctio membrorum oculis perceptibilis vix fuisset ob corporis paruitatem, &c. S. Thomas 3. part. q. 33. articulo secundo, ad secundum*, dicit de quantitate huius diuinissimi corporis, quod *non erat tam parua, vt in ea non posset ratio humani corporis conseruari; cum in tali quantitate quorundam paruorum hominum corpora animentur, &c. & S. Bernardinus Senensis tom. 1. serm. fer. 3. post Dom. 2. quadrag. artic. 2. cap. 7.* dicit *quod cum Christus in vtero Virginis venit, carnemque assumpsit, tanta breuitate circumamictus est, vt si iam conceptus in Virgine positus fuisset super papyrum, vel palmam manus; vix eum humanus oculus percepisset; licèt Diuinitus, & anima, & corpore, atque omnibus interioribus, & exterioribus membris, & lineamentis perfectè completus fuisset, vt verificaretur, quod Isaias 10. versiculo vigesimo tertio, & Apostol. ad Romanos cap. 9. 27. de Christo testati sunt. Verbum abbreuiatum faciat Dominus super terram*; Ex quibus patet omnes vnanimiter admittere, quod illa corporis Christi pusillitas fuerit supernaturalis, & singularis: Non ergo est communis aliis humanis fœtibus.

Sed respondetur facilè nullos ex Sanctis Patribus, & Interpretibus dixisse quod fuerit singularis illa Christi corporis organizatio, quoad paruitatem, sed solum quoad causam, vnionē, & modum quibus fuit producta, quia scilicet facta fuit virtute Spiritus Sancti, & quoad durationem fuit in instanti, & quoad

unionem, quia in eodem instanti fuit personaliter assumpta à Divino Verbo. Bene verum est, quod omnes cum admiratione, & exaggeratione consideraverunt illam parvitatem, quatenus
16 sub illa Divina Majestas totam se quodammodo abbreviaverit: quomodo *D. Paulus ad Philippenses cap. 2. num. 7.* admirabatur Divinum Verbum exinanitum in forma servi: & tamen nemo dixit hucusque, huiusmodi exinanitionem, & depressionem fuisse factam infra terminos naturaliter conuenientes humanæ naturæ.

Imo D. Thomas expresse videtur dicere, quod licet parvitas Christi corporis in puncto Incarnationis fuerit considerabilis, non tamen fuit adeo minima, vt sub ea non posset naturaliter ratio humani corporis conservari, & animari, & in hoc sensu, qui allegoricus est, non litteralis, accipienda sunt verba illa *Isaiæ* 10. *v.* 23. iuxta translationem *septuaginta Interpretum*, quos sequutus est *D. Paulus ad Romanos. c. 9.* 27. quod nimirum in Incarnatione Divinum Verbum breviaverit semetipsum, uniendo sibi personaliter animam Christi, & corpusculum ita parvum in instanti factum, sicut solent aliorum hominum corpora postea in tempore organizari. Quare ex huiusmodi locutionibus Sanctorum Patrum, & Interpretum nihil peculiare colligitur pro tertia, & quarta sententia.

17 Decimo principaliter probatur quinta sententia, quia melius saluatur quomodo homo sit vnum substantiale, & bene redditur ratio, & assignatur causa efficiens tam ingenioſi opificij, ipsa nimirum anima rationalis, aut Deus ipse solus iuxta septimum modum infra afferendum.

18 Vndecimo quia ridiculum, & præter rationem videtur, esse humanum corpus sine anima rationali bestiam nasci dicamus, vt ratiocinatur *Hugo de Sancto Victore, loc. cit.*

Duodecimo quia sicuti triticum, verbi gratia, ex tritici semine, & alia similia ex similibus seminibus perfecte, nascuntur: sic ex humano semine non nisi rationale animal nasci debet; vt argumentatur *Galenus in l. An quod in vtero est animal. c. 4. & 5.*

Et confirmatur, quia, statim ac in morte separatur anima rationalis à corpore, desinunt omnes operationes vitales, tam vegetativæ,

getativæ, quam ſenſitivæ; ergo ipſa ſola, ſe ipſa eſt omnium principium.

Hæ ſunt principales ſententiæ, quæ de humani fœtus animatione inveniuntur: ſunt autem varij modi, quibus, tum Medici, tum Anatomiſtæ conjectant tempus illud, quo tunc primum anima rationalis informat materiam: omnes tamen ad aliquam ex dictis ſententijs referuntur. Et quia non vno modo ſe explicant, vt clarius conſtet, quam dubium ſit, & incertum tempus primæ animationis, expedit illos modos ſeorſim referre.

SECTIO IV.

Afferuntur varij modi explicandi ſupradictas ſententias quoad tempus animationis.

SVMMARIVM.

1 *Animationis tempus iuxta diuerſas diſpoſitiones, tum ſubjecti, tum agentis eſt varium; ſed hæc varietas, vt Medici dicunt clauditur ſpatio quindecim dierum.*

2 *Quando fœtus non eſt perfectè formatus, eſt tamen animatus.*

3 *Sed re vera hoc ſpatium eſt excogitatum à Medicis, non tam ad deſignandum tempus animationis, quam perfectæ formationis.*

4 *Spatio primi menſis Medici, & Anatomici fatentur, ſe non poſſe obſervare fœtum humanum propter parvitatem, & teneritudinem.*

5 *Quando Medici aſſignant tempus animationis, non poſſunt loqui, niſi de perfecta corporis formatione.*

6 *Avicenna credit primis ſeptem diebus, fœtum eſſe ſpumoſum; nona die delineari; decima quinta eſſe ſanguinolentum; vigeſimaſeptima carneum; trigeſima ſexta habere membra diſtincta; quadrageſima, vel ad ſummum quadrageſimatertia die eſſe integrè formatum.*

7 Con

7 *Concluditur diem trigesimam, trigesimamquintam, quadragesimam, & quadragesimamquintam non de animatione, sed de perfecta formatione assignari.*

8 *Ideo non bene infertur tempus certum animationis esse à trigesima, vsque ad quadragesimam diem.*

9 *Puerperia in partu masculi durant triginta dies; in partu fœminæ quadraginta.*

10 *Asserunt aliqui, tum ratione, tum auctoritate vtriusque Iuris fœtum humanum non esse baptizandum ante trigesimam diem.*

11 *Sed neque ex puerperijs, neque alio modo id bene probatur.*

12 *Rituale Romanum nulla habita ratione dierum, si vivus est fœtus, monet esse baptizandum.*

13 *Liber quæstionum veteris, & noui testamenti, non est D. Augustini, sed cuiusdam Hæretici, qui ante illum scribebat.*

14 *Et quisquis sit ille Auctor, meritò irridetur à Glossa.*

1 PRimus modus assignandi tempus, quo fœtus animatur, est quorumdam Medicorum, qui iuxta Doctrinam *Galeni lib. de fœt. form.* monent non in omnibus fœtibus statuendum esse idem tempus: nam ex diuersitate caloris, & maiori dispositione materiæ variatur; & tardius fœminæ, celerius mares & inter mares citius calidiores, & sicciores animantur: sed hanc diversitatem claudi spatio quindecim dierum; ideo animationis terminum primum, dicunt aliquando esse diem trigesimum, vel trigesimumquintum, vel quadragesimum, vel quadragesimumquintum, vel quinquagesimum. Sed ut notavit *Levius Lemnius, cap. 11. Gallego tract. 1. lib. 3. de nat. infant. c. 35. vers. cum igitur, & vers. ex quibus.* Interdum hoc tempus anticipatur; nam multæ mulieres masculum perdiderunt, vt ipse fatetur ante trigesimum diem, quo tempore deprehensus fuit in articulatus fœtus; &, vt ipse se explicat, non perfecte formatus, quare huiusmodi termini à Medicis assignati, videntur potius ad designandam perfectam formationem, quam fœtus animationem, id quod etiam notavit Daniel Sennertus l. 1. de partu c. 10. & noviſſime Riolanus lib. 3, Anthropograp. c. 6. his verbis: *Cæterum quæ de generatione partium corporis humani traduntur*

traduntur à Medicis, Anatomicis, ea in perfectis, & absolutis fœtibus contemplati sunt, & adnotarunt; vt prudenter animaduertit Varolius dicens quod pauci, vel nulli productionem, siue procreationem partium quæ fit ab eo tempore concreti seminis vsque ad mensem integrum obseruarunt, & descripserunt. At sane huiusmodi opificium nostris oculis impervium, & inaspectabile solo mentis discursu vel ex aliorum animalium fœtificatione deprehendi potest. Quis enim adeo crudelis, & inhumanus viuentis mulieris alvum incideret, ad huius rei inuestigationem? in effluxu, siue in abortu artificium structuræ sæpius destruitur; & ob paruitatem pusilli corpusculi, vel spernitur, vel non potest accuratè discerni delineatio, etiamsi conspicilia adhibeas, quæ res multiplicare, & augere possint, &c.

Hæc Riolanus, opportunè aduertens, Medicos cum tempus 5
prædictum assignant non loqui de animatione, sed de perfecta corporis formatione: ipsorum enim est ea solum, quæ ad corporis sanitatem spectant obseruare principaliter, & tanquam proprium obiectum considerare.

Et Auicenna reprehendens eos qui cum Galeno, & Hippocrate terminos fixos ponentes, masculum trigesima, & fœminam quadragesima die formari aiunt, ipse audacior illis, tempora designat. Spatium spumæ inquit sex, aut septem sunt dies; nonum diem, vt plurimum censet esse terminum primæ delineationis; in quintodecimo, genituram esse sanguinolentam; in vigesimo septimo carneam habere effigiem in vigesimo sexto, fœtum habere caput separatum ab humeris, & brachia, & crura à lateribus distincta; adeo ut iudicari possit fœtus formatus quadragesima die, vel ad summum quadragesima tertia. 6

Constat igitur, quod Medici, quando assignant diem trigesimum, trigesimumquintum, quadragesimum, & quadragesimumquintum, non de animatione, & vita, sed de perfecta mẽbrorum formatione loquuntur, quã Gallego substantialem formationem appellat, consequentem ad accidentalem organizationem ab ipso embryonicam appellatam *ibidem vers. Auicennæ*. Vbi statim infert, fœtum accipere animam à Deo per 7 8

creationem, cum primum abſoluta eſt formatio accidentalis; & hoc quod vocant inſtans creationis, *qui ſciret, vtique*, ait, *ſciret tunc primò fœtum eſſe animatum anima rationali*: Sed cum ſit incertum, conjiciunt aliqui eſſe à trigeſimo die, vſque ad quadrageſimum.

9 Probat primo Gallego hunc dicendi modum, quod nimirum ante trigeſimum diem fœtus non ſit humana forma animatus, *ex Hippocrate lib. de nat. puer.* argumento deſumpto ex mulierum parturientium puerperiis: hæc enim poſt maſculi partum durant dies triginta; poſt partum vero fœminæ dies quadraginta, & quadraginta duos, quàm longiſſimè.

Secundo, quia etiamſi Eccleſia moneat, vt Mininiſtri Sacramentorum diligenter caveant, quod fœtus non pereant, ſine Baptiſmo; Parochi tamen & obſtetrices id non curant ante trigeſimam diem.

10 Tertio probatur auctoritate deſumpta ex D. Auguſtino, relato paulo ante *ex c. Moyſes* 32. *q.* 2. nam ibi diſputans, an ex traduce ſint animæ ſicut, & corpora; & defendens Catholicam veritatem, quæ docet animas rationales, non ex traduce fieri, ſed à Deo creari ex nihilo, ita ratiocinatur. *Si cum ſemine ſtatim exiſtit anima; vt ſentiunt, qui ex traduce faciunt, multæ animæ quotidie pereunt, cum ſemen fluxu quodam non proficit natiuitati*; quam ſequelam non tam probat, quam ſupponit, vt certam; Ruunt igitur Catholicæ veritatis præcipua fundamenta, ſi non exiſtit aliquando corpus ſine anima.

Quarto; quia Jura civilia non puniunt, ut homicidam pœna capitali niſi illum, qui cauſavit abortum animatum, *l. Diuus ff. de extraord. crim. & l. penult. C. ad l. Cornel. de Sicar. & l. ſi mulierem, ff. eo, & l. Cicero, ff. de pœn.* Et Jura Canonica non imponunt pœnam irregularitatis, niſi quando fœtus eſt animatus; nam *in cap. conſuluiſti* 2. *quæſt.* 5. Stephanus V. reſpondens Epiſcopo Moguntino dicit homicidam eſſe, qui conceptum in vtero abortum deleuerit, vbi gloſſa explicat de abortu formato; iuxta *cap. Moyſes* 32. *q.* 2. vbi ex D. Auguſtino, pro eodem accipitur abortus formatus, & animatus: imo expreſſe docet in fœtu non eſſe animã ante ipſius formationem, *& c. ſicuti* 32. *quæſt.* 2.

*q.*2. desumpto ex Epistola *D. Hieronymi ad Algasiam* dicitur *sicuti semina paulatim formantur in uteris, & tandiu non reputatur homo, donec elementa confecta suas imagines, membraque suscipiant.* Igitur antequam imaginem, & lineamenta acceperit fœtus, id quod non statim in conceptione fit, non erit ille homo; nempe forma substantiali humana, quæ est anima rationalis, caret. *Et in c. sicuti ex litterarum de homic.* Innocentius III. declarat, illum Monachum, qui abortum causaverat, esse irregularem, si conceptus erat *vivificatus*, minimè vero si non erat *vivificatus*. *Et Sixtus V. in sua const. 77 in prafat.* desumptis verbis ex *D. Augustino l. 1. de nuptiis, & concupiscentia c.* 15. relato *in c. aliquando* 32. *q.* 2. dixit, abortum procurantes esse in causa, vt proles prius intereat, quàm vivat, & §. 1. distinguit inter fœtum animatum, & inanimatum, formatum, & informem, provt etiam distinguit inter animatum, & inanimatum *Gregorius XIV. in sua Const.* 8. §. 2. *&* 3. *& Clem. VIII. in decreto super Casuum reseruatione pro regularibus.*

Sed hæc argumenta non probant efficaciter intentum: ad primum enim respondetur, quod purgatio illa mulierum non concludit necessario, quod animatio fœtus non possit præcedere diem trigesimum; sed solum probat, quod in partu masculi purgatio sit brevior, & in partu fœminæ longior; iuxta maiorem sanguinis copiam. Imo Medici illi, qui cum Avicenna admittunt prima vitæ filamenta inchoari nono die, non videntur sibi satis cohærere, dum fatentur ante trigesimum diem, iam adesse in fœtu actiones vitæ, nempè nutriri, & distingui membra: negant autem vitæ principium. 11

Ad secundum, Respondetur esse illud, quod cavere intendimus, ideo non probat. Et ipse Gallego admittit aliquando, intra brevius tempus ordinariæ formationis, fœtum posse esse animatum, & plures mulieres ante trigesimum diem masculum perdidisse: non igitur consequenter loquitur, dum monet baptizandum esse Infantem constitutum in periculo mortis, si sit vivus; & concedit fieri posse, vt vivat ante trigesimũ; & ante hunc dicit non esse baptizandum. Imo, quod est valde notandum, Rituale Romanũ Pauli V. præcipit, vt si quando 12

contingat matrem prægnantem mori vivo fœtu intra viscera remanente, extractum ab vtero esse baptizandum: non tamen obligat ministrum ad baptizandum post triginta dies tantum, sed tunc qualecunque sit tempus periculi, quod prudenti ministrorum judicio determinandum reliquit. Quare nostræ intentioni favet Ordo Ecclesiæ quatenus mortua matre prægnante, eaque secta, statuit vt sine aliquo respectu ad tempus, baptizetur fœtus, si sit vivus.

Ad tertium argumentum pariter facilis est responsio; nam librum illum. *Quæstionum veter. & nou. testam.* ex quo desumitur *cap. Moyses* esse Auctoris Heretici, testatur Bellarminus, & pluribus illum erroribus indignis tanto Doctore, conuincit: præsertim vero non esse librum D. Augustini constat *ex q.* 44. in qua dicit Auctor ab Excidio Hierosolymitano, vsque ad tempus in quo ipse scribebat, fluxisse annos trecentos septuaginta duos à Natiuitate Christi, sed D. Augustinus mortuus est anno Christi 430. ætatis suæ annorum 76. Cum ergo natus sit anno 354. sequitur quod anno 372. quo scriptus est hic liber, esset Augustinus annorum sexdecim: at ipse non potuit cœpisse scribere, pro Christiana fide, nisi post susceptum baptismum quem anno suæ ætatis trigesimo suscepit & fuit annus post Christum natum 384. Et sic anno duodecimo postquam scriptus fuit liber *Quæstionum veter. & nou. testament.* Non igitur est veri Augustini hic liber, sed alterius sub eius nomine: & idem sentiunt DD. Louanienses.

Minus probat ratio allata siquidem sequela illa, quam supponit de Animabus quotidiano seminis fluxu pereuntibus, valet contra illos, quos ille Auctor redarguit, qui dicebant animam rationalem fieri ex traduce. Non valet autem contra Catholicos, qui dicunt creari ex nihilo in materia, saltem accidentaliter dispositâ, vt supra *sect.* 1. iam vidimus, quæ quidem natiuitati proficit, cum sit necessarium subiectum; neque consistit in fluxu seminis, licet adhuc substantialiter, organizata. At verò quicunque sit Auctor illius libri, sané nullius est nominis, & ideo merito irridetur à Glossa; nam volens Auctor ibidem probare quod anima rationalis non potest

præcedere

præcedere organizationem ſeu formationem corporis, ait *Anima certe, quia ſpiritus eſt, in ſicco*, id eſt rudi, & informi corpore *habitare non poteſt*. Gloſ. V. *in ſicco dicit argumentum eſſe pro Normannis, & Anglicis, & Polonis, vt poſſint fortiter bibere, ne anima habitet in ſicco.*

Ad quartum argumentum reſponſio non eſt ita brevis, ideo commodius rejicitur in ſequentem ſectionem.

SECTIO V.

An ex diſtinctione Iuris Ciuilis, & Canonici de fœtu animato, & inanimato inferat benè Gallego huiuſmodi humanum fœtum ante menſem non eſſe baptizandum.

SVMMARIVM.

1 *Ex judicio juriſperitorum dubitari poteſt fœtum ante trigeſimum, vel quadrageſimum diem eſſe animatum.*

2 *Refertur ſententia eorum, qui dicunt, quod iura non puniunt eos, qui dant cauſam abortui, niſi quando infans eſt iam natus.*

3 *Homo non dicitur niſi poſtquam natus eſt.*

4 *Pœna capitali, ſed non pœna mortis punitur, qui cauſavit abortum animatum.*

5 *Qui in vtero eſt, pro iam nato habetur, in iis, quæ ſunt ſibi vtilia: non autem in ijs, quæ aliis nocent.*

6 *Alij dicunt tunc puniri abortum tanquam homicidium, quando fœtus erat formatus.*

7 *Nulla Iura Ciuilia puniunt abortum pœna mortis.*

8 *Sunt, qui putent fœtum non eſſe formatum, niſi poſt octavum menſem.*

9 *Sed hi Auctores præterea plura requirunt, ad effectum, vt deli-*

clum abortus puniatur pœna mortis; & primò, vt sit vitalis id est non octimestris.

10 Secundò: ut sit dolosè causatus.

11 Tertiò: ut sit procuratus à sciente, mulierem esse prægnantem.

12 Quartò: ut non sit causatus abortus, ex fine salvandi mulierem.

13 Quintò: ut non ad turpitudinem matris occultandam.

14 Sextò: ut mater, quæ sibi abortum causavit, sciret, & adverteret, se esse gravidam.

15 Septimò: nec punitur mater, si dicit se peperisse filium mortuum.

16 Ipsi iurisperiti monent, salvandam esse baptismo animam fœtus; etiamsi, qui illum delevit eximatur à pœna.

17 Et confessarios debere attendere in absolutione à peccato abortus, an fœtus esset animatus.

18 Qui fœtum animatum, vel inanimatum delet, peccat mortaliter.

19 Irregularitatis pœna non imponitur abortui, nisi fœtus sit animatus, imo vivificatus.

20 Affertur textus D. Augustini, in quo dicitur, quid sit fœtum esse vivificatum.

21 In sententia D. Augustini, dubitari potest, an fœtus, qui non est formatus, sit animatus.

22 In eiusdem sententia fœtus vivificatus est, quando exercet operationes sensibiles.

23 Fœtus, qui non habet vitam in actu secundo, non potest occidi in ordine ad pœnam irregularitatis.

24 Laudatur Censura Reuerendiss. P. D. Hilarionis Rancata.

25 Fœtus dicitur vivificatus non solum quando est animatus; sed præterea quando habet operationes animæ sensitivæ.

26 Iura Civilia, & Canonica quando puniunt abortum fœtus animati, pro animato intelligunt vivificatum, seu animatum in actu secundo; quia ex operationibus sensitivis iudicant abortum, esse homicidium.

27 Deus ipse huic iudicio se accommodavit Exod. 21. quia humano iudicio rem esse dubiam consideravit, quod in fœtu informiter animato sit anima.

28 Ideo Doctores conueniunt, abortum masculi ante quadragesimum, fœmi-

ræ

fœmina vero ante octogesimum, non esse punibilem tanquam homicidium, quia res est dubia.

29 *Non ergo datur tempus ante quadragesimum, vel octogesimum diem, in quo certum sit fœtum non vivere anima rationali.*

Existimat Gallego, opinionem suam de non baptizando humano fœtu ante trigesimum diem, firmiter esse fundatam, in vulgata distinctione fœtus animati, & inanimati: sed ut videamus, quam insufficiens sit hæc ratio; quod nimirum, quia tam Jus Canonicum, quam Ciuile non puniunt, nisi occisionem fœtus animati: ergo omnes fateri debemus dari tempus ante mensem, in quo fœtus non sit animatus, & sic non potuit ante mensem baptizari, oportet vt aliquantulum immoremur in recensendis variis Doctorum opinionibus, de hujusmodi pœnis, quas vtrumque Jus imponit iis, qui causam dant, ut fœtus animatus intereat: nam ex diuersitate judicij, quod Prudentes Jurisperiti formant de hoc delicto, nos etiam inferre poterimus, quam prudenter, dubitare possimus, fœtum esse animatum, etiam ante illud tempus, quod Doctores exigunt, ut delictum hujusmodi puniatur pœna mortis. 1

Prima sententia potest esse illorum, qui dicunt numquam jura punire pœna mortis eos, qui procurant abortum fœtus animati, sed solum quando infantem iam natum occidunt; ita videtur sentire *Alex. in l. quod dicitur n. 3. ff. de liber. & posth.* & ante ipsum *Bald. ibid Decius cons. 535. n. 3. Fulgos. in l. si mulierem num. 1. ff. ad l. Cornel de Sicar. & Marsil. ibi num. 5.* adhærent *Thesaur. Pedemont. decis. 12. num. 8. & 9. & Menoch. de arbitr. cas. 1357. num. 7.* quia inquit *Menochius*, etiamsi fœtus sit animatus, non tamen homo esse dicitur. Et *in l. si quis aliquid, §. Qui abortivi, ff. ad l. Cornel. de Sicar.* habemus, quod *si ex eo mulier, aut homo periret, summo supplicio afficiantur.* At vero *Papinianus l. Falcidia ff ad leg. Falcidiam. Arist. libr. 2. de generat. Animalium. cap. 11.* & latè *Thesaur. dict. decis. 12. num. 7* homo non dicitur, nisi postquam natus est; aut si est homo, est homo tantum in spe, vt dicitur *in leg. cum in veteres Codice,* 2 3

de

de fideicommissis, ibi, *quod nondum natus speratur esse homo*: & cum minus sit quod est in spe, quam quod est in re, seu quod iam habet esse productum, *l. minus, ff. de reg. iur.* inferunt huius sententiæ auctores minori pœna, quam homicidij puniendum esse homicidium abortus animati nondum nati. Et ideo *Menochius* 4 post *Thesaurum* arbitratur homicidium abortus animati nondum nati puniendum esse non pœna mortis, sed pœna capitali, cuiusmodi sunt pœna religionis, exilij perpetui, vel Triremium: juxta *l. secundam, & l. Capitalium, ff. de pœnis.*

Quod si objicias *l. septimam, de stat. hom.* in qua dicitur quod *qui in vtero est, pro iam nato habetur.*

5 Respondent aliud esse quod sit tale, & aliud quod habeatur tali; & quod in illa *l. 7. Paulus Iurisconsultus* se declarans, dicit, quod licet homo nondum natus in iis, quæ spectant ad suum commodum habeatur pro tali; at in iis, quæ respiciunt interesse alterius, non habetur pro nato; quare cum puniri homicidium pœna mortis, sit maximum hominis præiudicium, hinc est quod hi Auctores, illum non puniant pœna vltimi supplicij, nisi fœtus sit iam natus: cum igitur in sententia horum Auctorum fœtus sit animatus, & tamen qui illum interimit non puniatur pœna mortis, constat ex tali distinctione non desumi argumentum efficax pro Gallego.

6 Secunda sententia est eorum qui credunt, non esse expectandam infantis nativitatem, ut procurans abortum tanquam verus homicida pœna mortis puniatur; sed attendendum esse, an fœtus sit formatus. Fundamentum huius sententiæ est, quia 7 nullum Jus Ciuile affertur, quod vltimo supplicio hoc delictum puniat, & primo ex allatis legibus *l. Diuus*: punit matrem, quæ data opera partum abegit, & punit illam, sola pœna temporalis exilij. *Lex penultima, C. ad l. Cornel. de Sicar.* expressis verbi loquitur, non de eo, qui fœtum immaturum abegit, sed de eo, qui occidit infantem iam natum. At vero *l. si mulierem, ff. ad l. Cornel. de Sicar.* punit illum, qui poculo dato non solum fœtum sed matrem etiam occidit: *& l. Cicero, ff. de pœn.* punit matrem, quæ accepta pecunia, medicamentis fœtum abortiri fecit: quod delictum, cum non sit vnum, quia vltra homici-

dium

dium continet, etiam pecuniæ receptionem ad perpetrandum homicidium, & delationem hæreditatis ad secundos hæredes, nihil mirum, quod morte puniatur. Sed re vera non imponit lex ista mortem, sed pœnam capitalem. At vero cum simus, in quo Jura sunt interpretanda, oportet illa emollire potius, quam exasperare, *l. interpretationes, ff. de pœn.* & fauet huic explicationi Jus Canonicum quatenus *in cap. Moyses* 32. *quæst.* 2. nulla est distinctio de fœtu animato, & inanimato, sed solum de fœtu formato, & informi, quæ verba ex Pseudo-Augustino desumpta, sunt ab eo accepta *ex cap.* 21. *Exod.* vbi Deus non punit pœna mortis dantem causam abortui, nisi quando mater cum fœtu moritur.

Defendunt hanc sententiam *Menoch. de arbitr. cas.* 357. *&* 8
Thesaur. dict. decis. 12. *num.* 7. *&* 8. sed hic Auctor existimat fœtum non esse formatum regulariter, nisi post octavum mensem; in quo sane decipitur; nam formatio fœtus terminatur, vt vidimus ex sententia Medicorum, multo ante; sed ipse aliam circunstantiam involuit, quam putat necessariam ad effectū ut hujusmodi delictum puniatur pœna mortis nempè vt fœtus sit vitalis; qualis non est fœtus octimestris; & ideo dum ipse Versellis iudicaret, cum duobus Senatoribus ex 9
quinque, qui rotam Vercellensem regebant, à pœna mortis liberauit mulierem quandam jam damnatam, quæ partum quidem formatum abegerat; sed quia partus erat octimestris, & ideo nullo modo vitalis, vt testatur. *Hippochrates lib. de octimestr. partu.* mollito Jurium rigore, obtinuit in revisione sententiæ, vt mulier illa à pœna mortis liberaretur. Ex hac sententia plures modi, vltra jam indicatum, de partu octimestri re- 10
cedendi à rigore Jurium excogitati sunt ab Auctoribus, quos refert *Farinac. q.* 122. *n.* 138.

Aliqui enim dicunt, temperandum esse rigorem, etiamsi Mulier attingeret nonum mensem: quando percussio non fuit 11
dolosa hoc est animo causandi abortum. *Farinac. n.* 152.

Alij, quando qui causam dedit abortui nesciebat, mulierem esse prægnantem. *Menoch. d. cas.* 357. *numer.* 18. *Farinac.* 12
num. 153.

Alij, quando qui abortum causauit, pro muliere salvanda id fecit: nam in isto casu ab omni pœna Iure Ciuili imposita excusaretur. *Marian. Socin. senior in cap. si aliquis. de Homicid. Menoch. ib. n.* 20. quia, qui vitam vnius perdidit vt alterius vitam tueretur, quando vtriusque vita periclitabatur, non deliquit

13 Alij, in Filia, quæ suasionibus impiæ Matris, abortum in se fecit, vt suam turpitudinem occultaret, nullam pœnam agnoscunt: *Decius cons.* 135. sed alij arbitrariam reputant, *Osasc. decis.*

14 60. *n.* 8. *Menoch. n.* 22.

Alij, quando mulier ipsa abortum inaduertenter sibi causauit nesciens, se esse prægnantem, *Osasc. ibid. Thesaur. decis.* 13. *n.* 3. *Menoch ibid*, 23.

15 Et alij demum temperant rigorem pœnæ mortis, quando mulier dicit se peperisse fœtum mortuum, & illum sepulturæ tradidisse, quia sine dolo præsumitur feciſse: *Thesaur. d. decis.* 13. *n.* 7. *Menoch. d. cas.* 357. *num.* 24.

16 Patet igitur Jura Ciuilia non statim, ac fœtus est animatus punire illius extinctionem pœna mortis, sed sæpius à pœnis capitalibus, & aliquando etiam ab omni pœna excusare. Et quamvis tam variis excusationibus à pœnis, etiam imponendis vel abstineant, vel remorentur, tamen isti Auctores aduertunt, & præsertim *Thesaur d. decisione* 12. *n.* 7. & *Menoch. d. cas.* 357. *n.* 7. semper habendam esse rationem animati fœtus propter ministerium Baptismi: quia inquit *Thesaur.* grauissimum est peccatum in foro conscientiæ propter periculum animæ, fœ-

17 tum sine Baptismo perire. *Et n.* 9. Addit Confessarios nihilominus debere in foro conscientiæ attendere, an fœtus sit animatus, & pœnitentiam congruam imponere delinquenti: non est igitur tutum in conscientia negligere, seu omittere baptisma abortiuorum eo tempore, quo Jura Civilia illos qui fœtus interitum causant, aut pœna arbitraria, aut nulla puniunt, & hoc de Jure Ciuili, Sed iam videamus, quid ex eadem distinctione fœtus animati, & inanimati, sequatur inspecto Jure Canonico.

Et primo cum Jus Canonicum attendat, non solum ad imponendas pœnas iis, qui abortum causant, sed etiam ad digno-

scendam

scendam culpam huius delicti, declarat tam illum qui abortum delet animatum, quam etiam qui inanimatum peccare mortaliter; & licet non sit verè homicida; in conscientia tamen tanquam homicida censetur: vt est expressus textus *in c. si aliquis de homicid.* in quo statuitur, quod qui ex passione potionem dederit ut impediret generationem, aut conceptum, siue etiam hominis nativitatem, *vt homicida teneatur*, vbi Barbos. idem notat n. 3. cum multis, & ideo Tertull. in Apolog. cap. 3. dicebat, quod *homicidij festinatio est, prohibere nasci: nec refert natam quis eripiat animam, an disturbet nascentem; homo est qui futurus est, nam fructus in semine est &c.* quibus verbis eandem culpam homicidij cognoscit Tertull. in inanimati fœtus, ac in nece animati. Et tenent omnes cum *Couarr. in Clement. si furiosus de homicid. part. 2 §. 3. n. 1.* 18

At vero pœnam irregularitatis non imponunt Sacri Canones huic delicto, nisi quando fœtus est talis, vt eius destructio, sit verum homicidium, quod aduertit *Sayrus lib. 7. de cens. c. 1. n. 2. & Barbos. d. n. 3. Et in ca. sicut ex litterarum de homicid.* quo in loco *Innoc. III.* vigilanti verbo vsus est, dum declarans, Monachum illum esse irregularem dicit, *si vivificatus erat conceptus*: pro cuius verbi intelligentia. 19

Advertendum est ex D. Augustino quæst. 180. in Exod. & refertur in cap. quod vero 32. quæst. 2. quia cap. 21. Exod. n. 22. cum Deus decreuerit, quod qui fuit causa, vt mulier prægnans abortiuerit, & ejecerit, vt Septuag. Interpretes declarant, infantem nondum formatum, pœna arbitraria puniretur: at vero si mortua fuerit ipsa mulier puniretur pœna mortis: dicit S. Doctor. *hic de anima quæstio solet agitari, vtrum quod formatum* 20 *non est, nec animatum quidem possit intelligi, & ideo non sit homicidium; quia nec exanimatum dici potest, si adhuc animam non habebat, &c.* & deinde subdit *si ergo illud informe puerperium jam quidem fuerit, sed adhuc quodam modo informiter animatum;* 21 *quoniam magna de anima quæstio non est præcipitanda indiscussa temeritate sententia, ideo lex noluit ad homicidium pertinere; quia nondum dici potest anima viua in eo corpore, quod sensu caret, si* 22 *talis est in carne nondum formata, & ideo nondum sensibus prædita,*

&c. Quando igitur anima, quæ est vita in actu primo non est in corpore vivens in actu secundo, hoc est, non tribuit illi operationes vitales, & quidem sensitiuas, tunc juxta S. Augustini
23 doctrinam in tali corpore, quod, inquit, *sensu caret* viva dici non potest. Non occiditur igitur id, quod non habet hanc vitam in actu secundo, etiamsi habeat in se principium vitæ, quod est anima: unde, & animatum in hoc sensu dicitur mori ea morte, quæ opponitur vitæ, quæ est in actu secundo.

24 Hanc ingeniosam interpretationē fœtus animati, & viuificati docuit me, & indicavit Reverendissimus D. Hilarion Rancata Ordinis Cistercienſis in Alma Urbe Præses Generalis dum ad instantiam Eminentissimi, & Reuerendissimi D. D. Marci Antonij Cardinalis Franciotti hanc meam primam disputationem legere dignatus est; & coincidit cum illa Doctrina Aristotelis, quam supra *sect. 2. vers. Et quidem, &c* tradidi, quod homo prius vivat vita plantæ, quoad vitam quæ consistit in operationibus.

Respondeo igitur ex doctrina S. Augustini, fœtum dici animatum, esse aliquid minus, quam esse vivificatum: animatus est enim, & dicitur fœtus, si habeat animam, seu vitam in actu primo: at vero fœtus significat aliquid amplius, nempe actum
25 primum, & secundum, id est animam, & functiones vitæ sensitiuæ ab eadem procedentes: quo sensu *Genesis cap. 2. n. 7.* Adam à Deo perfectè delineatus, & humana corporis imagine formatus, post insufflatam animam dicitur *factus in animam viventem*, cui *D. Paulus 1. Corinth. cap. 15. n. 45.* assimilat secundum Adam Christum *factum in spiritum vivificantem*; ut viuificans ibi sit idem, ac vivens in actu secundo. Plus est igitur esse vivum, seu vivificatum, quam animatum, juxta D. Augustini doctrinam qui non vocat puerperium vivum, quandiu sensu caret: caret autem quandiu non habet organa sensuum; etiamsi animam, quæ est principium sentiendi fortè habeat ante organizationem, siue, vt ipse loquitur, *sit informiter animatum;*
26 *quod in præsenti est valde notandum.*

Ex dictis colligitur facilè, cur iura Civilia, & Canonica

non

non puniant niſi eos,qui delent fœtus vivificatos; ut opportunè loquitur Jnnocentius III.cuius intelligentia, ut video fugit alios Canoniſtas, uno excepto Reverendiſſ. D.Hilarione, inter omnes oculatiſſimo interprete. Cum enim communis opinio pro eodem accipiat fœtum animatum, & animæ functiones exercentem, nam ex nullo alio ſigno poterant judices humani, & legum conditores dignoſcere (itavt homo, cui lex illa Exodi, & omnis alia lex, tam Canonica, quam Ciuilis eſt poſita, capax eſſet legalis obſervantiæ, quod abortiri facere mulierem, & puerperium necare,eſſet delictum homicidij) niſi ex formatione corporis organici, & vitalium functionum exercitio:ideo,ante talem formationem,vt dicebat D. Hieronym.*non reputatur homo*,licet fortè ſit homo;quia in fœtu jam vivat anima in actu primo,quod eſt dubium noſtrum.Quare in re dubia, fauorabilior pars pro delinquente fuit à lege eligenda;& huic dubio etiam Deus ipſe voluit ſe per Moyſem accomodare:ideoq; nolens rem Philoſophicam definire,ſequutus eſt hominum judicium; homines autem ex eo, quod non vident in fœtu formationem, vel operationes ſenſitivas, quæ ſunt indicia certa, quod ille fœtus ſit homo, exiſtimant rem eſſe dubiam, & putant probabile, quod ibi ſit anima: ſed quia hæc probabilitas non excludit dubium, cum non ſit aſſenſus certus, ideo ſtante hac incertitudine humani judicij, voluit Deus favere reo, ipſum à pœna mortis abſolvens, ſolàque arbitraria pœna puniens: melius eſt enim reum abſolvere, quam innocentem condemnare. 27

Cum autem juxta ſententiam *Ariſtotelis l.7.de An.c.3.& Plinij l.7.c.6.*omnes Canoniſtæ, & Theologi,imo etiam S. Pœnitentiaria, teſte *Naldo in ſum.V. Abortus, n.2.& Diana part.7.* 28 *tr.5.reſ 6.*admittat mares integrè formatos,& exercentes operationes ſenſitivas apparere die quadrageſimo à conceptu,fœminas vero die octogeſimo,& aliquando die nonageſimo;hinc eſt quod omnes conueniant in decernendis pœnis contra procurantes abortum, attendendum eſſe hoc tempus,in quo certum eſt fœtum vivere,cum vivat vita in actu ſecundo, *ſeu vivificatus ſit*,vt dicitur *in cit.cap. ſcut ex litterarum de homic.* &

tamen certum est, ut fatetur Gallego, & omnes Medici, & Anatomistæ consentiunt, quod ante dicta tempora, fœtus sunt perfectè formati.

29 Infero igitur quod supposita communi distinctione fœtus animati, & inanimati; sicut non licet dicere, quod ante hoc tempus fœtus non sit animatus in actu primo, cum res sit dubia, vt etiam melius infra videbimus, eo quod distinctio illa procedat de animatione in actu secundo; sic non licet dicere quod detur tempus ex communi Doctorum, in quo fœtus nullo modo sit animatus, quod intendebat argumentum quarto loco allatum.

Itaque ex hoc primo dicendi modo, solum est certum tempus perfectæ, & absolutæ formationis triginta dierum in masculo, & quadraginta, vel quadraginta duorum in fœmina. Nos autem tempus animationis in actu primo secundum animam rationalem inquirimus.

SECTIO VI.

Referuntur alij sex modi, quibus statuitur à quibusdam Auctoribus tempus animationis fœtus humani.

SVMMARIVM.

1 *Albertus Magnus sentit animam rationalem in fœtu masculo aliquando esse vigesima quinta die à conceptu.*

2 *Pythagorici, quos aliqui medici sequuntur, dicunt fœtum masculum decima-septima, fœminam vero decima-nona die animari.*

3 *Thomas Thomay sentit decima quinta die animari.*

4 *Astrologi die decima, fœtum humanum asserunt vivere.*

5 *Singuli planetæ opus humanæ conceptionis perficiunt; sed sol vivificat.*

6 *Alij*

6 *Alij sunt, qui dicant animã rationalem die septima infundi.*

7 *Et asserunt hanc esse sententiam* Hippocratis in lib. de Carn. *expressam; qui sane liber est Hippocratis.*

8 *In partubus perfectissimis gestandis requiruntur dies* 280. *ex sententia Hippocratis.*

9 *Beatissima Virgo mater Dei, suum Sanctissimum Filium gestauit diebus* 274. *in vtero; nempè sex diebus minus* 280. *respectu temporis in naturali conceptione exigiti; quia statim in primo momento fuit Christi fœtus perfectè formatus.*

10 *Imo ex hoc, non obscure colligitur fœtum viuere anima rationali ante diem septimam.*

SEcundus igitur dicendi modus est *Alberti Magni, qui lib.* 9. *de An. tract.* 2. *cap.* 5. vult masculum aliquando animari die vigesimo quinto à conceptione. 1

Tertius modus est *Pythagoricorum apud Censorinum de die natali c.* 12. *Nicolai Rocchei in lib. Gyneciorum de morb. mulier. cap.* 2. *Ricciard. in comment. Symbol. V. partus num.* 2. qui omnes numero senario apud ipsos sacro, diuidunt tempus partus septimestris dierum ducentorum decem, & decimestris, dierum ducentorum septuaginta quatuor, quos fatentibus Medicis, & comprobante experientia, solos vitales agnoscunt, & asserunt in septimestri, die decima septima, in decimestri, die decima nona, fœtum esse sanguineum, nutriri & vegetari, quare cum Anima vegetans dubitetur an distinguatur in humano fœtu à rationali, iuxta hunc dicendi modum dubitare quis prudenter poterit, quod fœtus humanus viuat anima rationali die decima septima, vel decima nona. 2

Quartus modus est *Thomæ Thomay Medici Rauennatis in lib. cui titulus. Idea del Giardino del Mondo. cap.* 9. qui existimat fœtum decima quinta die esse animatum, quatenus dicit, hoc tempore apparere ex dilatatione pulmonum respiratjonem. 3

Quintus modus est, *Astrologorum ex eodem Nicolao Rocheo c.* 21. dicentium, die decima fœtum humanum uiuere; fundantur *in propositi.* 51. ex Centiloquio Ptolemæi; quæ sic habet. *Vbi est Luna tẽpore natiuitatis, illud signum in conceptione ascendebat, &* 4

vbi

vbi fuit in conceptione; illud signum in natiuitate ascendet, aut diametraliter, & oppositum. dicunt autem Astrologi, quod tres Planetæ superiores concurrunt ad primam fœtus formationem scilicet Saturnus suo frigore, & siccitate cõgregat, & constringit materiam generationis; Iuppiter suo spiritu illam viuificat; & Mars suo calore, & siccitate roborat, & firmat : atque hi tres Planetæ septem primis diebus operantes formãt tria præcipua membra, iecur, cor, & cerebrum. Sol deinde sua actione suggerit fœtui materiã nutritionis, & augmentationis membrorum, vt iam recipere valeat, id quod in triduo perficit. Ueneri quintam actionem adscribunt formandi membra, quam spatio complet dierum nouem, sextam actionem Mercurio tribuunt, qui assistit membrorum discretioni, & separationi, & formationi etiam instrumentorũ, quæ ad vocem, & sensus exercendos sunt necessaria; & hæc omnia expedit diebus duodecim: septimam deinde actionem attribuunt Lunæ, quæ cum sit humidus Planeta toto deinde tempore, fœtum expolit, & perficit. Itaque iuxta Astrologos die decima influente sole vitam hoc tempore fœtus viuit.

Sextus modus est *Ferdinandi Menæ in comment. de septimestr. part. Petri Garziæ, Carrery, & Prosperi Martiani in notat. ad lib. Hippocr. de Carn. vers. 216. & Nathanaelis High. mori in corp. hum. disquis. Anat. l. 1. c. 5. vers. atque sic, &c.* qui dicunt septima die, à concepto semine, animam rationalem infundi. Fundamentum huius sententiæ est in Hippocrate qui *lib. de carn.* sic habet. *Hominis spatium temporis conformandi septem dierum est; nam septem diebus habet omnia quæ corpus habere debet.*

Et hoc dicit se pluries expertum fuisse in Abortiuis Scortorum, & concludit : *clarum & ex hoc est, quod hominis in vtero conformandi tempus septem dierum est.*

Aliqui dicunt hunc librum *de Carn.* non esse legitimum sed compositum à Polybio Hippocratis discipulo.

Sed gratis opponunt; quia aliqui ex recentioribus Medicis, vt *Iacobus Schenchius lib. 2. de plastic. sem. facult. fol. mihi 4. Antonius Mirindolus* infra citandus, & *Mercurialis Censura in Hippocratem. & Galen. in lib.* An quod *in vter. anim. cap.* 3. illum tanquam

quam librum Hippocratis adducunt & ideo *Ioannes Antonius Vender. lib. de scriptor medicis* inter opera Polybi non recenset. Præterea, vt bene monet *Martianus* liber *de Carn.* in senectute, liber vero *de Natu. puer.* in juventute conscribi potuerunt; & ideo nihil mirum, quod in illo libro addat majorem experientiam, quam in isto in quo dicit conceptionem sexta die fuisse informem; & alioquin hic liber doctrinam Hippocratis continet solidam & receptam.

Deinde quia cuiuscumque Auctoris sit opus, quia adducit experientiam sæpius repetitam, fidem facit, & est admittendus ad practicum iudicium formandum de existentia animæ rationalis in fœtu, alioquin nemini credemus historiam referenti; quod si spatio septem dierum, homo ex sententia Hippocratis est formatus, & ex auctoritate Sacræ scripturæ *Exod.* 21. 22. quando homo est formatus datur anima pro anima, iam fœtus humanus septima die animatus erit anima rationali.

Probat autem hunc modum dicendi Martianus, nam Sanctissima Dei Genitrix etiamsi in principio, & in fine miraculosè, virtute Spiritus Sancti conceperit, & parturierit Filium suum sanctissimum; tempore tamen gestationis, menses observavit, sicut aliæ matres; nam à die Conceptionis quæ incidit in vigesimam quintam diem Martij, usque ad partum, qui fuit media nocte præcedente vigesimam quintam Decembris, ut com- 8
munis Ecclesiæ testatur Auctoritas; dies ducenti septuaginta quatuor fuerunt. At certum est ex doctrina Hippocratis, quem præceptorem in hac materia recipiunt omnes, tempus, quo perfectissimi fœtus in vtero morantur, à conceptione, inquam ad horam partus, esse dierum ducentorum octoginta, vt ipse testatur *in lib. de Septimestri partu vers. 76.* & clarius *in lib. de Carn. vers. 240.*

Cum itaque tempus gestationis vteri communiter sit dierum ducentorum octoginta, & quidam hoc tempus nascuntur, ob aliquam violentiam euenire docet idem *Hippoc. l. de Nat. puer. vers. 470.* tempus vero, quo Christus Dñs in utero sanctiss. 9
Virginis commoratus est, statuatur ab Ecclesia dierum ducentorum septuaginta quatuor; siquidē in momento, vt dictum est,

corpus fuit integrè organizatum ; sequitur horum duorum temporum, nempe dierum ducentorum octoginta, & ducentorum septuaginta quatuor differentiam, in sex diebus consistere, quibus expletis, articulationem conceptus absolui, & rationalem animam infundi, ab Hippocrate statutum est.

Verum quia fieri potest, ut quod Hippocrates in Scortorum conceptibus violenter excussis observavit, etiam anteactis diebus factum esset, & humanam cognitionem latuerit: idèo Martianus concludit, positionem Hippocratis, quod articulatio fœtus septima die sit completa, non esse absurdam, sed rationabilem, & fortasse etiam veram, nam inquit indubitata veritas à solo Deo est.

Liceat igitur mihi addere, quod non propterea certi sumus hominem, non vivere anima rationali ante septimam diem, & ideo sunt alij modi dicendi.

SECTIO VII.

Referuntur alij duo modi explicandi tempus animationis juxta quartam sententiam.

SVMMARIVM.

1 *Ante diem septimum, dicunt aliqui vivere anima rationali humanum fœtum.*

2 *Et videtur expressa sententia Aristotelis.*

3 *Ex admirabili artificio humani corporis infertur solum Deum esse eius causam efficientem.*

4 *Et probari videtur ex sacris litteris.*

5 *Alij recentiores dicunt tertia die à conceptione animam rationalem esse in fœtu, & videtur esse sententia Avicennæ.*

6 *Hi Auctores cum Scoto, Galeno, & alijs dicunt animam ipsam rationalem efficere tam elegantem sui corporis formationem.*

7 *Bersabea à Davide cognita non statim, sed post aliquot horas certificata est de conceptu.*

8 *Fœtus*

8 *Fœtus in sacris litteris ponitur pro fœtu animato.*

9 *Cum non videatur distinguenda causa efficiens fœtum à vi formatiua membranarum, & aliarum dissimilarium partium, quæ tertia die incipiunt formari, infertur, animam ibi esse tertia die.*

10 *Non potest membranarum formatio esse à solo uteri calore, ut crusta panis à calore clibani.*

11 *Membranæ autem, quod quinta, vel sexta die sint formatæ, auctoritate & experientia probatur.*

12 *Seminum mixtio in utero fit subito: natura enim non est otiosa nec momento temporis.*

13 *In prima rerum effectione agens non operatur cum omnibus requisitis, quæ postea quando est in perfectiori statu exigit.*

SEptimus modus dicendi, & explicandi sententiam probabiliorem, quæ dicit in humano fœtu nullam animam præcedere vitam rationalem, est *Antonÿ Mirindoli Art. Med. par.* 1 1 *lib.* 4. *cap.* 8. *fol.* 118. *vers. Quare à &c.* qui sentit intra septem dies, & ante diem septimum fœtum nutriri, & esse animatum anima rationali; quia tunc vivit cum nutritur; moueri autem circa quadragesimum diem apparet; ergo priùs, inquit, vivebat anima vegetante; & coniectat hic auctor fœtum viuere, cum primum vitæ filamenta sunt formata; tunc enim ad conservationem succo alimentari irrorante per vasa vmbilicalia nutritur, quæ ut vidimus ex obseruatione Hippocratis intra septem dies accidunt; *at*, inquit, *quocunque die vivat, eo* 2 *ipso Deus animam rationalem per creationem infundit*, ita ille; cui fauere videtur *Arist. lib.* 7 *de Histor. animal cap.* 3. vbi ait: *Sed si semen intra septimum diem intus permanserit, conceptum iam esse certum est*; Ad hunc septimum dicendi modum pertinet *Fernelius lib.* 7 *de Homin. procreat* quatenus dicit die septima membra situ, & substantia apparere discreta; & hanc sententiam asseruisse auctores illustres testatur *Ludovicus Bonaciolus Muliebrium lib.* 2. *cap.* 2. *fol. mihi* 708. *&* 716. qui etiam illam sequitur dummodo semen non sit effusum. Explicat seipsum, & defendit suam sententiam Mirindolus quatenus *dict. cap.* 3. discussis,

& excluſis variis ſententiis de prolifica hominis forma fatetur ſe de fœtus humani formatione cauſam ambigere: nam cum ſummam in huius fabrica, & ſapientiam, & potentiam videat, adduci non poteſt, vt credat, quod quæ in ſemine eſt anima vegetalis, fœtum ipſa formet; cum non modo ſapiens non ſit, ſed omni prorſus ratione careat; & ideo docet hic auctor, Deum ſolum, vel Angelum ad illius cuſtodiam deputatum,
3 cauſam eſſe illius ſubſtantialis, & admirandæ organizationis, quatenus applicando actiua paſſiuis perfectam membrorum formationem molitur.

Hic modus dicendi licet ſit parum philoſophicus non eſt omnino inveriſimilis, nec improbandus quoad efficientiã ſolius Dei; nam re vera Sacræ literæ ſpeciali quadam emphaſi, & expreſſione loquuntur, quod humani corporis formatio ſit à
4 Deo; & quidem diuerſo modo, ac alij naturales effectus ab ipſo producuntur, ſiquidem Jobi cap. 10. 8. dicitur: *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu.* Pſalm. 118. verſ. 73. *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me,* & Pſal. 128. verſ. 5. & 6. *Tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam:* & quia opificium eſt apprimè mirandum ſubdit: *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me:* vbi Lyran. exponit *ob incomprehenſibilem modum procedendi Diuinæ bonitatis.*

Et ne aliquis putaret hæc dici à Davide de prima Adæ formatione addit: *Non eſt occultatum os meum à te quod feciſti in occulto. Pſal. 32. verſ. 5. qui finxit ſigillatim corda eorum: Et Iſaiæ cap. 64 verſ. 8. Et nunc Domine Pater noſter es tu, nos vero lutum, & Fictor noſter es tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Et Hieremiæ cap. 1. verſ. 5. Priuſquam te formarem in vtero noui te: Et Machabæ. 2. c. 7.* illa mater ſeptem filiorum dicebat de illis, quos ipſa conceperat in utero, *Singulorum membra non ego ipſa compegi, ſed enim mundi Creator:* Et Lucæ 11. verſ. 40. Chriſtus Dominus reprehendens Phariſæos, quia ſolum ad externam corporis ſpeciem attenderent, non autem ad animæ ornatum, eodem modo loquitur de corporis humani, & animæ formatione dicens: *Stulti, nonne qui fecit quod de foris eſt, etiam id, quod de intus eſt fecit?* Et paſſim alibi

ſacra

sacra eloquia eodem modo loquuntur de animæ rationalis, & humani corporis à Deo formatione: Et Sancti Patres etiam, præsertim vero auctor *lib. de Eccles. Dogmat. c* 14. dicit Deum esse nostrorum corporum formatorem, & *Tertullianus*. qui de animæ nostræ substantia non benè sensit *lib. de An. cap*. 37. dicit Angelum esse humani corporis opificem, hoc est, vt Mirindolus interpretatur, Angelum custodem sicuti eiusdem animæ est efficiens ita, & corporis.

Sed licet falsum sit, Angelum Custodem animam rationalem creare, cum iuxta meliores Theologos: creare, sit solius Dei; non est tamen incredibile ex modo loquendi sacræ scripturæ quod sicut Deus propter animæ nostræ nobilitatem, & excellentiam (quod erudite probat P. Theoph. Raynaud, de ortu infan. cap. 10. n. 27. & 28. ita est eius causa, vt excludatur omnis alia naturalis concausa, eodem modo sit nostri corporis Artifex propter stupendi operis elegantiam,

Octavus dicendi modus est *Auicennæ, qui lib. 9. de nat. animal cap*. 3. dicit animam rationalem infundi aliquando tertia die à conceptione, ita refertur ab aliquibus, & præsertim *à Bellochio de casib, reseru. p. 2. quæst*. 8, *num*. 66. Sed ego attentè perlegi Auicennam, nec aliquid tale adinueni, solum vidi quod *l*. 16 *cap*. 1. quia in homine virtus sensitiua, & ratiocinatiua sunt idem subiecto, ex hoc infert Auicenna quod dum ex materia spermatica; quam ipse dicit butyrosam generatur homo; complentur simul membra pertinentia ad sensum, & ad rationem: non longe igitur abest Auicenna ab hoc modo dicendi, sed quidquid sit, hunc modum docet, & probat accuratè *Thomas Fienus* dum *lib. de vi formatrice fœtus quæst*. 8. *concl*. 11. dicit tertia die completam esse organizationem accidentalem, & iam deinde mẽbra formari, & vitæ filamenta apparere: id quod non malè ex præcitata obseruatione Hippocratis suadetur: at vero Fienus substantialis organizationis videns nullam aliam conuenientem causam naturalem assignari posse, cum *Scoto*; *Galeno*, & aliis asserit, esse ipsam animam rationalem, quæ per creationem 6
ibi à Deo infusa efficit sui corporis substantialem organizationem. Et videtur non alienus ab hac sententia *Aristoteles*

de An. cap. vltim. in fine qui dicit ipsam animam efficere sui corporis conseruationem, quia ipsa separata corpus interit, & tabescit. Ergo Ipsa erit formatrix membrorum.

Et quidem sententia Fieni habet etiam ex sacris literis probabilitatem, *nam lib. 2. Regum cap. 11. vers. 5.* refertur Historia Dauidis cum Bersabea adulterantis, qui vt patet ex textu, & notauit *Abulensis q. 11.* in hunc locum, statim ipsam per noctem cognouit, & primo mane, vt factum non innotesceret, remisit in propriam domum, quam historiam referens Spiritus sanctus ait, *dormiuit, cũ ea statimque sactificata est ab immũditia sua* id est mundata est à fluxu menstruo, quo tunc laborabat, vt *Sanctius*, & alij explicant; *& reuersa est in domum suam concepto fœtu; mittensque nuncia Dauid, & ait concepi, &c.* hoc vltimum verbum *concepi*, etiamsi nihil aliud addatur, intelligi debet de fœtu tum quia paulo ante dictum fuit *concepto fœtu* tum quia non potest significare nisi, vel fœtum, vel materiam, id est semen; at hoc secundum dici non potest; nam quando sacræ literæ nominant præuiam generationis materiam, illam disertis verbis exprimunt, *vt c. 14. vers. 4. Iobi*, dum de homine dicunt esse *de immund conceptum semine*, tum quia si mulier voluisset monere solum modo Regem, quod semen conceperat commodius id fecisset per se ipsam, quam per nuncium, & antequam regiam domum egrederetur; tunc enim satis nouerat, se illud retinuisse neque effluxum passam, sed ignorabat, an genuisset fœtum: ideo cum hoc scire non posset nisi aliquot horæ laberentur, expectauit signum certum generationis, Ita explicant *Glos. Hugo Cardinalis, & Pineda in Salom. lib. 1. c. 7. n. 5.*

Manet igitur, quod de fœtu intelligatur verbum illud *Concepi*, ideo ex Hebraica radice *Marius de Calasco in concord. Hebraic. tom. 1. fol. 1339.* transfert, *& concepit mulier, & dixit pragnans ego.* At vero quoties Sacræ Literæ vtuntur hoc nomine *fœtus* absolutè, & simpliciter prolato, intelligunt de fœtu animato, ideo *Genes. cap. 28. vers. 4.* de Uxore Judæ dicit vulgata: *rursumque concepto fœtu. Pagninus* transfert, *& concepit, & peperit filium*, & *Genes. cap. 31. vers. 8.* de pecoribus Jacob *Vulgata* habet: *Pariebant oues diuersos fœtus*; *Pagninus* vertit: *Pariebant*

omnes

omnes pecudes maculis respersas: *Et Levit. cap. 22. vers. 28. Siue bos, siue ovis non immolabuntur vna die cum fœtibus suis*: *Pagninus.* habet: *bouem autem vel pecus ipsum & filium eius immolabitis die vna*: *Septuaginta*, *Vitulum, & ovem ipsam, & filios non jugulabis in die vno. Chald. bouem, aut ovem non immolabitis vno die cum filio, & Iob. c. 21. n. 10. Vacca peperit, & non est privata fœtu suo. Prou. c. 17. 12. expedit magis vrsæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo confidenti sibi in sua stultitia.* Cant. c. 4. 2. *dentes tui sicut greges tonsarum quæ ascenderunt de lavacro omnes gemellis fœtibus; & non est sterilis inter eas, &c.* Hebræ. *omnes gemellos fœtus edentes.* Chald. *omnes pariebant gemellos.* Hierem c. 31. 2. *& confluent ad bona domini, super frumento & vino, & oleo & fœtu pecorum, & armentorum.* Hebr. *& super filios pecorum & boum.*

Itaque iuxta Sermonem sacrarum literarum, idem erit *concepto fœtu*, & concepto filio. At vero notandum ex *Abulens. q.* 8. Quod ideo Dauid remisit illam in domum suam, ne vel ad breue tempus visa mulier in Palatio Regis, malam suæ famæ, suspicionem excitaret; ergo intra breue tempus à Conceptione vel præparatione materiæ Anima rationalis est in fœtu.

Hic discursus si quid probat, probat etiam, quod post aliquot horas materia generationis animatur vita rationali; ut videbimus in decimo modo.

Probat deinde Fienus suam sententiam, ratione, primo; cum non sint temere, & sine necessitate multiplicanda entia, non est credendum vim formatiuam membranarum distingui ab illa quæ fœtum efficit; sed vnam, & eandem animam rationalem formare primas membranas, & corporis membra; sed quod format membranas debet tertia die esse in semine, ergo, &c.

Secundo quia membranæ fœtus gratia formantur, iisque semẽ obducitur, ne sordibus vteri, & sanguine menstruo fœdetur. néve diffluat, & utero excidat, aut spiritus inexistens exhalet.

Tertio; quia vasa umbilicalia conformentur ab eadem causa, à qua fœtus: ergo & membranæ; debent enim membranæ cum venis umbilicalibus apte coniungi, & vasa umbilicalia ipsis vestiri, & ipsas perforatas pertransire: at illa vnio, & connexio non potest fieri à conformatrice diuersa.

Minorem

Minorem probat, quia cum cauſa efficiens ſit prior tempore, vel ſaltem natura cum effectu ſuo, debet, vel antequam membranæ formentur vel ſimul, ac formari incipiunt, eſſe in ſemine; at membranæ formatæ ſunt ad ſummum quinta, vel ſexta die: ergo ad minimum formari incipiunt tertia die: videtur enim ad minimum biduum, aut triduum requiri, priuſquam membranæ ſint perfectæ, cum ſtructuram ſatis artificioſam habeant, & venulas, & arteriolas, per ſubſtantiam ſuam decurrentes, quæ non poſſunt temporis momento formari.

10 Quod ſi dicas membranas non fieri à vi vlla formatrice, ſed ſolum à calore vteri, ſicut cruſta panis à calore clibani, & pellicula in lacte à calore ignis.

Reſpondet generationem membranarum & connexionem cum vaſis vmbilicalibus, adeo eſſe artificioſam, vt à calore per ſolam exſiccationem fieri nequeat: præſertim quia ſpecialiter à natura intenditur; quia ſine ea formatus fœtus ex ſemine fieri nequeat: quare non fit ex ſola neceſſitate naturæ.

11 Quod vero membranæ quinta, vel ſexta die ſint formatæ; primo probat experientia, & Medicorum obſeruatione; nam *Hippocrates*, vt iam diximus *lib. de nat. puer.* affert Pſaltriam quæ genituram ſexto die à conceptione, pellicula obductã, eiecerat, & *Galenus* 1. *de ſem. cap.* 4. ait Mulieribus ſæpe, poſt tres, aut quatuor dies à conceptione, ſemen membrana circumuolutum excidiſſe, & *Macrobius de ſomno Scipionis lib.* 1. *c.* 6. & recentiores medici ſuis obſeruationibus confirmant.

Probat quarto, quia ad animæ introductionem; non eſt opus alia actione, quam vt ſemina in vtero virtute, & calore eius
12 miſceantur, fermentẽtur, & actuentur; ad hanc vero mixtionẽ, & fermentationem, non eſt opus longa temporis mora, natura enim, ne momento quidem temporis, eſt otioſa; ſed mox à concepto ſemine incipit operari, & ſemini, non eſt opus vlteriori, & maiori in vtero alteratione, & elaboratione, vt patet ex ſeminibus plantarum, in quibus, quia ſunt vltimæ diſpoſitiones ſæpius antequam terræ mandentur in tabulatis incipiunt ſponte germinare. Hæc ſunt quæ Fienus in ſummam redacta affert pro ſua ſententia.

Inſurgit

Insurgit contra hunc dicendi modum *Mirindolus cit. cap.* 8. *vers. Thomas*; quia difficile sibi videtur, quod anima in materia non organizata possit, se ipsa immediatè membra delineare, distinguere, & formare, præsertim cum in probabili Philosophorum sententia, substantia non sit immediatè operativa.

Sed hæc instantia non tollit rationum efficaciam, siquidem in omnibus tam Physicis, quam moralibus, & artificialibus videmus, quod ab initio rerum, non necessario seruantur illa omnia, quæ deinde, quando agens est in suo perfecto statu, obseruat. Sic in prima orbis creatione, ante diem quartum, in quo Sol, Luna, ac Stellæ facta sunt à Deo, lucem primam creatam ab initio circumferebant nubes, seu aliud corpus lucidum, iuxta orbis indigentiam: sic in prima hominis creatione, non sunt obseruata tempora naturalis incrementi; sic in absentia Gallinæ cubantis, calore ignis excluduntur pulli; & vermis serici vita ab adscitio calore ex semine excitatur: sic inarte, quæ confici sibi sua instrumenta, non statim vtitur instrumentis perfectè elaboratis cum illa non habeat: sic in principio alicuius Religionis approbatæ non est necesse quod primi professentis vota acceptentur ab aliquo Religioso eiusdem Religionis, cum nullus præexistat; quod tamen est necessarium in secundo, tertio, & alijs, qui profiteri valide volunt, Et multa sunt huius rei exẽpla, tam in naturalibus, quam in alijs. Itaque sicut singularis est prima animæ rationalis creatio, propter sui excellentiam, ita inconueniens non est, quod propter mirabilem illã organisationem, singulares etiam sint eiusdem animæ primæ operationes, cum modus operandi sequatur modum essendi.

SECTIO VIII.

Recensetur nonus dicendi modus.

SVMMARIVM.

1 *Vopiscus Fortunatus asserit cum alijs citatis à Farinac. in*

ipso conceptionis momento animam rationalem creari in materia, quia natura non est otiosa.

2 *Post tres, aut quatuor dies genituram membranis esse inclusam ait Galenus.*

3 *Probatur hic dicendi modus, etiam ex festo Immaculatæ Deiparæ Conceptionis.*

4 *Hac tamen probatio non est efficax.*

5 *Melius probari videtur ex conceptione S. Ioann. Baptistæ.*

6 *Conceptio S. Ioann. Baptistæ incidit in diem 24. Septembris.*

7 *Explicatur discrimen inter Christi, & eius præcursoris conceptionem.*

VOpiscus Fortunatus Pemplius, *Amstelodamensis artis, & Medicinæ Doctor, & in Academia Louanienſi. Primarius lib. 2. de fundament. Medecin cap. 6.* laudat supradictam sententiam Fieni, & addit ipso primo momento conceptionis, animam humanam corpori increari, & huius sententiæ videntur aliqui, quos citat Farinac. q. 122. n. 139,

1 Primò quia natura ne momento quidem est otiosa, sed mox à concepto semine incipit operari, & statim in semine fiunt operationes; & *idem Galen. lib. 1. de sem. cap. 4.* docet post tres, aut quatuor dies, semen membrana esse inclusum.

2 Secundo, quia hic modus Ecclesiæ vniuersali videtur esse conformior, celebrat enim Ecclesia festum Immaculatæ Conceptionis Sanctissimæ Virginis Mariæ die 8. Decembris: natiuitatem vero die 8. Septemb. sed si 8. die Decembris in conceptu illo non adfuisset anima rationalis, celebraret conceptionē vel inanimatæ, vel cuiusdā brutæ massæ, quod non est dicendū.

3 Tertio, quia celebrat Immaculatæ Conceptionis festum, quatenus iuxta piam. & communiter receptam sententiam illius anima non fuit, vel in primo momento suæ creationis, & vnionis cum corpore peccato originali infecta: ergo supponit in illa die 8. animam illā sanctissimam corpusculū suū informasse.

4 Verum ex hac Ecclesiæ festiuitate mihi non videtur satis efficaciter probatus hic nouus dicendi modus; nam bene potuit triduo, aut quatriduo ante octauum Decembris, iuxta modum

dum dicendi à Fieno traditum præcessisse prima seminis conceptio,& deinde completa accidentali organizatione anima eius,die octaua Decembris increari,& immaculata,& impolluta vniri,quod Ecclesiæ satis esset,ad immaculatam Conceptionem celebrandam.

Melius fortasse probaretur ex conceptione S.Joannis Baptistæ,nam *in Euangelio Lucæ cap.*1. describitur tempus conceptionis dum dicitur *factum est,vt impleti sunt dies officij eius.* Zachariæ videlicet,*abijt in domum suam Zacharias; post hos autem dies concepit Elizabeth.lect..Arab.habet.grauida facta est : Euthymiús in hunc locum* dicit quod *Zacharias post dies expleti ministerij congressus est cum vxore sua, vt filium sibi compararet , iuxta Angeli promissionem.* Euthymium sequuntur alij Patres. Post hæc;Angeli testimonio dicentis *& hic mensis est sextus illi,quæ vocatur sterilis,*computatur tempus sex mensium conceptionis , & cum præcursoris Natiuitas , celebretur die vigesima quarta Junij, hoc est tribus mensibus post diem vigesimam quintam Martij,in qua Angelus ita alloquebatur, sequitur eius conceptionem fuisse die vigesima quarta Septembris, vt testatur etiam *S. Ioannes Chrysostomus homil.* 11. *in Lucam* , quem omnes fere Sancti Patres sequuntur,& præsertim *Beda. Hugo Cardinalis,Haymon,S.Thomas in cat.& Dionysius Chartus.& aliquæ Ecclesiæ Christianorum , vt notauit Cornelius à Lapide* celebrant Præcursoris conceptionem, hac die vigesima quarta videre est *ex Martyrologio Vsuardi , & Molani.* At vero ab hoc tempore ; vsque ad vigesimam quartam Junij sunt nouem menses vsuales , seu ciuiles;qui à medicis regulariter humano fœtui assignantur.vt perfectiori modo edatur in lucẽ& totidem ad amussim excurrunt ad vigesimã quintam Decembris, qua natus,ad vigesimã quintã Martij,qua conceptus est Christus,& sine dubio anima rationali animatus,vt supra vidimus. 5 6

Sed responderi facilè posset ex communi Patrum,& Theologorum sententia organizationem Corporis Christi,quia Spiritus sancti virtute infinita facta est,fuisse completam in instãti,& ideo:vt *S.Thomas* 3.*part.q* 33.*vlt.in fine*, per hoc dicitur ipse *Filius Dei conceptus* , quod aliter dici non posset , hoc est 7

eius animam creatam, corpori vnitam & in eodem momento totam naturam humanam assumptam à Verbo. Hæc autem miracula non fuerunt in conceptione Præcursoris, sed solum quod mulier senex, & infœcunda opera viri conceperit; quod vero in prima conceptione seminis statim, vel paulo post, conceptus sit filius, non ex Evangelica Historia certum, nisi quis vim faceret in verbis Angeli dicentis, *& ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis est sextus illi; &c.* id est à conceptione sicuti *S. Thomas l. citat. art. 2.* vim facit in verbis Symboli. *Qui conceptus est de Spiritu sancto*: Filius autem hominis in proprietate loquendi, vt S. Thomas modo relatus discurrit, non est massa carnis, aut genitura, sed compositum ex corpore & anima rationali.

Cæterum hæc prosequi, & probare non est mei instituti, quia solum varios dicendi modos de tempore animationis recenseo, & omnes in sua probabilitate relinquo; vt ex illis constet, quam varium sit, & incertum hoc tempus animationis.

SECTIO IX.

Refertur vltimus dicendi modus.

SVMMARIVM.

1 *Refertur sententia asserens in fine secundæ diei, permixtis seminibus, statim adesse animam rationalem, quæ totum opus molitur, & perficit.*

2 *Intra septem horas si semen fuerit ab vtero retentum, animam ibi adesse* ex Macrobio, Hippocrate, & Tertulliano, *Probatur.*

3 *Ex* SS. Greg. Nyssen. & Cæsar. *probatur animam simul, & in momento esse cum corpore.*

4 *Semen permixtum in vtero statim incipit vivere.*

5 *Infertur ex ante dictis dubium ad minus esse, quod anima rationalis sit, vel non sit ante 30. dies in fœtu.*

DEC

DEcimus, & vltimus dicendi modus est, *Danielis Sennerti Doctoris, & Medicinæ in Academia Vvittembergensi, Professoris*, qui in *Hypomnematibus Physicis Hypomnemate 4. cap.10.* ubi commendasset doctrinam Fieni, dicentis tertia die, imo in fine secundæ adesse animam rationalem, ipse existimat quam primum in utero semina sunt permixta, id est spatio septem horarum ab una, & eadem anima rationali incohari, continuari, perfici, & absolvi totam corporis humani fabricam; addiitque contrarium sentientes in absurdissimas opiniones incidisse. 1

Probat suam sententiam *Sennertus* tum auctoritate, tum ratione, & primo ex Macrobio *lib.de Somn.Scipion.cap.6.* qui ait: *Semen quod post iactum sui intra septem horas non fuerit in effusionem relapsum, hæsisse in vitam pronunciatur.* Et paulo post *Conceptum, quem quisquis vltra septem horas sustinuerit, esse ad vitam creatum:* Idem sentit *Ludovic. Mercatus lib.3.de morb.mulier. c.6. Hippocrates, lib.de genitur.* non à septima, sed ab ea, qua semen retentum fuit conceptionis initium computandum docet, dum ait: *Si mulier aliquando partum experta fuerit & aduertit quando genitura non exciderit, sed virtus permanserit „ sciet qua die conceperit. Et Tertull.l.de An.* ait, *& in ipso & ex ipso seri hominem, & vivum esse à primordio semen.* 2

Et S.Gregor.Nyssenus de An.& resurrect.ait, *posteriorem esse originem animarum, ipsasque recentiores esse corporum constitutione, nemo sana mente præditus in animum induxerit, &c.* 3

Et *S.Cæsar.lib.Dialog.dialog.3.in responsione ad 115. interrogationem*, loquens de anima nostra, & corpore dicit neque alterum ab altero generatione prius est, sed vtraque ineffabiliter propter bonitatem Deus in momento fabricavit: Et paulo post, *Longe etiam mihi velim ab illa resilias opinione, quod corpore posterior sit anima*, idem sentit *Beda de mun.const.§.de certa.* 4

Secundo ratione probat, quia imperfectum semen plantarum statim animatur, vt patet ex eo, quod sæpe sponte germinet, absque eo quod terræ mandetur; ergo & perfectius semen, nõ tantum hominis, sed brutorum, & conformatio membranarum, statim ac conceptum est, & fermentatum incipit eo

corrupto, adesse anima: & nulla alia causa est necessaria, quam ipsa anima, qua viuere debet tale animal, ergo adest ipsa non solum tertia die, sed statim, ac membranæ incipiunt fieri, nempe à primo conceptionis momento intra septem horas.

5 Hæc sunt quæ de prima animæ rationalis existentia dicuntur ab auctoribus; quæ nec evidentia sunt, nec certa, sed tantum probabilia; verum in tanta rerum varietate, illud ad minus videtur esse certum, quod tam dubium est, existere, quam non existere animam rationalem in fœtu, ante illud tempus triginta, vel quadraginta dierum perfectæ formationis à quibusdam præscriptum & ab obstetricibus nimis periculosè obseruatum.

SECTIO X.

Ponitur sententia Auctoris.

SVMMARIVM.

PRIMÆ PARTIS.

1 *Modus quo anima rationalis ingreditur corpus ignotus est Christi testimonio* cap. 3. Joan.

2 *Infertur ex hoc quod etiam sit incertum tempus.*

3 *Ex* 10. cap. Job. *probatur rem esse dubiam, an anima ingrediatur corpus, ante, vel post eius conformationem.*

4 *Ex* Psal. 128. *probatur ad literam, quod cognitio, & scientia de formatione humani corporis, est solius Dei, & hominibus omnino occulta.*

5 *Ex* cap. 11. n. 1. & 5. Eccles. *probatur esse hominibus ignotum tempus, & momentum, quo anima rationalis corpus informare incipit.*

6 *Ex* cap. 3. n. 1. Job. *probatur incertum, & dubium esse tempus, quo humanus fœtus animatur.*

7 *Idem patet ex* lib. 2. Machab. c. 7. n. 22.

Vltima

VLtima igitur, & sexta sententia erit, quæ ex supradictis omnibus necessario colligitur, nimirum incertum esse & valde dubium tempus illud præcisè, quo Anima rationalis à Deo creatur, & infunditur in corpus, sed ne prolixitas tædium pariat, dividemus præsentem Sectionem in tres partes; in quarum altera argumenta ex Sacris litteris; in altera ex Sanctis Patribus; & tandem ex rationibus iam adductis, & adducendis nostram sententiam referemus.

PARS PRIMA.

Probatur ex Sacris Literis, quàm sit incertum tempus quo fœtus humanus Anima rationali vivere incipiat.

PRimum ex Sacris Literis argumentum petitur *ex c.3. Ioan.* ubi cum Nicodemus audiret Christum Dominum dicen- 1
tem neminem salvari posse, qui ex unda Baptismi non esset renatus, ignorans quomodo qui iam natus est posset iterato renasci, neque huiusmodi spiritualem regenerationem capiens dicebat, quomodo homo cum sit senex regenerari potest, & renasci, cui Dominus respondens eius insciciam redarguit, dicens, *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis, vnde veniat, aut quo vadat.*

Hæc verba triplicem literalem sensum admittunt, primus est
de Vento; secundus de Spiritu sancto; tertius de anima homi- 2
minis, & hunc approbant *Hugo Card. in c.11. vers. 5. Salmer. tom.8. tract. 5. fol. mihi 45. Maldonat. Barrad. & Cornelius à Lapide*, & non improbabilem vocat *Lorinus cap.11. Eccles. vers. 5.* Itaque juxta hunc sensum reprehendit Christus Nicodemum, quasi dicat ait Lorinus, *Anima, quæ vult, animat corpora, & ex mortuis viva reddit, vult autem non omnia, quæ homines volunt, sed quæ ita sunt affecta, vt animari ab illa possint: & vocem eius audis, quia loquentem hominem, hinnientem equum, rugientem leonem vides,*

&

& ipsam quodammodo loquentem animam audis, vnde intelligis hominem viuere: nescis tamen vnde veniat, aut quo vadat, quia ignoras quomodo Anima corpus ingrediatur, quomodo egrediatur, aut in quid desinat, quis inquit Eccles. cap. 3. vers. 21. nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus iumetorum descendat deorsum? quid ergo mirum ò Nicodeme, quod non intelligas, quomodo fiat spiritualis animæ regeneratio, si naturalem prorsus ignoras?

2 Si igitur ex testimonio Christi nescitur modus, quo Anima corpus ingreditur, sequitur quod dubium sit tempus, & incertum, quo incipit homo viuere Anima rationali; nam inter alia, quæ hunc modum concernunt, præcipuum est; an statim ac coagulatum, & concretum est semen; an vero postea, quando accidentalis organizatio est completa, Anima corpus ingrediatur; siue potius, an expectet incohatam esse substantialem organizationem, saltem quoad formationem illorum trium, cordis nimirum, hepatis, & iecoris; an vero integram membrorum delineationem, & totius corporis completam formationem præstoletur. Cum ergo hæc omnia spectent admodum, & hic ex testimonio Christi sit nobis incertus, & ab homine ignoretur, sequitur etiam tempus esse dubium, & incertum; nam concretio seminis, organizatio accidentalis, substantia incohata, & completa, habent ex obseruationibus peritorum sua tempora, ergo intra quod tempus spiritus hominis incipiat viuere in fœtu dubium est.

3 Secundo *Iob c. 10. vers. 10.* vt Dei charitatem, & commiserationem erga se tot calamitatibus, & ærumnis affectum conciliet, exactissimè describit diuinum opificium, & diligentiam, qua Deus ipse hominem molitus est, ut opus tam admirabile non patiatur oblivione, vel dissimulatione neglectum aboleri & ad nihilum reduci, dicit enim: *Memento quæso quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me: nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? pelle, & carnibus vestisti me, ossibus, & nervis compegisti me; vitam, & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodivit spiritum meum; licet hæc cæles in corde tuo tamen scio, quia vniuersorum memineris, &c.* huiusmodi operis

ris modum, an nimirum anima primum in materia generationis à Deo creata, & exiſtens ſua ſibi fabricaverit inſtrumenta, & ipſum corpus ſubſtantialiter organizauerit; an vero prius corpus fuerit elaboratum, & conformatum, & deinde in eo creata anima. S. Job fatetur ſoli Deo eſſe notum, dum dicit, *licet hæc cæles in corde tuo*, & omnibus ſint abſcondita. At vero Deum ipſum hæc omnia recogitare, & omnium meminiſſe; ſed diſſimulanter illas ærumnas, & miſerias immiſiſſe, quamvis illum impenſe diligat. Fatetur igitur ſanctus vir rem eſſe hominibus ignotam, & valde dubiam, quod anima ingrediatur corpus ante inchoatam figurationem, vel poſt ipſam completam,

Tertio quia *Pſalm.* 128. *verſ.* 6. dicitur *mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam, &c.* Hic ad literam ſermo eſt de admirandis Dei operibus, in ordine naturæ factis ſed præcipuè in hominis generatione naturali: ideo *ſeptuaginta interpretes apud Agellium* vertunt: *hæc tua ſcientia, per quam omnia, & me inter cætera intimè noſti; adeo mirabilis, atque difficilis eſt ad cognoſcendum, ut ad eam pertingere non poſſim, &c.* eodem modo interpretatur hunc locum *Nazianzenus Orat de Theolog. & S. Baſil. Homil. 9. in Hexamer.* hæc ſcientia, quam Deus habet de hominis creatione, & conſtitutione eſt adeo excellens, vt hominis notitiam effugiat, & *confortata*, id eſt ut *Græcus interpres* ait, adeo elevata, ut ad illum David ſe non poſſe pertingere fateatur. 4

Et quod ibi ſermo ſit de naturali hominis generatione, patet ex *verſ.* 15. quo dicitur, *Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto, & ſubſtantia mea in inferioribus terræ, &c.* Pagninus vertit *Non fuit occultatum corpus meum à te, quando factus fui in occulto, &c.* S. Auguſtinus & Arnobius exiſtimantes melius eſſe à Grammaticis reprehendi, quam à Chriſtianis non comprendi legunt, *non eſt occultatum oſſum meum à te*, S. Hieronymus, *non ſunt occultata oſſa mea*, id eſt, inquit Agellius, *occultiſſimum eſt, & inueſtigari non poteſt, quomodo ex illa fluida, & molli materia oſſa exiſtant, & compingantur, &c.* Hæc autem res occulta, atque ſecreta minimè Deum latuit, quamvis illam in occulto, & abdito loco ſit operatus, nempe in ventre

matris, *& substantia mea*, id est productio mei corpusculi, seu statura mea non te latuit, quamvis ea in inferioribus terræ, id est in ventre matris facta sit.

Ad hunc autem sensum cohærenter sequitur *vers.16. imperfectum meum viderunt oculi tui*, Pagninus legit. *Embryonem meum viderunt oculi tui. Symmachus. Infirmem me viderunt oculi tui Hebræus. Inuclucrum meum*, id est fœtum secundinis, & ovo conceptionis complicatum distinctè cognoscit solus Deus, *& in libro tuo omnes scribentur*: id est, inquit, *Cardinalis Bellarminus*, quia in libro mentis tuæ omnes homines sunt descripti: *Dies formabuntur*, id est in dies formabuntur informia corpora, quorum opificium in mollissima, & tenuissima materia est adeo remotum à cognitione, vt nemo inquit, *Agellius* hominum sit, qui cognoscat huiusmodi abditissimum artificium.

Si ergo huiusmodi operis cognitio est solius Dei, sequitur rem hominibus esse valde dubiam.

Quartò ex *Ecclesiast. cap. 11. vers. 1. vsque ad* 8. Spiritus sanctus, vt obseruat etiam *Cornel. à Lapide* hortatur diuites ad largas eleemosynas; & inter alia motiva adducit, quod ipse Deus arcana sua providentia facit, ut diuites eleemosynarij nunquam depauperentur; sed potius rebus affluant: opus sanè Diuinæ munificentiæ admirabile, cuius effectum quotidie videmus, & experimur: tempus autem præcisum, & particulare in quo annui prædiorum fructus, & census, non, inquam, percipiuntur ab homine; sed multiplicati recolliguntur, & negotia omnia diriguntur ad lucrum, & damna, quæ aliis obveniunt, remouentur, ignoramus: huiusmodi opus dicit esse tam secretum, & occultum sicut incognitum est quomodo anima nostra, quæ spiritus est, corpus Infantis ingrediatur, & quomodo ea vilissima materia in diversas effigies, ac lineamenta formetur, & vt loquitur *S. Hieronymus; quomodo molleſcat in carnil. durescat in ossib. in venis palpitet, & ligetur in nervis*: verba Spiritus sancti *vers. 5. sunt. Quomodo ignoras, quæ sit via spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis, sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium*, Quo loco nomine spiritus animam intellectualem intelligunt *S. Hieron. Lyranus, Hugo,*

Hugo, Caietanus, Clarus, Vatablus, & alij & idem *Chaldæus* clare transtulit: *sicut non potest, ibi omnino esse perfectum, qua tandem via anima spiralilis, & vitæ capax in corpus infantis infunditur, & in fœtum, qui visceribus vtero gerentis Matris continetur. & ignoras plane, donec in lucem edatur masculus ne sit, an fœmina: sic nec iudicare poteris opera Domini quæ omnia summa prudentia perficit.*

Hunc etiam locum interpretatus *Salmer. loc.cit. ait: spiritus, cui tribuitur vita & iunguitur cum compactione ossium in ventre spiritus humanus siue animus noster, est, qui creatur, & infunditur corpori, ignoratur tamen via eius, quia nemo certè statuere valet momentum, quo creatur aut infunditur.*

Quintò quia *Iob. cap. 3. vers. 11.* cum sibi extremum malum imprecatus esset, dicit: *Quare in vulua mortuus, egressus ex vtero non statim perij, nunc enim dormiens silerem, &c. aut sicut abortivum absconditum non subsisterem.* Notandum est in scriptura, abortiuum nunquam sumi pro fœtu non adhuc animato, vt hic putauit *Glossa* vsurpari; sed pro fœtu qui aliquando fuit animatus, ideo Exod. 21. vers. 22. de muliere percussa à rixante viro dicitur, quod *si abortiuum quidem fecit. Emanuel Sa in Aphorism. ex Hebræo.* intelligit de viuo fœtu, ideo *septuaginta*, legunt *Et exierit infans eius Pagninus: & egressi fuerint nati eius* Alij apud Lippomanum: *Et egressi sint pueruli: Et Numerorum cap. 10. vers. 12.* pro Maria sorore Mosis à lepra percussa rogat Aaron *ne fiat hæc quasi mortua aut sicut abortiuum, quod proÿcitur de vulua Matris suæ*: vbi notat *Lorinus* duas afferri similitudines: alteram cadaueris, & hominis iam mortui, alteram abortiui, quod egreditur in frusta de vtero Matris à putredine consumptum, & quod *S. Augustinus infra referendus in Enchir. cap. 88.* dicit non posse negari absque temeritate, quod aliquando vixerit. *Et Ecclesia. cap. 6. num. 3.* de Auaro dicitur, quod *melior illo sit abortiuus.* quia auaritiæ peccato abortiuus non grauatur, sed vt hoc loco etiam ostendit *Cornel. à Lapide* significatur fœtus iam animatus, & qui deinde in vtero moritur; vel in ipso ortu; aut paulo post; ita vt eius memoria statim pereat. Sicut ergo abortiuus, ait *Cornelius*

in vanum recipit animam rationalem, ita Auarus; quia damnatur in Gehenna, & D. Paulus 1. Corinth. cap. 15. n. 9. appellat se ipsum. *Abortivum*, id est vt ait D. *Anselmus*, quem alij sequuntur, lumine oculorum orbatum, cæcum, & semimortuum, sicuti nascuntur Abortivi: ad differentiam aliorum Apostolorum, qui apertis oculis Christum sunt sequuti. Constat autem, quia semi mortuum, & cæcum se appellans vivum sine dubio existimavit. Igitur in sacris literis, abortivus dicitur ille, qui aliqnando animatus vixit, & oritur ante tempus. *At S. Iob.* vocat hunc *abortiuum absconditum* hoc est nemini notum, vt interpretatur Pineda: ergo incertum est, & dubium tempus, quo fœtus animatur in utero.

Sextò, quia sapientissimè Mater illa septem Machabæorum Filios suos Divino spiritu alloquuta, ut ad Martyrium hortaretur dicebat *lib. 2. Machabæ. cap. 7. n. 22. nescio qualiter in vtero meo apparuistis, neque enim ego spiritum, & animam donaui vobis, & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi Creator, qui formauit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem &c.* Et alia nonnulla essent ex sacris Literis testimonia, ad idem probandum, quæ brevitati studens omitto.

PARS SECVNDA.

Afferuntur Patrum testimonia, quibus probatur huius temporis incertudo.

SVMMARIVM.

1 Sancti Basilij, & Balsamonis, *sententia est, vt siue fœtus sit formatus, sive informis, abortus est verum homicidium, & ideo pœna homicidij punitur.*

2 S. Augustini *testimonio ostenditur hominibus esse ignotum tempus, quo anima rationalis incipit esse in corpore.*

4 S. Junilij Episcopi Africani, *Auctoritate idem confirmatur.*

5 Nec

5 *Nec refragatur.* Origenis *locus ex* commentario in Iobum; *quamvis non sit illius, sed alterius opus, qui post ipsum scripsit.*

6 *Sed cuiuscumque sit Auctoris non probat intentum.*

7 Auctor libri de Ecclesiast. Dogmat. cap. 14. *dum videtur dicere animam creari in corpore, iam formato, non loquitur ex propria sententia, sed vtitur argumento ad hominem.*

8 *Quod anima rationalis fiat ex traduce est propositio damnata à* Leone I. Papa.

9 *Tempore* S. Augustini, *non erat haec propositio damnata, & ipse valde dubitat, & dicit esse de ijs, quae Deus vult ab hominibus nescirì.*

10 Auctor libri quæst. veter. & nou. testam. *iam supra à nobis est exclusus* sect. 2. num. 7. & sect. 4. num. 13.

11 Auctor libri *de spirit.* & *An. non est S. Augustinus, & quicunque sit non est fide dignus, cum liber ille contineat errores.*

PRimo loco considerandus est & merito *S. Basilius Cæsa-* 1
riensis: qui *in secundo Canone* tanquam nimis scrupulosam reiiciens distinctionem inter fœtum informem & formatum, & quidem, vt ex Balsamonis Patriarchæ Antiocheni Commentario constat, propter eos, qui ante formationem negant fœtum esse animatum, ait, *Quæ de industria fœtum corrupit, cædis pœnas luat. Formati autem, vel informis subtilitas à nobis non attenditur. Hic non solum, quod nascendum est, vindicatur, sed etiam ipsa, quæ sibi insidias parauit quoniam vt plurimum huiusmodi inceptis, vna quoque mulieres intereunt: Ei autem accedit fœtus quoque interitus: alia cædes eorum quidem certe, qui hæc audent, existimatione.*

In quem locum *Balsamonis commentarium*, sic habet *Hoc autem dictum est propter eos, qui dicunt, quod quoniam semen in matricem deiectum non statim formatur in hominem; sed prius quidem fit sanguis; deinde in carnem humanam concrescit; deinde effingitur, & formatur in membra, & partes; non fit cædes quando abortio facta non fuerit fœtus; qui nondum est formatus; &c.* ex quibus constat D. Basilij; & Balsamonis sententiam esse vt fœtus sit animatus, etiamsi nondum sit formatus: & hoc non tantum in ordine ad culpam,

ted vt abortus verè sit homicidium,& homicidij pœna sit punibilis.

2 Secundo *S. Augustini quæst.* 80. *in Exod.* & refertur in cap. *Quod vero* 32.*quæst.*2. & supra, *sect.*5.*n.*19. expenditur; considerans fœtum ab vtero matris excussum,quando nondum formatus est, vocat quidem illum informem, sed quodammodo *informiter animatum.* & deinde subdit, *si talis est in carne nondum formata,& ideo nondum sensibus prædita,&c.*quibus verbis constat quidem apud ipsum,quod potentiæ sensitiuæ non sunt in carne,quæ nondum habet organa,vel nondum est formata at ipse suspensus manet, & dubius, an fœtus sit animatus ante formationem:& magis clarè in *Ench.c.*85. dicit,*scrupulosissime quidē inter doctissimos quæri potest,ac disputari,quod vtrum ab homine inueniri possit prorsus ignoro, quando incipiat homo in vtero viuere, &c.* & *lib.* 4. *de orig. Anim. cap.* 4. scribens ad quemdam Uincentium Uictorem, qui interrogauerat ipsum,vt diceret ex qua substantia implerentur vtres quando inflantur,dicit,*infantiam suam quisque non recolit,& putas hominem, nisi Deo docente posse cognoscere, vnde in matris vtero viuere cæperit, &c. Tum me docebis, aut quemquam, vnde homines animentur, qui nescisebas adhuc vsque, vnde vtres, qui inflantur impleantur.*

Tertio *Auctor Dialog.de orig.An.*sub nomine *S.Hieronymi* introducit S.August. qui ex illa dierum quadraginta quinque
3 diuisione in Schola Medicorum,vt vidimus,recepta,qua dicitur iuxta versum.

Sex in lacte dies,ter sunt in sanguine trini,
Bisseni carnem,ter seni membra figurant,&c.

Uidetur asserere,figurari fœtum, vsque ad perfecta lineamenta,spatio dierum quadraginta quinque, & deinde animari.Sed Auctor Dialogi ocurrit in persona D.Hieronymi.D.Augustino,eumque reprehendit,quod voluerit hac periodica notitia determinare tēpus,quo anima rationalis corpus,ingreditur vtiturque S. Hieronymi verbis in *Comment.ad cap.*11. *Ecclesiastici vers.*5.dicentis:*Sicut nescis viam spiritus, & animæ ingredientis in paruulum, & ignoras ossium, & venarum varietates*

tes, in ventre prægnantis, ita Dei opera scire non poteris.

Et Bridefertus Rameſienſis in Gloſſa ſuper *Bedæ Preſbyteri de nat rer. cap.* 2. ait, *Beatus Auguſtinus, & Hieronymus nihil temere de anima aſſerere conati ſunt, ſed ingeniosè ſe ignoraſſe dixerunt; vnde fiat, vel quando ad corpus veniat, vtrum tempore conceptionis, an alio quolibet tempore; &c.*

Quarto quia *Iunilius Epiſcopus Affricanus tom.* 1. *Biblioth. veter. patrum lib.* 2. *de Part. diuin. leg. cap.* 13. dixit; *de abortiuorum, & ſtatu, & merito cauſa ſubtilis, dubiuſque tractatus eſt.*

Dices aliorum Sanctorum Patrum doctrina eſt quod corpuſculum hominis non animatur, niſi poſt completam corporis formationem, vt Medici quidam aſſerunt atque ideo, ſicut datur tempus certum, in quo fœtus non eſt perfecte formatus, nempe triginta, vel quadraginta dierum; ita non manet dubium, vt hæc vltima ſententia aſſerit, tempus animationis.

Et Patres, qui hoc dicunt ſunt *Origenes, qui comment. in lib. Iob. Perionio interprete cap.* 10. *fol. mihi* 531. explicans ſupradictam Jobi deſcriptionem de hominis generatione, ait: *Phyſicorum ergo more aptum ordinem ponit, principium quidem appellans ſeminis effuſionẽ, & eius concretionẽ: deinde partiũ figurationem cutis, carnis, oſſiũ neruorum formationem, poſtremo animi à Deo infuſionem, &c.*

Reſpondeo primo Medicos primarios non eſſe ex illis ſupra relatis pro tertia ſententia, ſed pro quinta, quæ docet ſtatim à principio adeſſe in fœtu animam rationalem.

Secundo reſpondeo hunc librum, non eſſe Origenis, ſed Auctoris innominati, & ætate poſterioris, vt probat Bellarm. in lib. de Scriptor.

Tertio cuiuſcunque ſit Auctoris liber, jam ſupra vidimus ex ordine, quem S. Job ſervavit non inferri tempus illud triginta, vel quadraginta dierum: deinde S. Job non facit vim in ordine partium, imo illum negligit, vt patet, quia primo loco, & antequam nominet carnem, ponit pellem, *Pelle*, inquit, *& carnibus veſtiſti me*: & tamen pellis poſt carnem generatur, ut oculatiſſimus *Anatomiſta Haruæus etiam obſervavit exercit. 56. fol.* 255. ſed ſatis illi fuit diuinæ memoriæ anteponere more humano opus ſingulare humanæ generationis, vt ex

reor

recordatione tantæ diligentiæ,& industriæ adhibitæ,Deus ad sui commiserationem moveretur.

Secundo loco opponitur *S. Augustinus,lib.de Eccles. Dogmat.* c.4.vbi dicit, *Corpus tantum per coniugij copulam seminatur, Dei vero iudicio coagulari in vulua compingi,atque formari,ac formatio iam corpore, animam creari, & infundi, &* cap.18. idem repetens *Anima* inquit,*humana non carne moritur,quia non cum carne seminetur sed formato in ventre matris corpore, Dei iudicio creatur, infunditur,&c.*

Respondeo primo hunc librum non esse S.Augustini, sed
7 Gennadij Episcopi Massilienſis, vt probat Bellarminus, qui septuaginta annis post D.Augustinum vixit,& scripsit.

8 Respondeo secundo quod huius libri author, & plures alij qui hoc sæculo scripserunt damnant tanquam errorem animam rationalem fieri ex traduce, hoc est seminari cum corpore ab anima genitoris:& quia antequam à Theologis communiter firmaretur catholica veritas contraria, quod anima rationalis à solo Deo creatur ex nihilo, ut probat Bellarm. *contr.to.3. lib.4. c.*11. multi nesciebant intelligere quomodo contraheret homo originale peccatum, si cum corpore à parentibus anima non seminaretur:habebat sententia illa multos fautores,& ipse *S. Augustinus licet in Epist. de origine animæ ad Hieron.*credat à solo Deo creari, dubitat tamen, an de fide ita tenendum sit & respondet scripturis, quibus id probatur; & alibi valde dubius est,imo *in lib.de Hæres. cap.*81. dicit Tertullianum non esse Hæreticum,quia crediderit animam rationalem esse ex traduce,*& in lib.4.de Origin. An.cap.*4. suspicatur quæstionem hanc an anima sit ex traduce, vel potius creetur à Deo, esse de iis, quæ Deus in hac vita non vult nos scire:& de quibus *Eccl.* 3. dictum est, *altiora te ne quæsieris.* Et S. Gregor.Papa *lib.7.ind.2.in Epist.* 53. *quæ est ad Secundinum inclusum,ait. De origine animæ inter sanctos Patres requisitio non parua versata est; sed vtrum ipsa ab Adam descenderit, an certe singulis detur, incertum remansit, eamque in hac vita insolubilem fassi sunt esse quæstionem. Gravis enim est quæstio nec valet ab homine comprehendi: quia si de Adæ substantia anima cum carne*

nascitur

nascitur, cur non etiam cum carne moritur? si vero cum carne non nascitur, cur in ea carne quæ de Adam prolata est, obligata peccatis tenetur? sed cum sit incertum hoc, illud incertum non est, quia nisi sacri baptismatis gratia fuerit renatus homo omnis anima Originalis peccati vinculis est obstricta &c. Cum itaque hæc veritas esset apud Catholicos, & Sanctos Patres communiter recepta, ut *sit.loc.* probat Bellarm. Hæretici & alij eo tempore, quo scripsit auctor, ubi de Eccles. Dogmat. conabantur illam impugnare ideo auctor, ut ex eius verbis apparet totus est in profligando huiusmodi errore; quia vero in sententia illa, quæ docet ante formationem fœtum non esse animatum, facilius erat ostendere, quod anima non seminatur cum corpore, ideo sequitur sententiam dicentem infundi animam, quando corpus est formatum, sed quia id nulla Scripturæ auctoritate, aut nulla ratione probat, constat *Auctorem lib. de Eccles. Dogm.* & alios plures, non ex propria, sed ex vulgari, & ad intentum magis accommodata sententia, fuisse locutos.

Tertio obiicitur idem *S. Augustinus, qui in lib. quæst. veter. & nou. testam. cap.* 23. explicans illa verba *ex c.* 21. *Exod. Si quis percusserit mulierem in vtero habentem, & abortiuerit, si formatum fuerit det animam pro anima. si autem informatum fuerit multetur pecunia, &c.* notat. hoc à Deo, ita esse ordinatum, vt *probaret non esse animam ante formam. Itaque si iam formato corpori detur, non in conceptu corporis nascitur cum semine deriuata, &c.* est igitur sententia expressa S. Augustini, quod anima non existat in fœtu antequam sit formatus.

Respondeo eodem modo hoc testimonium non probare intentum, quia vt patet ex illis vltimis verbis *Pseudo-Aug.* imo Hæreticus, qui vt sup. *sect.* 4. *n.* 13. vidimus, est Auctor libri, totus est in excludendo illo errore, quod anima rationalis generetur ex traduce. Secundo quia non loquitur de perfecta formatione membrorum, sed de aliqua formatione, quæ inchoatur, vt vidimus, multo ante trigesimum diem. Tertio quia S. Augustini sententia, & interpretatio in illa verba Exodi, vt videbimus sect. 13. est valde diuersa.

Quarto tandem arguitur ex eodem *D. August.* qui in *lib. de*

*spirit.& An.cap.9.*ait *humanum corpus nec viuere,nec nasci potest sine anima rationali,vegetatur tamen,& mouetur & crescit , & humanam formam in vtero recipit, priusquam animam rationalem recipiat.*

Respondeo pariter *librum de spirit.& An.*non esse S. Augustini,vt idem *Bellarminus* admonuit,& quidem inuenio ea-
11 dem verba,& sententias apud *Hugonem de S.Victore lib.2.de An. cap.*4. non tamen ausim credere hunc librum esse Hugonis, quia non pauca sunt in operibus Hugonis ,quæ ipsius non sunt vt *Bellarminus* etiam obseruauit,& ex ijs forte est hic secundus liber,quoniam cap.8. docet animam præexistere ante corpus, & ad ipsum Dei nutu venire,quæ tamen doctrina, immo error Hugonis non est,ideo non magni facienda est Auctoritas huius libri.

Illud postremo lectorem hic monitum esse volo,quod etiamsi vnus,vel alter,ex sanctis Patribus afferatur, qui sequi videatur quorumdam sententiam ,exinde solum licebit inferre illam esse probabilem , quod negare non intendo ; quia tamen minus tuta est imo periculosa,vt qui illam sequuntur,animarum multarum damnationis sint causa,existimo non esse illi acquiescendum, vt magis etiam constabit ex dicendis.

PARS TERTIA.

Ratione probatur incertitudo temporis quo humanus fœtus anima rationali primo viuat.

SVMMARIVM.

1 *A primo tempore,quo conceptus est in vtero,nullæ rationes occurrunt,quæ intellectum cogant ad assentiendum, vel dissentiendum:quod fœtus viuat,aut non viuat anima rationali.*

2 *Idem colligitur ex Auctoritate antiquorum medicorum.*

3 *Idem confirmatur ex anatomiæ famosis experimentis,& præcipuè ex duobus allatis ab Hippocrate.*

4 *Atque etiam ex pluribus obseruatis à Felice Platerio.*

5 *Eadem*

5 *Eadem incertitudo ex aliis recentioribus obseruatis à Varolio,& Riolano, infertur quatenus interdum fœtus menstruus habet maiorem distinctionem membrorum , quam fœtus alius bimestris*

6 *Et conuincitur, quia moraliter est impossibile obseruare conceptus humani formationem.à primo tempore conceptionis, vsque ad finem mensis.*

7 *Ostenditur hoc tempus esse non solum speculatiuè , sed practicè dubium,& incertum.*

VIdimus tum ex sacris Litteris tum etiam ex auctoritate sanctorum Patrum , & Jnterpretum incertum esse , & dubium tempus,quo fœtus humanus uita hominis viuere incipiat;iam igitur id ratione probemus,& experimentis. 1

Et primo ratione;nam vt ex variis dicendi modis in sect.4. 5.6.7.8.& 9.supra relatis iam vidimus, à primo illo tempore, quo mulier genituram retinet, vsque ad tempus triginta , vel quadraginta dierum,quo apud omnes communiter certum est fœtum humanum viuere anima rationali,omnia tempora sunt incerta:nam non habemus rationes,quæ euidenter cogant,& necessitent intellectum,ad assentiendum potius vni parti,quam alteri;sed illis consideratis,adhuc relinquitur intellectus ita suspensus,vt possit parti,cui vult adhærere, cum motiuo sufficiente ad eliciendum assensum probabilem,pro utraque parte;& ad minus hoc motiuum semper erit in promptu,quod rationes in contarium non cogunt ad hunc assensũ,quod fætus humanus ante trigesimum , vel quadragesimum diem anima rationali non viuat;& sic dari potest pro vtraque sententia assensus opinatiuus,& probabilis,qui à scientifico,& ab illo qui est Diuinæ Fidei,distinguitur in eo , quod dubius sit.

2 Secundo,quia sunt Auctores quidem ex schola Medicorum antiquiores,& Primarij,*Hipp. Galen. Auic.*& plures ex recentioribus,qui dicunt fœtum à principio viuere,& alij qui negẽt & experientiæ ipsæ,quæ rem esse dubiam ostendant; igitur in praxi prudenter quilibet dubitare potest,an fœtus humanus toto hoc tempore sit anima rationali animatus,vel non.

Et confirmatur ex variis Anatomicorum obseruationibus; quarum Prima est illa quam ex *Hipocrate lib.de nat puer.* adduc-
3 cit etiam *Galen.lib.de form.fœt.& in lib.de sem.*& nos etiam adduximus;Hippocrates namque describens genituram sex diebus in vtero retentam, ait :*Vt si quis ovi crudi putamen auferat, membranamque interiorem relinquat, quod intus est,liquidum comparet; quod similiter ferè habebat ; tamen coloris rubri , & rotundum erat,quadamque fibræ ; venulaque crassæ albæ in membrana inesse cernebantur , sanie crassa, & rubra conuolutæ , circa quæ membrana extrinsecus cruentæ sanguinolentaque,quædam varices, vibicesue,connectebantur; medioque membranæ loco,tenue quid extabat,quod mihi vmbilicus videbatur,quo primo respiraret,membranaque tota semen complexa ex eo circumdatur. Hoc quidem sex dierum spectaui.*

Et deinde promittit aliud testimonium de animatione fœtus humani,quod est inquit,*quatenus quis homo mortalis de hoc negotio scire,& dicere possit.* At vero *in lib.de carn.* promissam fidem soluit dicēs,*abortum septem dierum in aqua iniectum,omnia diligenter inspicienti,habuisse rudimenta partium, & membrorum, nempè loca oculorum,nasum,aures,manus,& earum digitos,corpusque totum.* Hanc ipse obseruationem dicit sibi non semel à scortis demonstratam fuisse & per se etiam vidisse.

Ex his duabus obseruationibus colligitur incertitudo animationis,primo;quia illud punctum rubrum quod Hippocrati in genitura sex dierum apparebat, Galenus putat fuisse iecur. Auicenna cor arbitratur,recens Gulielm. Haruæus nititur probare esse sanguinem primogeneum,quem viuere , & primo animatum esse affirmat,& multis probare contendit exercit. 50.& 51.fol.mihi 189.& 195.contra communem Philosophorum sententiam,qui constanter negant,sanguinem viuere quare si punctum illud sanguis erat dubitari potest,an viueret

Secundo quia vt *Mercurial,in adnotat. ad illa verba Hippocrat. ex lib. de Carn.Porro vita septem dierum est* , animaduertit Hippocratem varium esse, & diuersum à seipso; nam hoc loco ; ait , conceptui septem dierum inesse omnia , quæ corpus habere debet ; & *in lib.de nat.puer.* asserit in genitura

sex

sex dierum nihil eorum, quæ ibi vidisse refert, apparuisse: quæ diuersitas, vt supra sect. 4. vidimus, quibusdam occasionem dedit dubitandi, an *lib. de Carn.* esset Hyppocratis; sed quamvis sit revera eius legitimus partus, tamen diversitas inter vtramque experientiam negari non potest; quare vt eam tollant aliqui dicunt genituram sex dierum ab Hippocrate visam esse in se immediatè, & sine speculo, quod particulas sensum fugientes, posset sensibiliter ostendere; at verò alias quas recenset *in lib. de Carn.* obseruasse iniectas in aquam, quæ speculum est, & augere poterat minima illa partium rudimenta, & partes apparentes ostendere. Mercurialis loc. cit. alio modo hanc differentiam conciliat dicens, in fœtu sextæ diei nihil vidisse, in aliis autem septem dierum, vestigia tantum deprehendisse membrorum, vel hic res apparentes, ibi tantum res inexistentes, narrasse. Constat igitur rem esse dubiam.

Secunda experientia est *Felicis Platerij*, qui *in quæstionibus Medicis, quæst.* 1. testatur se per multos annos plurimos abortus vidisse qui prima septimana ita se habebant. *Exurgit*, inquit, *primum vis illa procreatrix in semine latens, & recondita, ac insigniores seminis portiones, quæ à tribus parentum principiis defluxerunt, in tres quasi bullas spiritibus turgentes disponit, quæ cerebri, cordis, & iecoris sunt rudimenta, in exiguo corpusculo inclusa reliquasque illi adhærentes, portiones in artus, illique adnata membra ruditer segregat, quæ prima septimana fere perficiuntur, ita ut tum reiecto per abortum Embryone, informis talis massula ex semine veluti concreta rotunda, & convoluta, tribus hisce bullis distincta, appareat; qualem psaltria illa quæ per vim saltu impetuoso abortum sibi conciliarat, obseruasse scribit. Hippocrates. Egóque huiusmodi reiectum globuli rotundi, & albi instar magnitudine avellanæ in quadam, quæ quotannis abortiebat, vidi; atque ex Amnio tenui cui innatabant exerui; & cum ab invicem deducerem, tres huiusmodi bullas; quarum inferior iecoris rudimentum exprimens; pallidior; non tamen rubra erat, obseruavi; quatuorque portiones pro brachijs, & pedibus formandis, & quod spectatu iucundum duo puncta nigra minutissima, oculis dicata notavi. quæ vti, & in alijs; sic & in generosa quadam, quæ toto fere biennio,* 4

quod mirum, & inauditum singulis mensibus abortiebat, saepeque ad me huiusmodi abortum, vt quid esset judicarem, transmittebat similiter sic se habere deprehendi, &c.

Quarta experientia est *Varolij* apud *Riolanum cap.6.* qui fœ-
5 tum viginti dierum vidit in quo homo confusè formatus, caput extra collum referebat. At Riolanus ibi in fœtu vnius mensis testatur se non vidisse, nisi corpus omnino informe instar formicæ ex quo tenuissimum rubrum filamentum pro vmbilico protendebatur: at *c.vlt.eiusdem lib. idem Riolanus* duos fœtus bimestres testatur vidisse primum plenè formatum, cum omnibus membris: secundum autem non omnia membra perfectè ostendebat: & ibidem dicebat, anno 1608. vidisse se alium fœtum vnius mensis, & in eo omnes partes invenisse jam descriptas, & conformatas.

Exhinc cognosce incertitudinem hujus facti; nam aliquando fœtus vnius mensis est perfectè formatus, interdum verò fœtus duorum mensium minime.

6 Et tandem cum ipso *Riolano in lib. Adnimaduers. ad anatom. Laurentij fol. mihi* 671. conclude quod, *si verum fateri volumus conceptionis rudimenta, & fœtus formatio intra primum mensem nobis ignota est, & nostræ cogitationes sunt coniecturales, quia nemo naturam inspexit operantem.* Atque, vt idem *Auctor. d.6. cap.* aiebat *pauci, vel nulli productionem siue procreationem, quæ fit à tempore concreti seminis vsque ad mensem integrum obseruarunt; nam ob paruitatem pusilli corpusculi, vel spernitur, vel non potest accurate discerni delineatio; &c.* ergo tempus primæ animationis est valde dubium.

7 Tandem probatur: nam illa sententia dicitur tum speculatiue, tum practice probabilis, quæ non levi ratione, sed etiam auctoritate fulcitur, vt *Sanchez in sum. lib. 1. cap. 9. n. 7. & Diana part. 4. tract. 4. resol. 30.* sed quod tempus animationis in humano fœtu sit dubium, monet in primis non semel Spiritus sanctus in sacris Literis, confirmant deinde aliqui ex Sanctis Patribus, conuincunt postea plures rationes, consonant postremo Doctores, & tandem patet experientia: ergo quod hoc tempus

sit

ſit practice dubium,& non ſit novum,& ſpeculativum commentum eſt opinio pluſquam probabilis.

SECTIO XI.

Reſolvitur difficultas ab initio propoſita.

SVMMARIVM.

1 *Fœtus abortivus quocumque tempore eiectus baptizandus eſt ſub conditione.*

2 *Tenetur quilibet ſaltem ex charitate proximi extremè periclitantis ſalutem adiuvare,etiam cum propriæ vitæ periculo.*

3 *Quæ obligatio videtur eſſe certa de fide.*

4 *Admiſſo dubio practico,de exiſtentia animæ rationalis in fœtu vrget obligatio miniſtrandi Baptiſmum ſub conditione; quia, Sacramento non fit iniuria, & ſubvenitur proximo in periculo graviſſimo.*

5 *Moribundus, qui ſenſibus eſt deſtitutus, ſi ſaltem confeſſionem petiit,abſolutè eſt abſoluendus: conditionatè vero,ſi confeſſarius dubitet,an ſit ſatis diſpoſitus.*

6 *Imo etiamſi confeſſionem non petiit,& nulla dedit ſigna contritionis,ſi Chriſtianè vixit,eſt ſub conditione abſolvendus,iuxta probabilem multorum ſententiam.*

7 *Arguitur ex dictis,& ex ſimili de Baptiſmo collato in capillis reiterando ſub conditione;quod fœtus humanus abortivus ſub conditione ſit baptizandus.*

8 *Etiamſi dubium de vita rationali abortus eſſet negativum,baptizandus eſt.*

9 *Probatur concluſio,etiam ad mentem S. Thomæ.*

10 *Imoſtante iudicio quorumdam contrariæ ſententiæ,adhuc baptizandus eſt,quia illud iudicium non eſt iure,ſed eſt facto.*

11 *Ratio eſt,quia in Sacramentis neceſſitatis,cuiuſmodi eſt Baptiſma, peccatum eſt ſequi opinionem,probabilem;quæ ſaluti animarum ſit periculoſa.*

12 *Oſten-*

12 *Ostenditur quod judicium, de vita humana fœtus abortivi, habet omnia requisita, vt sit morale practicum.*

1 REspondeo igitur ad quæsitum ab intio factum quod quando fœtus abortivus, elapso quocunque tempore à conceptione excutitur ab vtero matris; si in illo appareant lineamenta fœtus humani propria, propter quæ à mola distinguitur non licet illi negare Baptismum, sed debet ministrari sub conditione, aut verbis expressa, vel saltem mente concepta. *Si es capax ego te Baptizo. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Intelligendo sub tali conditione, tam vitam rationalem, si illam habeat, quã ablutionem verbis significatã, vt forma verificetur, si nimirũ interpositæ secundinæ nõ impediant.

2 Primo probatur; quia quilibet tenetur saltem ex obligatione charitatis, etiam cum periculo propriæ vitæ corporalis subvenire proximo extreme periclitanti, quoad animæ salutem: quam doctrinam tradunt omnes Theologi, tum scholastici, tum morales, vt videre est apud *Suar. de triplici virtut. Theol. tract. 3. disput. 9. sect. 2. n. 2.* & apud *Bonac. tract. 2. disp. 3. q. 4. punct. 4. n. 2. P. Theophil. Raynaud. de ortu infantium c. 6. n. 8. & 9.* & videtur esse certa de fide, nam Joannis Epistola 1. cap. 3. dicitur:

3 *quod nos debemus pro fratribus animas ponere.* Et omnes Doctores afferunt exemplum de paruulo moribundo ante vsum rationis; & dicunt, hunc esse baptizandum, etiamsi minister propter tale ministerium mortis periculum subiret: quidquid dicat Sotus, quem redarguit Suarez, ibidem: & quoad infantes Christianorum communissima est doctrina, ut contra Joann. Sanch. defendit d. *P. Raynaud. d. c. 6. n. 9. & 10.* sed in nostro casu, si in fœtu existat anima rationalis, & non baptizetur infans sub prædicta conditione, periclitatur anima ineuitabiliter propter peccatum originale contractum in vnione illius cum corpore; ergo quilibet tenetur baptizare.

4 Secundò quotiescunque hic, & nunc non temere, sed cum fundamento formidare potes, quod tua culpa & omissione anima proximi æternam damnationem incurrat, teneris illi subvenire, de opportuno remedio: sed excluso de utero

matris

matris abortu potes, vt patet ex dictis, prudenter, & non temere suspicari, quod ibi anima rationalis existat, certissimè damnanda, nisi baptizes; ergo iam teneris dubium morale admittere, & iudicium practicum formare, de administratione Baptismi, & cum huiusmodi remedio, tibi tam facili, illique omnino necessario, subvenire. Et ratio à priori est, quia nulla fit injuria Sacramento si enim conditio de facto non verificetur, verba formæ suo fine non frustrantur, cum non proferantur nisi cum intentione conditionata: & quidem cum fundamento probabili dubitas, ergo prudenter operaris, dum remedium applicas ad impediendum periculum probabile.

5 Tertio, quando moribundus absente confessario petiit confessionem, & postea sensibus destitutus est, potest, imo debet absolvi à confessario superveniente, cui per alios, vt loquitur *Paul V. in Rituali Romano* desiderium huiusmodi confessionis innotuit: quod si, stante tali testimonio Sacerdos adhuc dubitet, an scilicet infirmus habeat sufficientem dispositionem, tenetur illum sub conditione absoluere: quod *Eminentissimus de Lugo latè docuit de Pœnitent. disp. 17. sect. 5. n. 91.* vbi etiam *n. 87.* asseruerat, ad idem teneri etiamsi Confessarius sit ex illorum auctorum sententia, qui dicunt, non posse absolui moribundum, qui saltem unum peccatum in specie non dixit; & ratio est, quia ad minus sententia contraria propter auctoritatem, est extrinsece probabilis, ac proinde talis, vt eam possit Sacerdos amplecti tuta conscientia: quoties autem potest absque gravi incommodo subvenire proximo graviter periclitanti circa æternam salutem, ad id tenetur. Ergo.

6 Imo etiamsi moribundus nulla signa contritionis ostenderit, neque desiderium confessionis declarauerit, si Christiane vixerit, & Sacramenta frequentaverit, absolvi posse sub conditione docuerunt antea *Molfes. in Sum. tom. 1. tract. 7. cap. 5. num. 48. Homobon. in exam. Eccles. part. 1. tractat. 7. cap. 58. num. 7. Alex. Ludovisius Archiepiscopus Bononiensis, postea Summus Pontifex Gregorius XV. in memor. Confessariorum cap. 1. num. 16.* vbi id in praxi præcepit observari. *Petrus Marchant. in Tribun. Sacram. tom. 1. tract. 4. tit. 4. dub. 7.* qui

licet esset contrariæ sententiæ, periculum expertus in seipso, & ab eo liberatus, deinde illam retractavit: *Lezan. in summ. q. Regulari tom. 3. V. Confessio n. 11. Auersa de Sacram. Pœnit. q. 10. sect. 18. Pelizzarius in Manual. Regul. tom. 1. tract. 5. c. 3. sect. 1. n. 60. & tom. 2. tr. 8. c. 3. sect. 2. n. 114.* vbi testatur ita practicasse Suarez, Baldellum, & Naldum. *Victorianus Premoli ex Societate Iesu in memor. Clericor. par. 4. c. 1. n. 14. Thom. Tamburin. in methodo expeditæ confessionis lib. 2. c. 10. §. 1. n. 11.* vbi attendens, quod Paulus V. exigit in tali moribundo, quod saltem confessionis desiderium ostenderit, ait: *Satis superque confessionem petijt per mores Christianos tota vita sensibiliter peractos. Leander de Sacram. tom. 1. tract. 5. disp. 5 q. 46. & Raynaud de Martyr. part. 2. c. 3. num 7. Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus meus D. Ioan. Caramuel. Episcopus Campanienſis, &c.* qui, & si sententiam contrariam laudet, dicit tamen peccaturum mortaliter illum, qui in casu practico deposito proprio dictamine, moribundum, qui omnibus sensibus destitutus est, & nullo externo signo confessionem petijt, non vult absolvere. Cur ergo puerulum omnibus operationibus destitutum, quem tamen vivere, & esse Baptismi capacem, prudenter dubitas, baptizare negabis? Ita in simili casu, de Baptismo in capillis collato, dixit: *Eminentissimus*
7 *de Lugo in Resp. cons. Moral. lib. 1. dubit. 1. num. 12. de Pœnitentia disp. 7. sect. 13. num. 273.* vbi docet esse obligationem rebaptizandi sub conditione, quoties adest morale dubium in facto de valore primi Baptismi; vt in casu de illo, qui baptizatus fuit in capillis. Et hoc propter inconuenientia, quæ sequerentur si primus baptismus non fuisset validus exponeretur enim periculo æternæ damnationis ille baptizatus in capillis, si baptisma non fuisset validum. Sed quodnam majus inconueniens, quam animas damnari, si sunt in fœtu, & omittatur baptisma propter opiniones contrarias, quæ certitudinem non habent?

Dices esse probabilem opinionem S. Thom. putatam, & quorumdam medicorum, quod ante diem trigesimum fœtus non vivat anima rationali; qui ergo se conformaret huic opinioni, prudenter operaretur; ergo non peccaret; ergo non datur talis obligatio.

Respondeo

Respondeo Sanctum Thomam nihil de spatio triginta dierum docere, sed solum, quod fœtus humanus viuat à principio anima tantum sensitiua: Quanto autem tempore duret hæc vita, & incipiat anima rationalis esse in fœtu, aliorum judicio relinquit. Medici autem, si rectè expendantur, dicunt fœtum ante trigesimum diem regulariter non habere membra perfectè distincta, & formata; aliquando vero etiam propter actiuitatem agentis, & dispositionem subiecti prius habere illa distincta, ergo etiamsi concedamus opiniones illorum esse probabiles, adhuc non adest motiuum efficax ad prudenter formandum assensum probabilem, & iudicandum ante trigesimum diem, non adesse animam rationalem; quia intellectus adhuc manet dubius an hic, & nunc fœtus, qui membranis est inuolutus, sit ex numero illorum, qui propter maiorem actiuitatem agentis, ante trigesimum diem sit formatus; & consequẽter animatus vita intellectuali: Et etiam potest dubitari, an tempus conceptionis, à quo pendet determinatio triginta dierum fuerit exactè obseruatum; dabitur ergo in isto casu dubium negatiuum, quod, vt docet: *Eminentissimus de Lugo d. dub. 1. num. 12* tunc est, quando neutri parti possumus assentire; ergo erit obligatio ministrandi Sacramentum; quia in dubio de periculo animæ tenemur adhibere remedium certum. 8

Tertio probatur etiam ex doctrina *Sancti Thomæ in 4. distinct. 6. q. 1. art. 1. ad primum*: nam ibi respondens quæsito, an in baptizando natiuitas ex vtero sit expectanda? resoluit affirmatiuè, quia *ex D. Dionysio de Eccles. Hier. cap. 4.* Baptismus est actio Hierarchica, & ideo per Ministros Ecclesiæ conferendus est, vel per eos, qui in necessitate vicem Ministrorum obtinent; sed puer quandiù est in vtero matris existens, subijci non potest operationi Ministrorum, nec est hominibus notus, ideo infert non esse baptizandum, Si ergo S. Doctor ex tot experientijs, & ex iudicio peritorum, & rationum probabilitate, quæ nostris temporibus habentur, suo tempore potuisset sibi persuadere, quod in fœtu abortiuo, notum hominibus saltem ex probabili opinione esset, quod si puer iam extra matris vterum esset, viueret anima rationali, vtique intulisset esse

baptizandum. Et propterea ſententia illorum, qui dicunt non poſſe baptizi infantem intra matris vterum, quia non poteſt renaſci qui non eſt natus, iampridem antiquatam eſſe, & contrariam eſſe receptam, dummodo ablutio pertingat ad ipſum in ſecundina involutum, teſtatur Theoph. Raynaud. *dict. tract. de ortu infantium, cap. 6. n. 13.*

Ultimo probatur principaliter noſtra ſententia, quia etiamſi, ſaltem propter quorundam Medicorum auctoritatem, & fere vniverſalem conſuetudinem obſtetricum, non baptizandi huiuſmodi fœtus ſub conditione eſſet probabilis opinio, quod ante trigeſimum diem non teneamur miniſtrare Baptiſmum fœtibus abortivis, tamen quia hoc judicium probabile non naſcitur ex aliqua ratione, ſiue, vt loquitur *Sanchez* ſtatim citandus non provenit ex jure, ſed ex facto, quo nimirum ſi ſubiectum, cui applicandum eſt medium ſalutis, ſit capax, adhuc probabilis ſententia illorum non ſufficit ad hoc, ut non detur obligatio baptizandi, ergo baptizandus eſt talis fœtus ſub conditione.

Probatur conſequentia; quia, quidquid ſit de aliis Sacramentis, an in eorum collatione, & ſuſceptione liceat ſequi ſententiam probabilem: in baptiſmo tamen, Sacerdotio, & Epiſcopatu, propter eorum neceſſitatem, & ad vitandum irreparabile damnum, quod ſi non miniſtrentur, conſequeretur, debemus quoties fieri poteſt, certum, & ſecurum medium adhibere, ut poſt *Sotum, Suarez, Vaſquez, & alios d. cet Sanchez in lib. 1. cap. 9. n. 32. 33. & 34. & noviſſimè Cardinalis de Lugo dict. n. 11.* qui omnes aſſerunt, tunc in adminiſtratione Sacramentorum licere ſequi opinionem probabilem, & minus tutam, quando non fit contra præceptum charitatis, & miſericordiæ reſpicientis remedium neceſſarium proximi. At vero quando charitas urget, peccat miniſter, ſequens opinionem probabilem, minus tamen tutam, ſi proximo moribundo certa via ſuccurrat: at in caſu noſtro, etiamſi miniſter ſequatur opinionem probabilem illorum Medicorum, quia tamen eligit viam minus tutam hoc eſt omiſſionem baptiſmi, & exponit animam illam, ſi exiſtat in fœtu, certiſſimo damnatio-

nis,

nis periculo ; peccat ; ergo datur obligatio baptizandi ſub conditione.

Dices non dari iudicium morale in preſenti , quo aliquis poſſit prudenter formidare ex ſententia Medicorum,ſequi Animæ damnationem, ſed ſolum iudicium ſpeculatiuum,quod non ſatis eſt ad innouandum in re tam graui.

Reſpondeo,cum iudicium morale,ſit illud, quod eſt iuxta hominum morem,& prudentem conſuetudinem,vt *Eminentiſſ.de Lugo d.num.* 12 docet ; atque,vt patet ex ſententiis relatis,& variis modis,quibus, quicumque hanc difficultatem examinarunt , illas ſententias applicant ad explicandum hoc factum animationis fœtus, cuius non eſt certum tempus,ſed omnes Auctores procedunt ex coniecturis,& ſic dubium ſit, an anima rationalis ſtatim,poſt aliquot horas exiſtat in fœtu,an intra ſeptem dies,an iſtis elapſis,vſque ad decimam quintam,vel decimam ſeptimam,decimam nonam, vigeſimam quintam,trigeſimam,vel vlterius expectet, quid deeſt , & quid requiritur ad formandum dubium morale in re tam incerta,de qua non omnes Medici eodem modo loquuntur, quam S.Auguſtinus dicit ſe neſcire an ſciri poſſit,mater Machabæorum ignorat,Deus ipſe indeciſam relinquit,& Spiritus Sanctus tamquam inſcrutabilem,& ſoli Deo notam proponit ? certè non video,quæ vtilitas vel honeſtas ſuadeant,vt tam facile remedium omittatur , & tam magno periculo,imo extremæ damnationi infinitæ propemodum abortiuorum animæ exponantur,quod etiamſi non multæ,ſed paucæ,vel vna tantum anima hoc remedio ſaluaretur, adhuc non eſſet noſtra diligentia inutilis,& fruſtratorius labor. Si enim ex *D.Gregorio in Pſal.*50.verum eſt, quod *nullum tam gratum eſt ſacrificium,quam zelus animarum.* nihil Deo charius ab animarum miniſtris,nihil illarum ſaluti vtilius operari poteſt,quam animas,ſi exiſtant,& Baptiſmo ſint capaces , certo certius ſaluare,alioquin ſi renuas baptizare,infallibiliter damnandas.

SECTIO XII.

Proponitur Argumentum principale contra ſupradictam ſententiam.

SVMMARIVM.

1 *Rationes plures occurrunt,quibus redditur difficile,quod in re tam graui Eccleſia Catholica huc vſque non prouiderit de neceſſario remedio.*

2 *Affertur* cap. maiores de Bapiſm.*quo videtur probari quod pro fœtibus*

non formatis remedium Baptismi non sit institutum.

3 *Error est dicere parvulos nondum formatos, & in vtero matrem morientes per ipsorum parentum lachrymas salvari.*

4 *Pij V. iussu suppressum est Commentarium Caiet. in artic. 2. q. 68. 3 p. S. Thomæ.*

A Nonnullis, quorum apud me multum valet auctoritas, opponitur quoniam in re tam graui: non est verisimile, vniuersalem Ecclesiam, quæ Spiritus sancti regimine gubernatur, neque sub eo errare permittitur, tanto tempore desidem fuisse, & non ordinasse remedium adeo necessarium pro animabus abortiuorum. Imo tot Sapientissimos, & Doctissimos viros qui semper in Ecclesia Dei præfuerunt nunquam vidisse tam ingens animarum discrimen; & si præviderunt ob solam Philosophorum sententiam stetisse; quin parvulorum parentes & Parochos admonuerint, vt abortiuos sub conditione baptizarent.

Confirmatur primo, quia *in cap. maiores de baptis.* contra Hereticos qui volebant solos adultos esse baptizandos. Innocentius III. dicit: *Absit, vt vniuersi parvuli pereãt, quorum quotidie tanta multitudo moritur; quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procurauerit ad salutem.*

Cum ergo Summus Pontifex ex voluntate, qua Deus vult neminem perire, inferat remedium contra originale peccatum, scilicet baptismum esse etiam pro parvulis institutum, & ideo parvulis jam perfecte formatis, statuat Baptismum esse min strandum; cum de imperfecte formatis non loquatur, sequitur etiam noluisse ad eos hoc remedium pertinere, ergo etiam sub conditione non sunt baptizandi.

Confirmatur secundo, quia reijcitur tamquam error sententia *Gersonis Serm. de B. virg. part. 3. consid. 2. Gabr. in 4. dist. 4. q. 2. dub. 2. & Caietani Com. in art. 2. & 11. 68. q. 3. part. S. Thomæ*, qui dicebant parvulos nondum formatos, & in vtero matrum morientes per lachrymas, & preces parentum saluari, & ideo Pius V. vt notauit *Valet. to. 4. disp. 6. q. 4. part. 4.* præcepit hanc doctrinam expungi, & penitus deleri, ex Comment. Caiet. *in dd. art. 2. & 11.* vt videre est in impressionibus post ipsum Pium V. & ideo *Vega de iustific. lib. 5. cap. 15.* acriter reprehendit hos auctores quasi octavum Sacramentum introducere ausi sint in Ecclesia Dei, & Nunnus *in 3. part. q. 68. art. 2. diffic. 4. concl. 1.* manifeste vocat erroneam huiusmodi doctrinam, & temerariam: ergo in re tam graui, in qua viri doctissimi lapsi sunt, non est tam facile innouandum

SECTIO

SECTIO XIII.

Proponuntur,& referuntur Summi Pontifices, & Concilia pro ſolutione prædictorum.

SVMMARIVM.

1 Siricius Papa *mandat omnibus,qui ſunt in periculo mortis etiam pueris, quis per ætatem loqui non poſſunt miniſtrari Baptiſmum.*

2 Leo primus, *quod omni tempore periclitantibus Baptiſma miniſtretur, decernit.*

3 Concilium Cartaginenſe, *ſtatuit vt omni tempore puero,qui in vtero matris formatus eſt hoc Sacramentum conferatur.*

4 Sexta Synodus,*iubet vt parvulo ægrotanti à nullo presbytero baptiſma negetur.*

5 Concilium Mileuitanum. *excommunicat,qui parvulos recentes ab vteris matrum egreſſos negat baptiſzandos eſſe.*

6 Concilium Pariſienſe, *ſtatuit nullo tempore hoc Sacramentum eſſe dandum, niſi tempore Paſchatis, & Pentecoſtes; excipit tamen ægrotantes.*

7 Concilium Gerundenſe *parvulos qui infirmi egrediuntur maternum, vterum,eadem die dicit eſſe baptizandos.*

8 S.Gregor.Papa *ſtatuit,vt ſi quæ mulier,quæ peperit ſit in periculo mortis,eadem die,& hora qua naſcitur, id quod genuit, baptizetur ne periculum ſit in mora.*

9 Concilium Matiſconenſe *decernit, vt filij qui ex infirmitate, vel imminente periculo vrgentur,baptizentur,etiam extra preſcripta tempora Paſchæ,& Pentecoſtes.*

10 *Idem præcipiunt* Concilium Moguntinum, Vormatienſe, & Triburienſe.

11 Rituale etiam Romanum ſub Paulo V.& ſacerdotale Samarini,*ordinant,quod mortua matre prægnante fœtus cautè extrahatur,& ſi vivus eſt baptizetur.*

VT prædictorum ſolutio melius,& cum maiori fundamento pateat notanda ſunt decreta Summorum Pontificum,& Conciliorum tam Generalium,quam prouincialium de hac materia diſponentium.

Primo *Siricius Papa in Epiſt. ad Himerium Tarraconen. cap.* 2. licet ſtatuat tempus Baptiſmi eſſe diem Paſchæ,& Pentecoſtes tamen *Infantibus, qui nec dum loqui poterunt,per ætatem, vel his, quibus in qualibet*

necessitate opus fuerit sacri vnda baptismatis, omnis volumus celeritate succurri, ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari, exiens vnusquisque de sæculo, & regnum perdet, & vitam, &c.

Leo Primus in Epist. ad Episcopos Siculos, dicit, *quia, etsi sunt alia quoque festa, quibus multa in honorem Dei reverentia debeatur principalis tamen, & maximi Sacramenti custodienda nobis est mysticæ rationis exceptio, non interdicta licentia, qua in baptismo tribuendo quolibet tempore periclitantibus subvenitur, &c.*

Concilium Carthaginense ex Epist. 8. lib. 3. D. Cypriani, & aliorum ad Fidum Præsbyterũ de Infantibus baptizandis, hæc habet, *Quantum vero ad causam infantium pertinet, quos dixisti intra secundum, vel tertium diem, quo nati sunt constitutos baptizari non oportere, & considerandam legem esse Circumcisionis antiquæ, vt intra octauum diem eum qui natus est, baptizandum, & sanctificandum non putares; longè aliud in Consilio nostro omnibus visum est, sed vniuersi potius iudicauimus, nulli hominum nato misericordiam Dei, & Gratiam, denegandam, nam cum Dominus in Euangelio suo dicat. Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed saluare, quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est, quid enim ei deest, qui semel in vtero, Dei manibus formatus est? &c.*

Sexta Synodus Constantinopolitana de Can. Apost. c. 2. Si Parvulus ægrotans ad quemlibet Presbyterum baptismi gratia, de cuiuslibet Parochia allatus fuerit, ei baptismi Sacramentum nullo modo denegetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectauerit, & ille Parvulus absque baptismi gratia mortuus fuerit, nouerit se ille, qui eum non baptizauit, pro eius anima rationem redditurum.

Concilium Mileuitanum c. 1 n. 2. Item placuit, vt quicumque Parvulos recentes ab vteris Matrum baptizandos negat, &c. Anathema sit.

Concilium Parisiense c. 7. baptizandi sibi quisquam passim quocumque tempore nullam credat esse fiduciam, præter Paschale festum & Pentecostes venerabile Sacramentum, excepto dumtaxat grauissimi languoris incursu, in quo verendum est, ne morbi crescente periculo sine remedio salutari fortassis ægrotans excidio preventus abscedat.

Concilium

Concilium Gerundense cap.5. De Paruulis, qui nuper è materno vtero editi sunt, placuit constitui, vt si infirmi (vt assolet) fuerint, & lac maternum non appetant, etiam eadem die, qua nati sunt, si oblati fuerint, baptizentur.

S. Gregorius Papa Primus in respons ad Augustinum Episcopum Cantuar. cap.10. Baptizari autem, vel enixam mulierem, vel hoc, quod genuerit, si mortis periculo vrgetur, vel ipsa hora eadem, qua gignit, vel hoc, quod gignitur, eadem, qua natum est, nullo modo prohibetur; quia sicut sancti mysterij gratia viuentibus, atque discernentibus cum magna discretione prouidenda est, ita quibus mors imminet, sine vlla dilatione afferenda est; ne dum adhuc tempus ad præbendum Redemptionis mysterium quæritur, interueniente paululum mora inueniri non valeat, qui redimatur, &c.

Concilium Matisconense cap.3. Censemus, vt ex hoc tempore Paschæ, & Pentecostes nullus permittatur filios suos baptizare præter illos, quos infirmitas nimia, aut dies extremus compellit.

Concilium Moguntinum cap.4. & Synodus Moguntina cap.3. & concilium Vormatiense cap.1. & Concilium Triburiense cap.12. idem statuunt.

Imo ex moderno *Rituali Romano iussu Pauli V.* edito anno 1614. statuitur, quod si mater prægnans mortua fuerit fœtus quàm primum *cautè extrahatur, & si viuus est, baptizetur.*

Constat igitur summos Pontifices, & Concilia summa diligentia, & solicitudine semper institisse, vt quotiescumque paruuli recenter nati, & fœtus viui periclitantur, baptizentur.

Monstrum quod humanam speciem non præse ferat baptizetur *sub hac conditione*, si tues *homo*, ego te Baptizo &c.

SECTIO XIV.

Soluitur principale argumentum.

SVMMARIVM.

1 *Antiqua Ecclesiæ consuetudo à tempore Apostolorum inchoata est, vt paruuli baptizentur.*

2 *Ecclesia Catholica nunquam fuit negligens circa baptismum Abortiuorum.*

3 *Summi Pontifices, & Concilia meritò hunc articulum, de baptismo Abortiuorum noluerunt disputare, cùm res in facto sit valdè dubia, sed ministrorum zelo, & prudentiæ commisit.*

4 *Imo Deus ipse, ex sententia* S.Augustini, *noluit veritatem sibi notam declarare propter incertitudinem humani iudicij, cui potius voluit accomodari, ob altissimos suæ prouidentiæ fines.*

5 *Ex quo* S.Augustinus *rursus dubitat, an in fœtu nondum formato, sit anima rationalis.*

6 *Deus vult omnes animas paruulorum saluari; sed voluntate antecedenti.*

7 *Hac voluntate Deus non se determinat, ad impediendum ordinem causarum naturalium.*

8 *Paruuli abortiui cùm respectu aliorum, qui in infantia moriuntur, sint in paruo numero, in Ecclesiæ aliquo Decreto non sunt expressè nominati.*

9 *Sed satis sunt comprehensi in generalibus Decretis de baptizandis paruulis viuis.*

10. *Licet matris prægnantis, & iam ad mortem damnatæ mortem accelerare, vt prolis saluti spirituali prouideatur.*

11 *Pueros abortiuos saluari ex diligentia aliorum opportunè illos bapti*

baptizantium, est generalis Dei prouidentia, vt docet S. Prosper. 7

12 *Ad industriam Christianæ pietatis pertinere voluit Deus quod parvuli Abortivi aliquando salventur, vt* S. Prosper *asseruit.*

13 *Non prohibuit Deus tempore Mosaycæ legis, vt pueri, etiam ante octauum diem circumciderentur: si mortis periculum immineret.* 8

14 *Etiam fœminæ habebant aliud simile remedium.*

15 *Tempore legis naturalis ante Moysem aliquod remedium contra originale peccatum erat institutum; scilicet aliquod sacrificium, vel oblatio sensibilis in generali.*

16 *Et horum applicatio pietati, & diligentiæ aliorum erat commissa; licet peculiare præceptum non haberent à Deo: nec ob id parvulorum illorum salus dicitur à Deo neglecta.* 9

17. *Similiter Ecclesia Catholica non ob id notari debet negligentiæ: præsertim cùm generali præcepto, de Baptismo ministrando satis prouiderit.*

18. *Quod parentes internis illuminationibus, & inspirationibus moueantur ad id, vnde sequitur, quod paruuli baptizentur, est opus Diuinæ Prouidentiæ.*

19. *Quod vtinam sit etiam huius disputationis minimus labor.* 10

20. *Explicat tandem Auctor intentionem suam quam sapientiorum iudicio, & Sanctæ Romanæ Ecclesia auctoritati, & censuræ humiliter subijcit.*

EX supradictis non erit difficilis positi argumenti solutio; 1
respondetur enim, quod eodem tempore, quo in Ecclesia Dei decretum fuit contra Hæreticorum sententiam, ex antiqua consuetudine à temporibus Apostolorum inchoata, paruulos esse baptizandos, vt constat ex *Diuo Dionysio libro de Eccles. Hierarchia capite septimo vel decimo-secundo parte tertia & S. Clem. Romano libro 6. constitut. capite* 15. &

Suar.tom.3.in 3.part.disp.25.sect.1.vers. Dico primo: eodem inquam tempore fuisse satis prouisum paruulis abortiuis; nam etiam ipsi, si viuunt anima rationali, comprehenduntur sub dispositionibus Summorum Pontificum,& Conciliorum;& pro ipsis etiam faciunt motiua quæ in præcitatis Decretis continentur; tum quia in huiusmodi paruulis, de quibus ibi sermo est,nunquam Ecclesia considerauit tempus Natiuitatis,quot nimirum dies, vel menses haberent à conceptione, sed solùm suppositio, quod viui essent, & in periculo mortis constituti, declarauit nullum tempus expectandum,sed esse subito baptizandos;ergo dici non potest, quod tanto tempore Ecclesia Dei negligens fuerit; quod Sancti Spiritus lumine non fuerit circa hunc casum illustrata: & quod Sancti Patres, & Theologi non satis prouiderint.

3 Quod autem Summi Pontifices,& Concilia, quando occasio sese obtulit disputandi, à quo tempore fœtus sit absolutè vel sub conditione baptizandus, ab hac quæstione abstinuerint, & sicco pede pertransierint, existimo prudentissimè id feciisse, nam in re tam graui, & quæ ob sui incertitudinem, adhuc sub iudice manet, meritò noluerunt definire, sed eam prudentiæ ministrorum, & peritorum iudicio dereliquerunt.

4 Jmo quod magis est, Deus ipse, qui omnia nouit, ob eandem rationem, vt *S.Augustinus* notauit, idem voluit obseruare, & rem indecisam omittere, nam *Exod.cap.21.num.22.* Cum Moysi commississet, quod pœna pecuniaria ad abitrium puniretur ille,qui mulierem prægnantem feciisset arbortiri, si tamen ipsa mulier non fuisset mortua; at verò pœna mortis, si mulier culpa ipsius mortua fuisset; interrogat S. Augustinus, quare in primo casu non puniat illum pœna mortis, cum fieri potuerit, vt fœtus, licet non perfectè formatus, viuus tamen fuerit anima rationali, & sic mortuus sit homo propter illam violentam matris percussionem; & quærit cur in isto casu ille, qui causauit abortum, non sit homicida? & subdens ait. *Hic de anima quæstio solet agitari; virum quod formatum*

tum non est, nec animatum quidem possit intelligi, &c. & deinde sumpta occasione ex translatione *septuaginta Interpretum*, quæ sic habet: *Si effigiatus, vel efformatus sit puer*, &c. præmissaque distinctione de fœtu informi, & de fœtu formato respondet: quod quando fœtus est informis, dubium est an sit animatus, & ideò cùm hoc non constaret notitia certa, & eo in loco publicaret Deus legē Talionis, noluit pro vita, quæ ad sensum humanum non apparebat, & ideo incerta erat & in existimatione hominum inutilis, certam, & perfectam vitam loco pœnæ exigere. Verba *Sanct. Augustini quæstio.* 80. *in Exod. sunt. Si ergo illud informe Puerperium iam quidem fuerit, sed adhuc quodammodo informiter animatum, quoniam magna de anima quæstio non est præcipitanda indiscussa temeritate sententiæ, lex noluit ad homicidium pertinere; quia nondum dici potest anima viua in eo corpore, quod sensu caret, si talis est in carne nondum formata, & ideo nondum sensibus prædita*, &c.

En igitur, quod iuxta sensum talis Scripturæ dubitans S. 5
Doctor, an in carne nondum formata sit humana vita, dicit: *Si talis est in carne*, ex quo manifestè patet, quod Deus noluit hunc articulum declarare, ob altissimos suæ prouidentiæ fines vide *Disp.* 3. *Sect.* 19. Cùm ergo nec lex Diuina voluerit magnam de anima quæstionem dirimere, an fœtus nimirum nondum formatus, sit viuus anima hominis, nihil mirum, quod etiam Summi Pontifices non determinauerint tempus, in quo Baptisma sit absolutè ministrandum, sed solùm sæpius declarauerint, quod si mortis periculum immineat, nulla mora interposita, gratia paruulis ministretur.

Ad primam confirmationem respondetur, optimè Summum Pontificem considerare magnam multitudinem paruulorum quotidie morientium in ordine ad voluntatem, quam habet Deus de illorum salute, & ex illa inferre, quod etiam huiusmodi periculo animarum Deus consuluit instituendo Sacramentum Baptismi.

Sed est aduertendum cum Theologis in materia de præ- 6

destinatione, & præsertim *in* 4. *distin.* 4. *& 6. & Bellarm. lib.* 2. *de Grat. cap.* 5. *ad finem. Vega in in Tridentinum lib.* 5. *cap.*6. *& Suar.*1. *tom. in* 1. *part. numero secundo & lib.*4. *cap.* 4.*num.* 16. *& Cardin. de Lugo de Sacram. dicto* 3. *num.*25. quod illa propositio desumpta ex Epist. ad Timoth. cap. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri*, intelligenda est de voluntate inefficaci salutis, quam vocant antecedentem : ex hac autem voluntate non tenetur Deus immutare cursum causarum naturalium, quia iam esset voluntas efficax mediorum; cum igitur circa huiusmodi Paruulos, qui de facto sine propria culpa actuali, vel eorum parentum, carent remedio
7 baptismi, Deus habeat voluntatem generalem, quantum est de se illos salvandi, nec ex eiusmodi voluntate ineffaci teneatur tollere impedimenta naturalia sequitur, quod instituendo baptismum illis quocunque modo applicabile, siue, vt loquitur *Suarez citat. numero decimo sexto*, diviso vtero Matris iure, vel iniuria, siue Matre viuente, & ministerio Angelorum, siue quocumque alio modo eis prodesse posset, sequitur inquam, Deum satis providisse medium salutis sufficiens, etiam si hoc in particulari contingat impediri : nam si verbi gratia, vt loquitur *Sanct. Augustin. libro primo ad Simplicianum.* Mater, vel Pater ab Angelo inspirati, vel à Deo immediate excitati, orationibus, & lacrymis impetrarent, vt huiusmodi filij nascerentur, in tali statu, vt possent baptizari; iam verum esset dicere etiam tunc ante quam nascerentur, quod Sacramentum Baptismi erat a Deo etiam pro ipsis institutum; quare si de facto immaturo tempore, & per abortum egressi sunt ad lucem, quia vteri materni infirmitas, vel ipsius fœtus intemperies, aut quid aliud naturale, ita fuit in causa : solum sequitur quod Deus non immutaverit cursum naturalem causarum secundarum; non autem quod non sit verum, quod Deus sua generali Providentia velit, quantum est de se, hos parvulos baptizari.

8 Quod si Ecclesia non fecit mentionem expressam de istis abortiu

abortivis, & informibus, est, quia, vt notauit *D. Cardinali. de Lugo citat numer.* 26. respectu aliorum parvulorum, qui in Infantia moriuntur sunt in parvo numero; nec propterea sequitur, ad illos non pertinere baptismum; quia cum Ecclesia expresse statuerit, parvulos recenter natos imminente mortis periculo esse baptizandos, satis ostendit & declaravit 9
suam voluntatem circa illos si judicio prudenti existimantur vivere cum in illa propositione generali illi etiam includantur.

Nec valet illatio, quod Ecclesia nunquam fuit expresse loquuta de fœtu abortivo non formato, ergo ad istum baptisma non pertinet: non valet inquam, quia de iis qui respectu aliorum pauci sunt non erat necesse legem particularem concedere, cum facile posset de illis judicari ex interpretatione legis generalis; sicuti non valet, Ecclesia nunquam decrevit, quod si Mater prægnans sit ad mortem damnata, & differendo supplicium usque ad partum, iuxta *leg. prægnantem digest. de pœn.* periculum probabile sit, quod puer moriatur, tunc liceat accelerare supplicium Matris, vt vita spiri- 10
tualis illius fœtus saluetur, non valet inquam; ergo non licet accelerare supplicium Matris; nam & si *Paludanus in* 4. *distinct.* 6. *quæst.* 1. *versic. Tertio contra*, dubius sit, tamen bene. *Suarez* 3. *tom. in* 3. *part. quæst.* 68. *comment. in articul.* 11. dicit id licere absolutè, seruato tamen Juris, & Justitiæ ordine: nam in isto casu nemini fit injuria, & alioquin bono spiritualis illius pueri providetur, & quod lex illa mandet differri supplicium Matris, est in bonum prolis, ergo si bonum, & vita prolis periclitetur, cessat lex per Epiicheiam, & ei magis consentaneum est anticipare, quam differre mortem Matris: ergo similiter, licet Ecclesia non præceperit, abortivum informem esse baptizandum sub conditionet non valet illatio, ergo non est baptizandus; quia isti suncasus de minus contingentibus, de quibus lex non disponit in particulari, & in generali, ut vidimus satis disposuit.

Aliam

Aliam ſimilem rationem affert *S. Proſper*, non omittendam in præſenti; ipſe enim occurrens obiectioni Hæreticorum dicentium, quod ſi verum eſt, quod Deus vult omnes homines ſaluos fieri; quid eſt quod multos paruulos permittit ſine baptiſmo decedere, ſi enim habet hanc voluntatem Deus, cur non diſponit ſua Prouidentia, vt omnes parvuli antequam moriantur, baptizentur.

11 Reſpondet *D. Proſper lib. 2. de vocat. Gent. cap.* 23. his verbis, *Irreligioſè arbitror credi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper vniuerſis eſt impenſa, nationibus; qua vtique, ſi bene vterentur, parentes etiam ipſi per eoſdem iuuarentur, &c. ſicut enim ex aliena confeſſione credunt, ita ex aliena infidelitate, aut diſſimulatione non credunt, &c.*

Sententia igitur *S. proſperi* eſt, quod habet quidem Deus voluntatem, vt paruuli, qui ſine baptiſmo moriuntur, ſaluentur, ſed talem habet voluntatem, qualem ipſorum capacitas poſtulare videtur, & qualem ſemper habet Deus erga omnes nationes, dandi nimirum auxilia generalia, hoc eſt auxilia non quidem omni modo poſſibili, nam hoc pertineret ad voluntatem efficacem, & ſpecialem; ſed per ordinarias cauſas, in quibus ſatis eſt, quod exiſtat virtus, per ſe ſufficiens ad illos baptizandos: quia verò paruuli ſi baptizantur, non niſi ex aliena voluntate, diligentia, & confeſſione baptizantur, & vt loquitur *D. Proſper*, credunt, & ſaluantur; contingit ſæpius, vt ex aliena infidelitate, diſſimulatione, aut negligentia non baptiſentur, & adhuc dicitur Deus habere hanc voluntatem, vt ſaluentur.

12 *Et cap.* 24. ſequenti occurrens inſtantiæ quorundam, qui arroganter, imo blaſphemè de Deo dicebant, non eſſe iuſtum, quia non omnibus paruulis ſimili prouidentia conſulit. Reſpondet demonſtrans, quam immeritò Diuinæ Juſtiæ ſuccenſeant; quia ſi ita fieri oporteret, vt omnes cauſæ remouerentur, à quibus mors illorum ante baptiſmum prouenit, deberet Deus cum omnibus paruullis ita obſeruare, vt

om-

omnes baptizarentur ; cum de omnibus sit eadem ratio ; atque ita non esset metuendum; aut de negligentia illorum,ad quos cura parvulorum spectat ; aut de morte ipsorum , quia non posset impediri Divina Providentia ; sed ad eam tantum pertineret , ut non carerent hoc remedio salutis ; & ita sequeretur. Primo , quod esset inamissibilis salus Infantium. Secundo quod facile à Pelagianis dici posset , Gratiam Dei dari secundum merita ; quia innocentiæ parvulorum posset attribui. Tertio quod baptismus adoptaret quidem illos in filios , sed originalem culpam non dilueret, ut dicebant Pelagiani supra relati in Procemio. At huiusmodi errores , & hæreses detestantur omnes Fideles , & qui de divina Providentia catholicè sentiunt , & fatentur occulta quidem , sed iusta Dei discretione illorum salutem esse effectum Divinæ Gratiæ ; aliorum autem damnationem à peccato originali procedere , & ab illorum etiam negligentia , qui in parvulorum salutem tenentur incumbere ; & tandem concludit his verbis S.Prosper : *Vt nec contra donum elevetur superbia, nec contra periculum cesset industria, &c.* Ad industriam igitur pietatis Christianæ pertinere voluit divina Providentia, vt parvuli periclitantes,quam citissime baptizentur.

Et confirmatur quia olim , ante institutionem baptismi, 13
tempore legis Mosaicæ , licet Deus in remedium originalis peccati veluti Sacramentum circumcisionem instituisset eamque nonnisi octavo die applicari mandasset , at non prohibuit , quod etiam ante octavum diem , puer circumcidi posset , si mori ipsum parentes dubitassent , ut notant Theologi, 14
& præsertim. *Suarez tertio tomo , in tertia parte , disputatione vigesima quinta , sectione prima , versiculo alterum argumentum, & Eminentissmus de Lugo dicta disputatione tertia , sectione secunda , numero vigesimo octavo , cum S. Thoma quæstione septuagesima , articulo quarto , ad. 2.* Et fœminas, quæ circumcidi non poterant , non est credibile caruisse remedio : imo vera , & communis Theologorum sententia docet , ante legem Mosaicam in lege naturæ, fuisse à diuina Prouidentia institutum remedium aliquod contra originale peccatum , sa-

crificium nimirum, vel aliquam sensibilem oblationem à pa-
15 rentibus factam, in fide Christi venturi; licet nihil determi-
natum esset; ut idem Suarez ostendit *disputatione quinta, sectione prima. vers. secundo dicendum, Nunus in tertia parte, quæstione sexagesima octava, articulo secundo, difficultat. 4. ad secun-*
16 *dum, & Cardinal. de Lugo dicta disputatione tertia, sectione secunda per totum*, at omnem diligentiam, & studium applicandi huiusmodi remedia parvulis ante octauum diem morituris, aliorum pietati, & arbitrio committebat; ideo *S. Augustinus, S. Gregorius, Beda, Hugo de S. Victore*, & alij ita docent: quamvis præceptum, & legem particularem Deus non dederit, imo, ut *S. Augustinus, libro quinto, contra Iulianum capite vigesimoprimo*, adnotavit, Scriptura sacra aliqua necessaria causa latere voluit; & tamen nemo huc usque dixit divinam Providentiam, & legem non satis consuluisse, dum parvulis ante diem octavum morituris, speciali modo remedium non providit: Ergo eadem & multo majori ratione dici nequit, quod Ecclesia Ca-
17 tholica huiusmodi abortivis non providerit, quando non tantum generaliter, sed specialiter inculcavit, ut nulla mora interposita, quando mortis periculum imminet parvuli baptizentur quam citissime, ne vt S. Gregorius loc.cit. ait: *Interveniente paululum mora inveniri non valeat, qui redimatur, dum adhuc tempus quæritur, ad præbendum Baptismum.*

Minus obstat tertia confirmatio argumenti, in qua expro-
18 bratur nobis doctrina ab omnibus communiter reiecta; nos enim non dicimus preces, & lachrymas parentum infallibiliter saluare infantes abortiuos non baptizatos, sed tantum asserimus divinam Providentiam, etiam illis sufficienti remedio consuluisse, quatenus, parentes internis inspirationibus præmovet, & cogitationibus excitat ad orandum, ut filij in lucem nascantur antequam moriantur, vel ad aliquod faciendum, quod si fieret, nascerentur, & baptizarentur, ut bene *Eminentissimus de Lugo dicta disputatione tertia, sectione secunda, numero vigesimo sexto*, Et addimus, quod non debemus acquiescere illis Philosophis, & Medicis, qui solam corporis vitam, & sanitatem considerant, sed baptizare debemus abortivos sub

conditione

conditione quando vel juxta regulas Medicorum, vel iuxta ſigna evidentia in facto certi non ſumus, ſed prudenter dubitare poſſumus, quod huiuſmodi fœtus vivant anima rationali; nam quod *S. Auguſtinus in Epiſt. ad Optatum Milevit. de orig. An. dicebat: Si origo animæ lateat, dum tamen redemptio clareat, periculum non eſt, neque enim in Chriſtum credimus, ut naſcamur, quomodocumque nati fuerimus.* Nos paucis mutatis dicimus, ſi ab origine fœtus anima lateat, dum tamen redemptio clareat, periculum non eſt, neque enim Baptiſmus eſt illis neceſſarius, ut naſcantur, ſed ut renaſcantur, ſi nati aliquo modo fuerint.

Utinam igitur hæc mea quoque ſententia, & diſputatio 19
ſit illius Chriſtianæ pietatis, & induſtriæ pars, quam Divina providentia elegit, ut per genitores, & alios, quibus hujuſmodi parvulorum ſalus commiſſa eſt, ſalvarentur animæ derelictorum: utinam inquam hic meus, qualiſcumque leviſſimus labor à ſapientibus probatus, & approbatus, cedat in Cœleſtis regni, & Divinæ gloriæ æternum additamentum.

Hæc ſunt quæ in præſenti diſputatione de Baptiſmo Abor- 20
tivorum, ſeu de exiſtentia animæ rationalis in fœtu quamvis problematice, diſſeruiſſe volui: mihi tamen rem ipſam non ſolùm valde dubiam, & periculo gravi expoſitam oſtenderunt, ſed me totum apprime perſuaſum reddiderunt, ut in praxi illam partem tanquam ſecuriorem amplectendam eſſe crediderim, quæ ad miniſtrandum baptiſma infantibus immature editis inclinat, & in illorum ſalutem quàm maximè impellit. Et quidem in hoc ultimo meæ diſputationis ſpiritu niſi praxis eſſet apud DD. omnino nova, & à nemine huc uſque quem viderim, indicata, converſus ad animarum Paſtores ad ipſorum Abortivorum parentes, ad obſtetrices fœminas, & ad quoſcumque neceſſarios Baptiſmi Miniſtros audacter declamarem, ut in re tam gravi, tantique ponderis negotio, omni ſegnitie devicta, ſeu etiam Philoſophica ſcrupuloſitate depoſita, iam volarent, ut nubes ad aquas Salvatoris ſupra germina ſub terris latentia, diffundendas, iam

Lymbo bellum inferrent,& jam ab hac tenebrarum abyſſo animas præriperent,& quæ in patvo corpuſculo vix morantur,in Cœlorum regnum jamjam grandeſcentes tranſmitterent.

Verùm quia ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Prælatos,& ad ipſum ſupremum animarum Paſtorem, Sanctiſſimum in terris Chriſti Vicarium,Summum Pontificem ſpectat quid in hac materia à Sacramentorum Miniſtris ſit ex debito exequendum, decernere:mihi ſufficiat ſtatũ graviſſimæ difficultatis indicaſſe,& ſapientiſimis Eccleſiarum moderatoribus,Sacrarum Academiarum Dynaſtis, ſacræ Theologiæ doctiſſimis Magiſtris, omnibuſque ſalutis animarum Miniſtris, rem ſicuti mihi viſa eſt, dubiam, & non contemnendam propoſuiſſe,vt ab ipſis diligentius expenſa,periculum frequens animarum in abortivis fœtibus deliteſcentium,ſi ita eſt,proſui officij,& charitatis obligatione averti,ſtudeant.

Finis primæ Diſputationis.

DE

DE MINISTRANDO

BAPTISMATE

SVB CONDITIONE

HVMANIS FOETIBVS ABORTIVIS.

Disputatio Secunda.

PRIVS ROMÆ IMPRESSA TYPIS Michaëlis Herculi 1672. cum licentia superiorum Romanæ curiæ, nimirum Illustrissimi et Reverendissimi D. Joannis de Angelis Archiepiscopi urbis Vicesg. et Reverendissimi P. Fr. Hyacinti Libelli sac. Apost. pal. Magistri, nunc denuo Cum variis correctionibus & additionibus prodit.

JNDICVLVS SECTIONVM.

Sectio I. LECTORI *Præloquium. Confirmatur breviter indicatis argumentis iam allatis in præcedente disputatione propositio de Baptismo arbotivorum.*

II. *Præmittuntur aliqua ad solutionem obiectorum conducentia.*

III. *Solvitur primum argumentum.*

IV. *Solvitur secundum argumentum.*

V. *Solvitur tertium argumentum.*
VI. *Solvitur quartum argumentum.*
VII. *Solvitur quintum argumentum.*
VIII. *Solvitur sextum argumentum.*
IX. *Solvitur septimum argumentum.*
X. *Solvitur octavum argumentum.*
XI. *Solvitur nonum argumentum.*

LECTORI PRÆLOQVIVM.

AD formam mihi ab Eminentissimis Sacræ Indicis Congregationis Cardinalibus præscriptam, jam anno 1666. tibi, Amice Lector, hanc secundam Disputationem Romæ impressam offero, de Abortivorum Baptismo illis fœtibus administrando, in quibus humanæ vitæ apparent prima lineamenta. Neque quia sub Romano prælo hanc Thesim recudo, me vel minimum à typis Lucensib recedere suspiceris, in quibus illam ad mentem Eminentissimorum illorum Patrum præmissa protestatione in frontispicio libri declaravi; illam enim eandem protestationem omni ex parte hic repetitam esse volo: Sed quia & nunc Romæ existo brevi tamen discessurus, & à doctissimis viris, & præcipuis Romanæ Curiæ Ministris recognitam esse desideravi, ut ità certior essem, nihil à me in hac materia pronunciari quod à mente Superiorum sit alienum. In hac secunda disputatione, eos qui sentẽtiæ meæ, contrarij sunt redarguere non intendo, vnusquisque enim in suo sensu abundat, & pro veritate sentire & veritatem amare profiteor; sed meũ studium in præsenti, & mens vnica est, meã Propositionem maiori luce illustratã confirmare, Id quod assequi posse facilius credidi, si quæcumque contra me, Appelles post tabulam, imaginatus sum audire. & opponi posse prævidi, ego ipse contrà meam Propositionem objicerem, & objectis

pro

pro mea tenuitate reſponderem. Sunt autem quæ prævidi ſequentia.

I. Quia conſuetudo S. Rom Eccleſiæ eſt, vt fœtus abortivi recenter nati, & à primis diebus ab utero excuſſi nullo modo baptizentur, ergo propoſitio nullo pacto eſt admittenda.

II. Quia iuxta communem & hucuſque receptiſſimam ſententiam fœtus humanus maſculi, non niſi quadrageſima die, fœminæ vero octogeſima, vel nonageſima die vivit anima rationali: Ergo fœtus humanus abortivus ante hoc tempus nullo modo eſt baptizandus.

III. Quia Eccleſia Romana nunquam conſuevit baptizare fœtus abortivos, niſi eorum corpuſcula ſint, & appareant perfecte formata.

IV. Quia baptizare abortivos dubios de quibus nimirum dubitatur an vivant eſt contra ſtylum ſanctæ Rom. Eccleſiæ.

V. Quia meæ propoſitionis praxis, aut omnino eſt impoſſibilis, aut certe valde difficilis; quoniam in utero mulierum prægnantium, non tantùm veri fœtus humani generantur, ſed etiam inutilia quædam germina; ſiue ut D. Jo. Marcus Medicus Iatrophyſicus Pragenſis literis ad me datis, de anno 1663. ſub die 1. Februar. loquitur, Carunculæ, & grumi ſanguinis gignuntur, quæ Molæ, proprio vocabulo nuncupantur. Quare ſæpe contingere poteſt, quod à veris fœtibus non dignoſcantur, & ita non ſine magna ſacramenti irreverentia huiuſmodi Molæ aut impuri ſanguinis excrementa baptizentur.

VI. Quia hæc propoſitio fundatur in doctrina contraria Ariſtoteli, & S. Thomæ. Ariſtoteles enim, quem ſequitur S. Thomas locis à me citatis diſp. 1. ſect. 2. num, 3. docet hominem, priùs vita plantæ, deinde Bruti, tandem propria hominis vita rationali vivere. At vero duæ ſubſtantiales mutationes nempe generatio animæ vegetativæ, & poſt hanc, generatio animæ ſenſitivæ non niſi ſpatium 40. vel ad minus 30. dierum requirunt. Ergo fœtus huiuſmodi non ſunt baptizandi quocunque tempore lapſo à conceptione excuſſi fuerunt ab utero.

VII. Quia iam elapſi ſunt 1672. anni ab Incarnatione Domini, & nunquã Eccleſia mandavit huiuſmodi homines dubios

baptizari

baptizari; Ergò, ne dicamus in re adeò necessaria Sanctam Ecclesiam negligentem fuisse, neque etiam hoc tempore meæ propositionis praxis est inducenda.

VIII. Quia hæc propositio, cum ab Auctoribus non fuerit hucusque in eorum libris asserta, nullam habet speciem probabilitatis, ergò non debet inter sententias probabiles recenseri.

IX. Et vltimo. Quia indecens est Ecclesiæ Sacramentum applicari subjecto, adeò impuro, & spermatico humore respersо, sicuti est fœtus abortivus ab vtero recens excussus.

SECTIO I.

Confirmatur breviter indicatis Argumentis iam allatis in præcedente disputatione propositio de Baptismo abortivorum.

SVMMARIVM.

1 *Dubium quod fœtus abortivi vivant vitam humanam, est rationabile.*

2 *Quod anima rationalis sit forma informans corpus & in eodem causa efficiens sua membra sententia est magni ponderis.*

3 *Valet illatio: sunt primis diebus in humano fœtu prima hominis membra; ergo adest anima rationalis.*

4 *Propositio est non tantum speculative sed etiam practicè probabilis.*

5 *Discursus sub n. 3. est directus.*

6 *Probatur hæc propositio ordine retrogrado.*

7 *Fœtus 40. dierum absolute baptizandus.*

8 *Fœtus 15. dierum aliquando movetur in vtero.*

9 *Fœtus primæ diei, nisi in eo appareant prima vitæ rudimenta neque sub conditione est baptizandus.*

10 *Expe*

10 *Experientia Theodori Cherchringÿ, fœtus trium vel ad summum quatuor dierum est animatus.*

ANtequam supradictis argumentis satisfaciam, juvat hic discursum repetere, quo, & mea Propositio de Baptizandis sub conditione fœtibus humanis abortivis, in quibus humanæ vitæ prima lineamenta apparent firmior evadat, & quam rationabile sit, & probabiliter fundatum dubium, cui eadem propositio innititur, cognoscatur. Siquidem & ratione gravi munitur, & multorum DD. qui illi subscripserunt, vt in Censuris impressis initio meæ primæ Disputationis apparet, auctoritate fulcitur, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ stylo conformior invenitur. 1

Rationem gravem appello argumenta & Sententiam Philosophorum, quos citavi in 1. Disput. sect. 3. n. 12. dicentes animam rationalem in humano Corpusculo existere, statim ac completa est accidentalis organizatio, ita vt primum non esse seminis, sivè Embrionis sit primum esse animæ rationalis ibi à Deo creatæ, & simul vnionem eius cum corpore ab agente naturali produci ad exigentiam illarum qualitatum, in quibus organizatio accidentalis consistit; & quidem animam rationalem esse ibi non solùm tanquam formam informantem, sed tanquam causam efficientem sibi sua membra, & totam substantialem organizationem inchoantem, & perficientem. Explicant, & probant hanc veritatem præcitati Doctores, quorum argumenta non refero, quia loc. citat. plene adduxi sed suppono; & magni ponderis existimo, quia à tot Auctoribus in materia tam graui recipiuntur & approbantur, Neque enim à Legistis, & Canonistis huiusmodi veritatem, sed à Philosophis debemus accipere philosophicam conclusionem. 2

Erit igitur in hac sententia vera huiusmodi ratiocinatio: apparent primis diebus in humano corpusculo aliqua prima hominis membra, ergo adest anima rationalis. Sicut vera est hæc: dies est: ergo Sol est Et ideo meritò S. Congregatio Indicis 3

mihi impoſuit, vt meam Propoſitionem de Baptiſmo ſub conditione abortiuis fœtibus conferendo de illis dumtaxat fœtibus intelligerem, in quibus ſunt prima vitæ humanæ delineamenta. Huic meæ Propoſitioni ſubſcripſerunt ſex Vniuerſitates, & totidem ſupra 30. Doctores, vt videre eſt in Indice Cenſurarum in fronte primæ diſput. impreſſo: Ergo Propoſitio eſt
4 non ſolùm ſpeculatiuè, ſed practice probabilis, Si quidem non poteſt ſine iniuria denegari probabilitas practica illi veritati, quam plures, & graues DD. tuto practicari poſſe exiſtimant. Eſt ergo dubium probabiliter fundatum, quòd anima rationalis primis diebus ſit in humanis fœtibus abortiuis, in quibus prima humanæ vitæ rudimenta reperiuntur.

5 Hunc diſcurſum directo ordine factum appellare liceat, quia à prima Animæ rationalis inexiſtentia in homine ad Baptiſmum illi ſub conditione conferendum procedit.

6 Nunc ad alium diſcurſum ordine retrogrado, ad idem probandum me conuerto. Praxis, & ſtylus Eccleſiæ Romanæ eſt, quòd, qui cauſauit abortum animatum, puniatur, vt verus homicida, & cum eo tanquam cum irregulari diſpenſat Sacra Pœnitẽtiaria. Regula autem in praxi ſeruata eſt, vt fœtus maſculus 40. die à congreſſu maris cum fœmina ſit, & ſupponatur animatus; & die 80. vel 90. fœtus fœmininus; quod ſi dubium ſit, maſculus cenſetur, vt infra ſect. quarta probabo. Jgitur ſi contingat, quod mulier prægnans die 40. fœtum pariat abortiuum qui vndequaque membranis ſit contectus, & inuolutus, hic profectò ſtatim baptizandus erit, & quidem baptiſmo; non ſub
7 conditione, ſed abſolutè collato; huius enim vita certa eſt, & nullatenus dubia. At verò pro diebus præcedentibus vitam eſſe dubiam ſequitur, ſi fundamentum examinemus, quo Eccleſiæ ſtylus habet, vt die quadrageſima vita ſit certa. Nam S. Pœnitentiariæ Tribunal, & Tribunal etiam laicorum in puniendis illis, qui abortum fœtus animati cauſarunt, fundantur, vt infrà dicta ſect. 4. dicam, in ſententia Ariſtotelis, ſiuè in experientia ab eodem adducta, quòd mares vt plurimum circa 40. diem mouentur potiùs dextero latere, fœminæ ſiniſtro circa nonageſimum. Vt Tribunal tam Eccleſiaſticũ, quam ſæculare haberet certum,

&

& determinatum tempus, quo possent supponere delictum tanquam certum, ad effectum illud puniendi, nè innocentem punirent, vt reum, non fuerunt soliciti de tempore quo fœtus in vtero incipit moueri; cum hoc sit incognitum, & incertum, sed satis fuit illis habere tempus determinatum, quo certum est moueri; & per consequens fœtum viuere humanam vitam, & reum illum esse verum homicidam: & inuenientes prædictam experientiam ab Aristotele assertam tanquam certam, & maiore fortè diligentia adhibita confirmatam, istud tempus determinarunt in ordine ad puniendum delictum certum: non tamen dixerunt ante quadragesimam diem fœtum in vtero non moueri; cum ad illorum institutum non pertineret: Siue ergo vtri vsque Tribunalis ministri acquieuerint soli Aristotelis testimonio, vt fatentur Doctores dicta sect. 4. relati, siue à peritis indagauerint, quod ego ipse feci, & non semel audiui mulieres experiri motum in vtero causari à fœtu, non solum quadragesima, sed aliquando etiam quinta decima die, sequitur quòd in fœtu abortiuo 39.38.37. dierum, & deinceps retrocedendo sit homo dubius, & de eius vita, iuxta Ecclesiæ praxim, & stylum dubitari cum fundamento possit, & licet quò magis à tempore vitæ certæ, à die inquam 40. vel 80. recedamus, eò minor sit ex hac parte probabilitas, quia tamen ex alio ordine directo semper occurrunt dies, in quibus adest aliunde maior probabilitas, hæc semper erit maior, & hinc fit, quòd quantum decrescit ex vna parte probabilitas tantum crescit ex alia, atque ideò semper siue recedamus à prima die humanæ conceptionis, siue à 40. die certæ animationis, habemus sufficiens, & prudens fundamentum probabilis opinionis, qua fœtus abortiuus asseritur animatus anima rationali, & ideò sub conditione baptizandus est.

Dicet hic aliquis, maximus recessus à 40. die est prima dies conceptionis, siue congressus maris cum fœmina; ergo pro isto tempore nullum fundamentum habemus opinionis probabilis. Respondeo si hoc tempore nulla vitæ humanæ filamenta sint effigiata, ita, vt aperto per sectionem ouo, si tamen fieri potest, siue secundinarum inuolucro, iam concreto, non appareant vitæ

humanæ prima rudimenta, non adest prudens motiuum ad coniectandum adesse in fœtu animam rationalem, propterea dixi primis diebus, non prima die fœtum abortiuum esse sub conditione baptizandum, & nunc valdè probabiliter existimo tertia vel quarta die esse animatum, quia ex recentissima experientia quam Theodorus Cherchringius medicus Amstelodamensis affert, factam anno superiore 1671. in fœtu tertiæ vel ad summum quartæ diei, constat apparuisse *caput clarè à corporis mole distinctum & in capite inquit, quasi per nebulam adnotata organorum puncta, corporis autem reliqui rudis adhuc indigestaque moles*, videbatur. Ex hac historia patet quàm veræ sint obseruationes & historiæ ex Hipocrate, Varolio, Platerio, & alijs à me relatæ Disp. 1. Sect. 10. part. 3. n. 3, Vide D. 4. l. 7.

Hoc ego bicipiti discursu libenter vtor, antequam Aduersariorum argumentis occurram, non quidem, vt eos ab vtroque quasi armato latere circumobsessos comprehendam, sed vt vtroque brachio extenso, & obvijs vlnis complectar, ad hunc finem, vt mecum vnanimi consensu in plurimarum animarum salute promouenda conspirent.

SECTIO II.

Præmittuntur aliqua ad solutionem obiectorum conducentia.

SVMMARIVM.

1 *Omnes infantes, in genere loquendo, indigent Baptismo, vt saluentur.*

2 *Etiam illi, quorum vita est dubia.*

3 *In administratione sacramentorum seruanda sunt quæ sunt de iure Diuino, & de generali ecclesiæ consuetudine.*

4 *Quod baptizentur infantes Abortiui animati, est de iure Diuino, & de generali consuetudine Ecclesiæ.*

5 Sub

5 *Sub nomine infantium, & parvulorum sacra scriptura, Concilia Patres, & S. Tomas intelligunt etiam Abortivos non formatos.*

6 *Stilus Ecclesiæ antiquus est, vt Abortiui statim ac vivere incipiunt baptizentur.*

RVrsus antequam argumentis satisfaciam, duo sunt hic à me præmittenda. Vnum, quod est de fide certum, sed non aduertitur ab illis qui ita arguunt; nimirum omnes infantes in 1
genere loquendo esse baptizandos, & alterum, quod ex primo sequitur, non solùm, infantes illos, quos certum est viuere humanam vitam, esse baptizandos, sed etiam eos, de quibus dubitari prudenter potest, an ità viuant, quos propterea homines 2
dubios siuè incertos virunculos in mea Disput. 1. sect. 1. n. 17. vocaui, & ità in progressu loquar.

Exordior à primo: & pro fundamento assero, veram, & antiquam consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ fuisse, & esse, vt in 3
administratione sacramentorum obseruentur ea, quæ sunt de iure diuino scripto, vel iuxtà vniuersalem traditionem ab Apostolis derivatam, à Summis Pontificibus à Concilijs, & à SS. Patribus commendatam, vt etiam Paulus Quintus dicit in sua Constitutione, pro Sacrorum Rituum obseruantia edita anno 1614. quæ est inter Bullas huius Summi Pontificis Constit. 85. & legitur in principio Romani Ritualis impressa.

Et quòd Baptizentur Infantes in genere, sub quo continentur tam illi, qui immaturo partu egrediuntur ab vtero, & vocantur abortiui, quàm illi, qui legitimo tempore, nono videlicet, vel decimo mense nascuntur, habemus ex c. 3. Io. in Euang. dicente. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Cælorum &c?* quibus verbis non tam imponitur præceptum Baptismi, quam exponitur necessitas huius medij pro omnibus tàm certis, quàm dubijs. Habemus ex Apostolica traditione, de qua testatur *Beatus Clemens Romanus lib. 6. constitut. cap. 15. D. Dionysius de Eccles. hierarch. cap. vlt. §. 11. Origenes lib. 15. in cap. 6. ad Roman. S. Augustin. contra Donatistas l. 4. cap. 23. & 24. & de Gen. ad lit. lib. 10. & 20. Bellarm. tom. 2. contro. libro primo de Baptism. cap. 8. versicul. secunda classis,*

Suarez 3. *tit. in tertiam partem, Disput.* 25. *sect.* 1. *versic. secundo principaliter. Et Vasqu. tom.* 2. *in tertiam partem. Disp.* 154. *cap.* 1. *num.* 10. Habemus *ex Innocentio Tertio in cap. Maiores de Baptism.* sub nomine Infantium, quorum ait, *quotidie tanta multitudo moritur.* Habemus *ex Tridentimo sess.* 5. *num.* 4. vbi sub nomine paruulorum, decernit illos esse baptizandos ex Apostolica traditione. Habemus tandem ex SS. Patribus, quos plena manu contra Hæreticos Pelagianos, Albigenses, Anabaptistas, Caluinum, Lutherum, & alios, congerit *Iodocus Coccius tom.* 2. *l.* 5. *art.* 6. ergò quòd baptizentur abortiui animati in genere, & omnes infantes simpliciter loquendo, ius diuinum est, & consuetudo vniuersalis Ecclesiæ Catholicæ.

Quòd autem sub nomine Infantium, & parvulorum veniant etiam illi, qui legitimum nascendi tempus antevertunt, probatur.

I. Quia Exodi cap. 21. num. 22. vbi sermo est de abortivo violenter ab utero Matris excusso, quem editio vulgata dicit. *Si abortivum quidem fecerit &c.* Septuaginta legunt, *si exierit infans, eius non formatus, &c.* Itaque sacræ literæ non solùm abortivum sed non formatum vocant infantem. Et hanc versionem sequuntur *Origenes homil.* 10. *in Exod. D. August. ibid. quæst.* 80. *Cajet.* qui ex Hæbreo transfert, *si exibunt infantuli eius.* Lippomanus. *Si egressus infans non fuerit effigiatus*, Et S. Thom. 2. 2 q. 64. art. 8. ad secundum, hunc abortivum *puerum animatum appellat.*

II. Idem probatur, quia *Origenes hom.* 14. *in Luc. D. Basilius hom. in Psalm.* 32. *D. Gregorius Magnus lib.* 7. *epist.* 53. *Hysichius in Levit. lib.* 2. *cap.* 6. *Gelasius Papa tom.* 1. *Epist.* 5. *ad Episcopos per Picenum. S. Leo Papa in sermone primo de Nativitate. D. Aug. lib.* 3. *de peccator. merit. cap.* 6. *& D. Hieronymus in cap.* 3. *Ionæ, illa verba ex Iobi cap.* 14. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine &c.* cum Septuaginta Interpretibus ita legunt, *Nemo mundus à sorde, nec infans, cuius est vnius diei vita super terram.* Hi omnes afferunt hunc locum ad probandum, originale peccatum contrahi, statim ac homo incipit in vtero vivere. Et hæc est Catholica veritas, & vera de fide doctrina, quòd nõ in se-

cunda

cunda nativitate, qua post inchoatam vitam in utero Matris egreditur infans, sed in prima, qua intrà vterum primò vivit per animæ rationalis creationem in corpore, contrahitur peccatum originale, vt Tridentinum expresse declaravit *dicta sess. 5. num. 4.* dum dixit *peccatum originale parvulorum in Baptismi regeneratione mundari, quod generatione contraxerunt.* Et tunc dicuntur, & sunt parvuli, & infantes. Ergò iuxta vsitatum sacræ Scripturæ, Summorum Pontificum, Conciliorum, & veterum Patrum loquendi modum, parvuli sunt, & infantes, statim ac in utero generantur, & incipiunt vivere, ergò abortivi omnes si vivi sunt, veniunt sub nomine infantium, & parvulorum, qui iuxtà Ecclesiæ antiquum stylum baptizandi sunt ex eo quod necessario Baptismi remedio indigeant.

SECTIO III.

Solvitur primum Argumentum.

SVMMARIVM.

1 *Quia obligatio certa de iure divino est, ut Abortivi animati baptizentur; putat Vasquez ideo ecclesiam particulare præceptum non fecisse.*

2 *Eminentissimus de Lugo existimat causam fuisse, quia Abortivi sunt in parvo numero respective.*

3 *Quia Ecclesia non semel præcepit baptizari parvulos qui sunt in extremo periculo vitæ satis est vt voluerit etiam de Abortivis intelligi.*

4 *Sed Sanctus Gregorius claris verbis loquitur de baptismo Abortivorum etiam unius diei.*

5 *Sub genere infantium baptizandorum Ss. Patres comprehendunt etiam Abortivos.*

6 *Imo & Concilium Tridentium ita loquitur, vt etiam de illis possit intelligi.*

7 *Parvulos nondum de materno vtero egressos, indigere baptismo*

tissmo, ut salventur, doctrina est S. Augustini & universalis Ecclesiæ.

8 *Et S. Augustinus licet dubius suo tempore de origine animæ, hanc doctrinam firmiter tenet.*

9 *Consuetudo in contrarium asserta corruptela est, abusus popularis & error hominis extra Ecclesiam constituti.*

CVm igitur ex tam universali, & communi loquendi modo, satis evidenter constet, quod sub generico nomine infantium, & parvulorum contineantur abortivi, omnesque homunculi, qui immaturo tempore nascuntur, sequitur responsio ad primum, nimirum consuetudinem Ecclesiæ esse, vt baptizentur etiam abortivi, quia vera, & expressa mens Ecclesiæ est, vt omnes parvuli, & infantes cujuscumque ætatis, quia Baptismo indigent, illo mundentur à communi sorde peccati.

Nec mirari aliquis debet, quod nunquam à Summis Pontificibus, Conciliis, & Patribus de Abortivorum in particulari, sed de Baptismo parvulorum, & infantium in universali, & in genere, mentio facta fuerit.

Nam primo respondet *Vasquez in tertiam partem Disp.* 150. *cap.* 2. *num.* 11. quòd ad Ecclesiam non spectat necessitatem
1 hujus Sacramenti per actum legis, & Jurisdictionis imponere, & tempus illud recipiendi determinare, nempè extremum vitæ periculum quoad moribundos, & quoad sanos, cum primum fieri potest; nam satis ex iure divino hæc necessitas constat, cum Io.c.3.dicatur, quod *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.*

Respondet secundò *Eminentissimus Cardinalis de Lugo de Sacram. Disp.*3.*sect.*2.*n* 26.quod cum abortivi, qui ad lucem veniunt, pauci sint, & in parvo numero respectu illorum, qui
2 legitimo tempore nascuntur, sicut antiquo tempore, incipiendo à lege naturæ non fuit necessaria specialis mentio de illis, sed satis fuit, quod divina providentia aliquo modo ad illos se extenderit, saltem illuminando Genitores, vt aliquem actum externum fidei, & religionis exercerent, quo

pecca

peccatum originale filiorum tolleretur, vt ibi Theologi consentiunt cum D.Augustino,ità satis fuit in lege noua Euangelica institutum esse Baptisma,pro remedio omnium paruulorum in genere,& Deum illuminare genitores, vt aliquibus inspirationibus se gubernari sinant, in ordine ad aliquod faciendum, quod si facerent,filij peruenirent ad Baptismum,& sine illo non decederent. At verò cum Ecclesia solùm de illis,qui extra vterum nascuntur curam habere regulariter possit,& debeat,satis illi fuit de paruulis in genere imponere ministris, vt omnibus paruulis,& infantibus,qui in extremo periculo versantur, Baptismum cum omni celeritate ministrent.

Tertio.Respondeo,quòd quotiescumque Summi Pontifices, quos ego refero Disp.1.sect.23.per totam,nempè Siricius Papa, Leo I.Concilium Carthaginense,sexta synodus, Mileuitanum, & Gerundense Concilium,& S.Gregorius Papa Epist.ad Augustinum Episcopum Cantuariensem, mandant statim baptizari eos parvulos,quorum vita est in extremo periculo, de omnibus quidem,sed de Abortiuis præsertim sunt intelligendi,isti enim sunt,qui cum ità nascantur, vt ad horam circiter, plus minùs, vitam sint habituri;maiori ratione verificantur de illis, quæ dicuntur ab ipsis,& præcipuè à S.Gregorio in Epistola citata, vt scilicet baptizentur ipsa eadem hora, qua nascuntur. *Ne, dum adhuc corpus ad præbendum Redemptionis misterium quæritur,interueniente paululum mora inueniri non valeat,qui redimatur,&c* 5

Relege mi lector si placet verba S.Gregorij relata *Disp.prisect.13.n.8.* & considera modum loquendi; si quidem sanctissimus iste,& doctissimus Pontifex,vt respondeat Episcopo Augustino interroganti aperte distinguit tres casus, in quibus non prohibetur administratio Baptismi extra tempora Paschatis,& Pentecostes:dicit enim *Baptizari autem,vel enixam mulierem,vel hoc quod genuerit,si mortis periculo vrgetur;vel ipsa eadem horâ quâ gignit vel hoc quod gignitur,eadem qua natum est, nullo modo prohibetur &c.*

Et primo respondet mulierem prægnantem baptizari nullo modo prohiberi. sed iste casus non pertinet ad rem nostram. secundo dicit filium ab ea genitum si legitimo tempore nasca-

tur & ſit in mortis periculo, poſſe Baptizari; & hic eſt ſecundus caſus explicatus, illis verbis *vel hoc quod genuerit ſi mortis periculo vrgetur*. Tertio reſpondet fœtum ſeu parvulum, ipſa eadem hora generationis actiuæ qua mater illum gignit non arceri à Baptiſmo ſi eadē hora naſcatur & egrediatur ab utero; vt alia verba ſequentia diſtincte declarant, *vel ipſa eadē hora qua gignit vel hoc quod gignitur &c.* Et eſt tertius caſus in quo diſertis verbis loquitur S. Gregor. de Baptiſmo parvuli abortiui, qui prima non ſolum die, ſed hora ſit animatus, & eadem prima hora naſcatur extra vterum docet eſſe baptizandum; quid clarius dicere poterat?

Hoc ipſum probatur ampliùs, non ſolùm ex modo loquendi
5 Sanctorum Patrum, ſed ex ipſorum ſententia & diſcurſu, quod nimirum ſub genere Jnfantium etiam Abortiui comprehendantur. Nam *S. Cyprianus Epiſt. 59. ad Fidum Epiſcopum de Infantibus baptizandis*, & refertur etiam *à S. Auguſtino tom. 7. lib. 3. de peccatorum merit. cap. 5. & tom. 10. de verbis Apoſtoli Sermone* 14. rogatus, an parvulorum baptiſma eſſet ad inſtar antiquæ circumciſionis differendum vſque ad octauum diem, reſpondet vna cum voto ſexaginta ſex Epiſcoporum, qui erant in illo Concilio congregati, minimè eſſe differendum; & rationem reddens huius tam vnanimis decreti ait. *In Concilio noſtro omnibus viſum eſt, nulli hominum nato Miſericordiam Dei, & gratiam denegandam, cum Dominus in Euangelio ſuo dicat filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare, &c.* & infra: *Infans recens natus, nihil peccauit, niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit, &c.* Notanda ſunt illa veba, *prima Natiuitate contraxit, &c.* vt non ſolùm Infantes legitimo, ſed etiam immaturo tempore natos comprehenderet: prima enim natiuitas eſt generatio in vtero; ſecunda vero ex vtero Matris egreſſio.

S. Auguſtinus lib. 3. de peccator. merit. cap. 5. huius à S. Cypriano ſcriptæ ſententiæ memoriam faciens dicit, quod hæc *non fuit noua conſtitutio, quia fuit iuxtà illud, quod ab initio creditum, & intellectum ſeruat Eccleſia, &c. & ſerm. 33. de verbis Apoſtoli*, ait. *Ecce*

vide

video Ecclesiam matrem ipsis uberibus suis testimonium reddentem. Accurrunt Matres cum parvulis filijs, ingerunt Salvatori salvandos: Mater quælibet mulier pietate currens cum parvulo suo dicit, baptizetur, ut salvetur. Et in *Epist.* 2. quæ est ad D. Hieronymum de Pelagio dicit: *Hic profectò, & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur, & accurritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo viuificari omninò non posse.*

Auctor libri *de Eccles. Dogmat. c.* 34. cuius verba sunt *in c. placuit, ut quicumque de consecrat. distinct.* 4. & sumitur ex Concil. Milevitano, in quo fuerunt S. Augustinus, & Anselmus, qui Romanæ Ecclesiæ legatione in eo Concilio fungebantur, imo *Concilium Tridentinum Sessione 5. n.* 4. transtulit de verbo ad uerbum intelligentiam horum verborum D. Pauli ex *Cap. 5. ad Rom. Per unũ hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ità in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccaverunt, &c.* & conjungens veram Apostoli doctrinam cum Ecclesiæ consuetudine dicit, *hanc esse regulam Fidei ex traditione Apostolorum, ut per baptismum in parvulis regeneratjone mundetur, quod generatione contraxerunt, &c.* ubi diligenter observanda sunt hæc ultima Concilij verba *generatione contraxerunt*: generatio quippe est in utero, antequam infans emittatur, quod si immaturo tempore emittatur est Abortivus. Constat igitur, quod tam de aliquo Jnfante Abortiuo, quam de alio legitimo tempore nato Concilium Tridentinum docet, & definit disertis verbis, esse regulam Fidei ex traditione Apostolorum, ut quicumque Jnfantes, qui peccatum in generatione contraxerunt, baptizentur, & baptismi regeneratione mundentur.

D. Augustinus lib. 6. contrà Iulianum cap. 5. expressè loquitur, de parvulis nondum de materno corpore egressis, & contrà Pelagianum istum concludit, tam ex Apostoli auctoritate, quam ex Ecclesiæ consuetudine illos, ut salventur, indigere baptismo. Hanc eandem Apostoli doctrinam una cum observantia Ecclesiæ, urgent *Origenes lib. 5. in cap. 6. ad Romanos. Nazianzenus Orat. in S Baptisma. S. Ambrosius de Mysterio Paschæ c. 5. & contrà Pelagianum. D. Hieronymus dialog. 3. cap. 6.* & alij SS. Patres passim

hanc Apoſtolicam doctrinam repetunt,& nunquam illam diſiungunt à conſuetudine univerſali Eccleſiæ,quod nimirum parvuli exiſtentes in utero matris indigent Baptiſmo Chriſti , ut ſalventur.

Dices teſtimonium D. Auguſtini quoad primam animationem humani fœtus,non eſſe magni faciendum, nam ipſe ſemper de animæ rationalis origine , quæ ſuo tempore certa non erat,dubitavit,ac proindè de Abortivorum baptiſmo,illum non potuiſſe,tradere doctrinam adeo certam.

Reſpondeo , & hoc magis probare , omnes infantes etiam Abortivos eſſe iuxtà Eccleſiæ ſtylum baptizandos : Nam quamvis D. Auguſtinus eſſet de prima animæ origine ambiguus; non tamen de veritate Cathòlica,ſeù de Apoſtoli doctrina,unquam dubitavit; quod nimirum in prima nativitate contraheretur peccatum originale,ſtatim ac homo inciperet vivere,undecumque anima proveniret; quod remedium unicum & neceſſarium eſſet baptiſma, & quod ità Eccleſiæ vniuerſalis conſuetudo ſtatim baptizandi Jnfantes interpretaretur,ut conſtat etiam ex ijs,quæ ſcripſit de *Gen ad lit.lib.*10.*c.*23.ibi enim ſuam de origine animæ incertitudinem indicans ; humiliter Deum rogat, ut ſe dignetur docere quidquid de anima expedit ſcire, & deindè ſubdit:*Conſuetudo tamen Matris Eccleſiæ in Baptizandis Parvulis nequaquam ſpernenda eſt*,neque vllo modo ſuperflua deputanda, nec omnino credenda, niſi Apoſtolica eſſet traditio

Cum igitur conſuetudo Eccleſiæ conformari debeat Apoſtolicæ traditioni,& hæc, ut vidimus,ſit,quod baptizetur quicumque Jnfantium,& parvulorum nomine comprehenduntur,ſci-
8 licet tam Abortiui , quàm non Abortivi;omnes enim contrahunt originale peccatum,planè ſequitur,non eſſe attendendam illam conſuetudinem , quæ Abortivos excludit à baptiſmo: quippè quæ non Eccleſiæ conſuetudo,ſed corruptela,& vt mitius loquar,vetularum obſtetricum negligentia , & inſcitia dicenda eſt.Imò verò talis aſſerta conſuetudo non baptizandi Abortivos,ſi vivant, neque datur de facto,neque poſſibilis eſt; eſſet enim contrà Jus diuinum dicens,quod omnes,qui vivunt, remedio Chriſti indigent,& Baptiſmate.Quare ceſſat primum

argumentum

argumentum quod, ut verum fatear, videtur esse, non hominis Catholici, sed extrà Ecclesiam constituti.

SECTIO IV.

Soluitur secundum argumentum.

SVMMARIVM.

1 *Quod Ecclesia non soleat baptizare Abortivum masculum ante quadragesimam diem, & fœminam ante octogesimam, non est sententia vera, sed ficta.*

2 *Distinctio de fœtu animato, & inanimato legalis est, & iuridica: sed in jure nullum datur tempus determinatum pro tali distinctione.*

3 *Ministri utriusque Tribunalis pro determinatione talis temporis conuenerunt, esse attendendam doctrinam Aristotelis.*

4 *Fœtus in dubio præsumitur masculus.*

5 *Iudicium in ordine ad pœnam eorum qui causant Abortum fœtus animati, & in ordine ad Baptismum debet esse diuersum.*

6 *Et canonistæ monent, non esse sequendam eamdem regulam ad effectum baptizandi.*

ARguunt secundo loco, esse quidem antiquam Ecclesiæ consuetudinem, ut baptizentur Infantes etiam Abortiui, non tamen masculi ante quadrasimum, neque fœminæ antè octogesimum, vel nonagesimum diem à conceptione, quòd ut probent, fingunt sibi sententiam quorumdam, quos ità sentire asserunt, eamque vocant receptissimam.

Cœterùm, vt verùm fatear, hic modus arguendi suo se gladio perimit, & meam propositionem egregiè probat. Quòd vt ostendam, cauendam hic esse magnam æquivocationem qua laborat atgumentum existimo. Nam Iura omnia tam Canonica, quàm Ciuilia, ut pœnas statuant contrà eos, qui prægnantes mulieres faciunt abortiri, distinctionem adhibent de fœtu

animato, & inanimato, vivificato, & non vivificato: ut videre est *in cap. sicut ex litterarum de homic. in constitut.* 87. *Sixti V.* in alia *Constitut.* 8. *Gregor. XIV. & in decreto Clement. VIII.* super reservatione casuum pro Regularibus. Sed nullum tempus determinatum hæc jura designant, quo fœtus iudicandus sit animatus, vel non animatus. Quare Ministri utriusque Tribunalis Ecclesiastici, & sæcularis videntes aliquam temporis determinationem esse necessariam in praxi pro executione, & observantia dictarum legum, conuenerunt fœtum esse judicandum animatum quoad masculos, si diem quadragesimum attingat, & quoad fœminam, si diem octogesimum, vel aliquando nonagesimum. Fundamentum huius determinationis est, vt notavit *Basæus in Floribus tomo 2. verbo Abortus numer. 1.* Quia *Aristoteles lib. 7. de Histor. animal. cap. 3.* scripsit, quòd *Mares fœtu magna ex parte circà quadragesimum diem dextro potiùs latere moventur, fœmina sinistro circa nonagesimum, &c.* Et quamvis *Gloss. in princip. distinct. 5.* vtatur alia ratione; quia nimirum *Leuit. cap. 12.* Mater, quæ masculum pariebat diebus quadraginta, quæ fœminam octoginta diebus, erat immunda; tamen est omnino idem fundamentum, vt inter Expositores Levitici notavit *Lorinus ad cap. 12. n. 4.* & quando dubitatur; sit ne masculus fœtus, vel fœmina, præsumi masculum, & sic animatum anima rationali, dixit *Navarrus in Manual. cap. 27. num. 223.* & servat S Pœnitentiaria, vt notant *Naldus in summa, verbo Abortus, num. 2. Diana parte 7. tom. 5. resolut. 6. & Marcus Paulus à Leone in Praxi S. Pœnit. fol. mihi 467. vers. fœtus,* & dixi ego *Disput. 1. Sect. 5.*

Hac de causa aliqui recentiores, vt meam propositionem impugnent, dicunt humano fœtui, antè diem quadragesimum, tanquam subjecto omnino incapaci, quia inanimato, nullo modo, nequeabsolutè, neque conditionaliter Baptismum esse administrandum.

Verùm, ut magis pateat æquivocatio commissa, distinguendum est judicium faciendum de eo, qui Abortum ita animatum causat, tanquam de vero homicida puniendo, à judicio de ministrãdo Baptismate fœtibus Abortivis; cum sint hæc duo

judicia

judicia valde diverſa, & de illis diverſo modo loquantur Auctores. Primum enim judicium tendit ad irrogandam pœnam; delicto homicidij condignam; & ſecundum ad afferendum remedium animarum ſaluti neceſſarium. Doctores conſiderantes tempus, quo homo in vtero Matris incipit vivere humanam vitam, eſſe omnino incertum, quia neque Sacræ literæ docent, neque naturalis Philoſophia vlla evidenti ratione cognoſcere poteſt; hinc eſt, quòd ne Jnnocentes punirent tanquam Reos, obſervarunt, Ariſtotelem loco citato non dixiſſe quòd Mares, vel fœminæ illo determinato tempore vivere incipiant, ſed ſolùm, quòd Mares, ut plurimum circà quadrageſimum diem moventur potiùs verſus dexteram partem Matris, & fœminæ potiùs verſùs ſiniſtram circà nonageſimum; Ideo tali tempore ex hac certa operatione inferebant, adeſſe principium talis motus nempè animam; atque ideò benè *Navarrus in Manuali cap.27.num.223. Coriolan. par.2. de caſibus reſervat. caſ.6.num.3. Peyrinus tom.2.quæſt.3. cap.2. num.46. Diana part.7. tract.5. reſolut.6. & Baſſæus loc. cit.* ut tutiorem partem ſequerentur, in imponenda pœna convenerunt, quod tali tempore fœtus eſſet certiſſime animatus, quia aderat vita in actu ſecundo, ideſt motus, ex quo inferebant adeſſe animam, minimè tamen denegarunt, diebus antecedentibus fœtum vivere anima rationali.

Itaque ſententia de animatione fœtus in ordine ad non miniſtrandum Abortivis Baptiſma, eſt omnino improbabilis, nec poteſt in hoc diſcurſu fundari, & multo minus, vt ſupponitur, & creditur communis exiſtimari. Et revera, ut *Diſput.1. à Section.2.* uſque *ad Section.9.* omni adhibita diligentia inuenire illam non potui apud Auctores; qui typis ſuas ſententias publicarunt; quare neque dici debet receptiſſima; cum apud nullum Auctorem inveniatur, niſi in ordine ad puniendum delictum Abortus, quod ſane eſt veriſſimum; at vero non ſequitur, quod anteà non poſſit cum fundamento dubitari, fœtum eſſe animatum, cum adſint ſententiæ probabiles, quas ego recenſui illa *Diſput.1. à Sectione 6.* uſque *ad vndecimam.*

Jmo non ſolum ex Thonlogis, ſed ex Canoniſtis nonnulli 6

admonent

admonent, quod confessarij, quoad forum Sacramenti, & vt in eo iudicent gravitatem talis peccati, non observant prædictam regulam quadraginta, vel nonaginta dierum, sicut faciunt etiam administrantes baptismum, ne animæ sine baptismo damnentur; ità *Menoch. de Arbitr. cas.* 357. *num.* 7. *& Thesauro Pedem. decis.* 12. *num.* 1. quia inquit *gravissimum est peccatum in foro conscientiæ animam sine baptismo perire, &c. Et Menochius num.* 5. dicit, *quod ratione Sacramenti baptismi habenda est major ratio animati fœtus, quam doceat illa regula in judicio forensi observata.*

SECTIO V.

Solvitur tertium Argumentum.

SVMMARIVM.

1 *Ex tempore quo regulariter lacerantur secundinæ, infertur quo tempore appareat perfecta formatio fœtus.*
2 *Apparitio perfectæ formationis, non potest esse regula ad baptizandum fœtum abortivum.*
3 *Perfecta formatio fœtus datur die quadragesima.*
4 *Non est, neque potest esse in Ecclesia catholica consuetudo expectandi perfectam formationem, ad effectum baptizandi fœtum abortivum.*

IMpugnant tertio argumento, meam propositionem & confirmantes eandem sententiam addunt, Romanam Ecclesiam non habere consuetudinem baptizandi fœtus Abortivos, nisi quando eorum corpuscula apparent perfecte formata.

Sed contrà primo: quia non obstante hoc additamento ab Ecclesiæ Romanæ consuetudine desumpto, non propterea fugiunt argumentum supra factum, ex doctrina D. Pauli, & Concilij Tridentini, sed solùm imponunt Ecclesiæ Romanæ hujusmodi consuetudinem, Si enim Sacramentum Baptismi est

à Deo

à Deo inſtitutum, ut tollatur macula peccati originalis iam contracti in ipſa conceptione, & hæc perfecta formatio non appareret niſi poſtquam infans fregit membranas Secundinas, & illis ſe ipſum expoliavit, ſequitur ex hac imaginata conſuetudine magnum abſurdum, quòd ſcilicet non niſi poſt nonum menſem inchoatum Infantes ſint baptizandi. Siquidem, ut teſtatur Hippocrates à Medicis communiter receptus *lib. de nat. puer. part. 26.* Secundinas tunc rumpit infans, quando iam adultus egreſſum ſibi parat ab uterò; quià nimirum tunc non ſatis alimenti percipit à matre per venam umbilicalem, & ideo membranas lacerat, ut egrediatur, & ſufficientem ab uberibus recipiat alimoniam: quod Hippocrates regulariter exiſtimat contingere inter nonum, & decimum menſem; ergo impoſſibile eſt, ut ante hoc tempus appareat formatio perfecta. Quod ſi non de illa perfecta formatione, quæ apparet poſt exutas, & depoſitas membranas ſe loqui aſſerant, ſed de alia formatione, quæ priùs latet, hæc profectò datur die quadrageſima, ut teſtantur Anatomici, pro quibus unum hic affero *Ioannem Fernelium lib. 7. de homin. proc. cap. 10.* qui ita loquitur. *Ità quidem ſæpè obſeruauimus die quadrageſima electum fœtum ſemidigiti, aut, ut ait Ariſtoteles, Formicæ maiuſculæ magnitudine verè ac prorſus conformatum, & cuius partes omnes excepto iecore albæ ac ſpermaticæ cernebantur caput par erat Auellanæ & maius, quam pro reliqui corporis ratione, oculi exerti, naſus, auriculæ, & omnia contecta cute tenuiſſima, alba quidem omnia, fibroſa, & ſeminis æmula, nullo ſanguinis, aut carnis rubore perfuſa, &c.*

Secundò, ſi die quadrageſima fœtus eſt homo, corpore & anima rationali compoſitus, vt patet, & omnes Doctores communiter admittunt, intrà ſecundinas datur quidem formatio diſcreta, & cum diſtinctione inter ſingula membra, ſed rudis, & imperfecta, nam membra non ſunt adhuc carne veſtita, ſed alba mucoſa, & fœminis æmula, ſequitur, quòd non tantùm ſuperflua ſit maior corpuſculi formatio, ſed quòd de conſuetudine Romanæ Eccleſiæ non ſit expectanda. Si enim hæc imperfecta, & rudis formatio ſatis eſt Iudici criminali, vt iuxtà vtriuſque Tribunalis leges procedat contrà illum, qui cauſavit hujuſmodi

Abortum,ad pœnas homicidij,& satis est Ecclesiæ Ministro,ut judicet juxtà Consuetudinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & S. Pœnitentiariæ,hoc peccatum esse verum homicidium,excommunicationi, irregularitati,& alijs pœnis obnoxium,tam à iure civili, quàm canonico inflictis, ut Sixtus Quintus dixit in sua *Constitut.87.in Bullar.*quæ incipit *Effrænatam,&c.*vbi §.1.enixis verbis declarat hoc peccatum esse graviſſimum,quia animabus recenter creatis affert æternam damnationem, cur non satis erit Ecclesiæ Ministro, ut collatione Baptismi saluet animam in ultimo & ineuitabili damnationis æternæ periculo constitutam?

Tertiò probo hujusmodi assertam consuetudinem in Eccle-
4 sia Romana neque esse de facto,neque de possibili: Cum enim Sancta Dei Ecclesia vivat de spiritu Christi,ideſt fide,charitate, doctrina Sacrarum literarum,& Sacramentis Christi ut *D.Paulus prima ad Corin.c.12.vers.*13.docet,*in uno spiritu* inquit, *omnes nos in unum corpus baptizati sumus,&c.*& Christus totum quidem hominem salvare venerit,corpus scilicet,& animam, animam quidem principaliter, & propter animam secundariò corpus, ideò *Lucæ cap.9. vers.*56. dicebat de principali sua intentione. *Filius hominis non venit animas perdere,sed salvare.*hinc est quod vera Dei Ecclesia,qualis est Ecclesia Romana, non potest non principaliter intendere salutem animæ,& secundariò corporis salutem.Itaque quando vita corporis,aut perdita est,aut in periculo extremo desperata,ad salutem solius animæ omni studio debet incumbere quod solet facere,ut videmus in cura & visitatione illorum infirmorum, qui paulatim tendunt ad interitum;nam Parochis ab Ecclesia præscribitur in Rituali Romano sub Rubric.*de Visitat & Cur. infirmor.*ut quousque spes est,ut infirmus convalescat,visitet frequenter,soletur pijs verbis, & in via salutis spiritualis eum dirigat,& etiam humanis auxilijs, si indigeat,vel de suo Parochus,vel de alieno, ex collectis eleemosynis succurrat,& ad Deum prò infirmo oret,ut mentis, & corporis sanitate gaudeat. Verùm si corporalis vitæ spes deficiat,mandat, ut saluti animæ dumtaxat intentus, ultima Sacramenta Ministret, & animæ fatiscenti usque ad ultimum spiri-

tum

tum Sacramentalibus quibusdam ad id ordinatis semper assistat.

Est igitur consuetudo Romanæ Ecclesiæ, neque alia esse potest, quàm corporis, & animæ salutem ità curare, ut si tandē Corporis vita desperetur, tunc solùm animæ saluti maxime intēdat ideo in Constitutione præc. pœnas Iuris Ciuilis, & Canonici, & excōmunicationem etiam addendo procurat, eos, qui fœtus animati abortum causare tentant hujusmodi pœnis comminatis à tam immani scelere perpetrando remouere. Quòd si, his non obstantibus, contingat per abortum excuti fœtum animatum ab utero matris, tunc quia corpusculi illius spes nulla est, ut supervivat, debet Ecclesia solum animæ saluti intendere, & non expectare maiorem corporis, & membrorum formationem, ut de spiritu Christi viuens, possit cum veritate dicere, quod non intendit animas hominum perdere, sed saluare.

Hac sola ratione permoti plures Episcopi cum D. Cypriano dixerunt in Concilio Provinciali, quod in baptizandis parvulis non erat expectanda dies octava, ut olim tempore circumcisionis. Ergo neque est, neque esse potest in Ecclesia ista asserta consuetudo non baptizandi fœtus animatos, nisi quando appareret esse perfecte formatos.

SECTIO VI.

Solvitur quartum argumentum

SVMMARIVM.

1 *Stilus Ecclesiæ est ut quocumque tempore abortivi animatio dubia sit baptizetur.*

2 *Ecclesia Romana admittit, & approbat conditionalem Baptismi collationem.*

3 *Vana est distinctio de hujusmodi baptismi collatione quod tunc solum liceat, quando præcessit baptismus absolute collatus.*

4 *Ecclesia solet ministrare sacramenta sub conditione non solum ex*

causa necessaria; sed etiam ex causa honesta.

5 *Fœtus quia membranis est involutus si dubium sit quod sit animatus baptizari debet sub conditione.*

6 *Ex eo quod Paulus V. mandauit monstrum baptizari sub conditione sequitur esse ritum Ecclesiæ ut baptizetur abortiuus de cuius vita dubitatur.*

7 *Stilus S. Rom. Ecclesiæ quisnam sit.*

8 *Iuxta Ecclesiæ stylum fœtus septem dierum baptizandus est.*

REplicant alij Iuniores contrà meam propositionem, quia est contà stylum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ; sed gratis, & nullo fundamento contradicunt, quod ità facile ostendo.

Et suppono tanquam certum, quod ex aduerso conceditur,
1 Abortiuos, qui diem quadragesimum attingunt, esse animatos, & ideo absolute, & non sub conditione baptizandos; sed Medici aliqui quos ego refero *Disput 1. sect. 4. numero primo* & nonnulli alij, qui sentiunt contrà me, fatentur pro majori caloris intensione seminis utriusque, & uteri activitate, animationem fœtus aliquando adeo anticipari, ut nonnunquam ante mensem fœtus fuerit animatus: Tunc sic argumentor: In hac sententia quæ supponitur ad hominem esse iuxtà Ecclesiæ stylum, potest cum fundamento dubitari, an hic, & nunc Abortus eiectus ab utero sit animatus, ante diem quadragesimum; quod si sit animatus certum est, & tanquam certum supponi debet quod sit in extremo vitæ periculo; quid tunc à Ministro, ut charitati satisfaciat, præstandum est? an vocabit Medicos; inquiret Anatomicos, ut dijudicent, an fœtus sit animatus an Philosophos, an vita tantùm vegetatiua, & embryonica vivat? sed periculum est in mora, cum vita si adsit, sit horaria: an absolute baptizabit? Sed obstat communis Theologorum doctrina, quæ docet, non licere, quando vita est dubia; ergo superest, ut baptizentur sub conditione. Hoc argumentum urget semper contra sententiam mihi contrariam quia nunquam contingit in casu practico diem quadragesimum

præcisè

præcisè,& certò esse notum,Ergo stylus Ecclesiæ est,ut Abortiui quocumque tempore nascantur, cum illorum animatio sit dubia, baptizentur. Probo autem directè propositionem meam esse stylo Ecclesiæ conformem.

I. Quia stylus Ecclesiæ est ministrare Sacramenta sub conditione, quando dubitatur de vita, aut de capacitate subiecti. Primum patet ex cap. 2. de Baptis. ibi enim Ecclesia præcipit, eos baptizandos esse sub conditione de quibus dubitatur, an antea fuerint baptizati, & consequenter an sint capaces, ut baptizentur. Secundùm probatur ex Rituali Romano sub Paulo V. edito anno 1614. in quo sub Rubrica *de Sacramento Extremæ Vnctionis* dicitur, quod si Parochus de infirmo in extremis posito dubitet,an vivat, adhuc unctionem prosequatur, sub conditione pronunciando formam. Deinde sub Rubr. *de Sacramento Baptismi,titulo de Baptizandis parvulis vers. nemo,&c.* dicitur,quod si infans adhuc in utero matris clausus,imminente mortis periculo non caput, sed aliud membrum emiserit, in illo baptizetur, & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus, non nisi, quia si validum fuit Baptisma collatum, verbi gratia, in digito, vel in pede, subiectum est incapax, ut iterùm baptizetur, *& vers. Infantem, &c.* Idem, & propter eandem rationem statuitur de Jnfantibus expositis,si nimirum non constet esse baptizatos, baptizandos esse sub conditione. 2

Neque audiri sine refutatione potest, illa distinctio nuper excogitata;quod Ecclesia admittit,quidem aliquando Baptismi conditionalis collationem,non tamen in omni casu, sed solùm quando præcessit ejusdem collatio absoluta, ita tamen, ut postea de Baptismi valore dubitetur, non autem quandò nulla præcessit collatio. Nam hæc distinctio sicuti gratis & sine fundamento excogitatur, ità gratis negatur; & facilè redarguitur. Nam si Jnfans legitimo tempore nascatur, sed ita, ut vix natus incipiat languere ad mortem, & statim dubitari possit,an vivat. Quis adeò inhumanus, & impius, qui non baptizet? Etquis adeò temerarius, ut dubitans de vita absolute, & non potius conditionaliter baptizet? Vana est igitur 3

distinctio,& ratio est quia in prædictis casibus à Jure, & Rubrica descriptis datur baptisma sub conditione , non quia præcesserit aliqua baptismi collatio , sed quia posito dubio de vero Baptismi valore non debet remanere anima illa , sine necessario salutis remedio , si primus Baptismus non fuit validus quæ quidem ratio militat in Abortivis, & rationis fundamentum est quia omnia Sacramenta,vt jam vidimus, solet Ecclesia Ministrare sub conditione,non solum ex causa necessaria,sed etiam honesta,vt notavit *Suar.tom.* 3. *in* 3. *part. disp.*13. *sect.*13.*vers.dico* 3.*&c.*independenter ab eo,quod antea fuerint, vel non fuerint administrata. 4

Præterea in eadem Rubrica. Ritualis *Vers. monstrum* ut ego retuli *Disp.*1.*sect.*13.*n.*10.proponitur casus de monstro recenter nato , & non antea baptizato, sed in hoc casu mandat Ecclesia , quod si dubium fuerit , an monstrum sit homo , vel brutum,baptizetur sub conditione etiam si antea non præcesserit aliqua Baptismi collatio.

Deinde si Infans egressus partim humanam,& partim brutalem speciem præseferat, & ideo sub conditione sit baptizandus , cur non dicemus idem de humano fœtu, qui præsertim primis diebus est omnino membranis involutus , & certè judicari non potest,an humana,an Embryonica forma sit vivus: id est an solum habeat prima vitæ filamenta , an vero cum illis adsit etiam anima rationalis, & dubium est utrimque probabile , cum neutra ex sententiis oppositis sit evidens , & pro utraque adsint rationes, & Patroni, certe non apparet disparitas : nam statim ac fœtus menstruum humorem attrahit pro alimento , & ex eo percipit incrementum,infert Aristoteles *lib. de spiritu cap.* 3. in eo esse vitam ; sed an sit vita à forma Embryonica , an vero ab anima rationali dubitari potest ; ergo est paritas.Atque ideo mea propositio est conformis.Ecclesiæ stylo, 5

II. Probo hoc idem directe , quia cum ritus nihil aliud sit, vt Festus,ait quam mos in sacrarum rerum administratione comprobatus nemo rationabiliter potest nouitatem eius mihi opponere,

opponere, quia dicam Baptiſmum eſſe conditione miniſtran-
dum Abortivis, quando non alium morem baptizandi adhi- 6
beri volo, præter illum, quem communiter ſeruat Eccleſia Catholica à Romano Rituali præſcriptum. Et quis, rogo, vnquam dicet, Paulum Quintum in ſuo Rituali, quia hujuſmodi monſtrum de quo dubitatur, an ſit homo, ſub conditione baptizari præcepit, ex eo quòd antea antiqui Rituales non ordinabant, mutaſſe & innovare voluiſſe ritum Baptiſmi, dum ipſe, ut in præcitata Conſtitutione proteſtatur, totus eſt, vt receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, & ab ea probatum vſum antiquitatis, inviolatè obſervari conſtituat. Ergo quia Sanctiſſimus iſte, & vigilantiſſimus Pontifex dixit, monſtrum in quo dubia eſt hominis vita iuxtà antiquum, & approbatum in Eccleſia Catholica ritum eſſe baptizandum, ea nimirùm ratione motus, quia ſi fortè anima rationali vivat, indiget remedio Chriſti, vt ſalvetur: eodem modo liceat mihi dixiſſe, Abortivos de quibus dubitatur, an vivant, eſſe ſub conditione baptizandos, abſque eo quod novum ritum introducere videar cum uſitatum tantummodo, & antiquum in Eccleſia velim obſervari.

III. Quia ille ſtylus eſt Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, qui concordat cum Apoſtolica traditione, alioquin non ſtylus, ſed abuſus eſſet in Eccleſia, quæ, vt vidimus, omnes infantes, & parvulos ſtatim morituros omni celeritate baptizat, vt Chriſti Salvatoris remedio tempeſtivè liberet à communi culpa, quam ab illis contrahi, antequam membranas abrumpant certiſſimum eſt, & certiſſimum etiam eſt vivere vita rationali, antequam illas lacerare poſſint.

IV. Quia ille eſt Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſtylus quem Theologi paſſim colligunt, ex doctrina, quam Eccleſia tradit 7
de adminiſtratione Sacramentorum, ſed Infantem ſecundinis incluſum, & ita immature natum, vt periculum ſit ne ſubito moriatur eſſe ſub conditione baptizandum, docent *Vaſq Ochogavia Præpoſitus, Granado, Hurtadus, Cabrera, Moſcoſus, Layman, Torre Blanca, Caſtro Palaus, & Cardinalis de Lugo quos citat*, & ſequitur *Diana part.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 4. *&* 112. *& part.* 10. *tract.* 16. *reſ.* 18.

V. Probo

V. Probo prædictam propoſitionem, non ſolùm ſtylo Eccleſiæ eſſe conformem, ſed contineri inter ritus ab Eccleſia jam præſcriptos : Nam in Rituali Romano ſub *Rubr. de baptizandis parvulis verſ. ſi mater. &c.* nulla adhibita diſtinctione, an fœtus fuerit in vtero geſtatus quadraginta, vel pluribus, aut pauciori-
bus diebus, nulla diſtinctione de fœtu perfecte formato, vel informi, dicitur indiſtincte : *Si mater prægnans mortua fuerit, fœ-*
8 *tus quam primum cautè extrahatur, & ſi vivus eſt baptizetur.* Ponamus igitur, argumentandi gratia, hanc matrem mortuam geſtare in utero fœtum, verbi gratia, ſeptem dierum ex hoc Eccleſiæ ritu fœtus iſte ſeptem dierum, ſtatim ab utero extrahendus eſt, & baptizandus, ſed ſuppoſita ſententia probabili, prudenti iudicio exiſtimandus eſt vivus, niſi per accidens, & ex cauſa alicuius compreſſionis, aut contuſionis evidenter appareat mortuus. Ergo iuxta Eccleſiæ ritum fœtus ſeptem dierum baptizandus eſt.

Nulla autem quoad hoc aſſignari poteſt differentia inter hunc fœtum ità ab arte extractum, & inter illum de quo procedit propoſitio, ab utero antè tempus effuſum, cum uterque ſit Abortivus, ideſt, ante tempus legitimum ab vtero ſeparatus.

Quod autem poſſit ſecto utero matris extrahi fœtus ſeptem dierum teſtatur Hipocrates, qui *lib. de nativit. puer.* fatetur ſe propriis oculis ſpectaſſe mulierem violento ſaltu, ex altiore loco facto, fœtum ſex dierum ab utero excuſſiſſe, qui in terram cadens inſonuit, & ab eo prima membrana, quaſi ovi crudi putamine abſtracta, vitæ ſigna, ideſt umbilicum, venas, & reſpirationem in eodem, refert, comprehendiſſe, ergò talis fœtus ſenſu preceptibilis eſt, atque ideo extrahi poteſt.

Quare tantùm abeſt, ut mea propoſitio ſit contra ritus jam ab Eccleſia receptos, quod imo inter illos contineatur.

SECTIO

SECTIO VII.

Solvitur quintum argumentum.

SVMMARIVM.

1 *Ovum conceptionis humanæ describitur, quoad figuram, & tactum.*
2 *Molæ Ethymologia; & definitio.*
3 *Molæ figura, & causæ.*
4 *Mulierem non parere ova subventanea, sicut Gallina sentit Galenus.*
5 *Sed contradicit experientia multorum recentiorum.*
6 *Mola non est figuræ ovalis: quia deficiente calore non potest ita formari.*
7 *Molæ color non subalbus sed interdum viridis vel varius ex viridi & albo, vel etiam subniger.*
8 *Adfertur regula ad discernendam Molam ab ovo; et n.* 10.
9 *Ovum conceptionis continet subjectum morali certitudine & prudentii iudicio, baptizandum.*
10 *Molam dignoscendi ab Ovo, regula est evidens.*
11 *Etiam rudiores mulieres distinguere possunt verum fœtum à Mola.*

NEc difficultatem facit, quod quinto loco objicitur; nimirum non facilè discerni posse, primis præsertim diebus, verum fœtum à mola, nam præter ea quæ *diss.* 1. *sect.* 1. dixi de ovo conceptionis humanæ in quo latet humanus fœtus jam coagulatus adverto cum *Galeno l. de uteri dissect. c.* 1. *quod humor in vtraque fœtus membrana non paucus continetur: alter ab altero, tam calore, quam copia diversus. Flavus enim in intestinali, albior in Amnio, atque is etiam copiosior cernitur, tunica siquidem hæc,* 1
altera est major, quippè quæ totum fœtum induat, &c. Galeno subscribunt recentiores Anatomici, & præsertim *Vesalius de corpor.*

hum.fabr.lib.5 cap.17.& confirmant obstetrices expertæ,quæ si ovale hoc involucrum, seù chorion, digito præmant, dicunt quod cedit,ad contactum,inclinatur,& remoto digito, statim ad orbicularem suam formam replendam assurgit. At vero intima membrana Amnion,licet candida sit omnino,& prorsus alba, exterior tamen Allanthoides, intestini modo externa superficie prorsus membranea exacte lubrica, & levis existit, & ideo loco citato ait, *quasi intestinalem dixeris.* Hæc autem intestinalis,licet venarum ramificatione,seù integumento à Galeno ibidem nomine Chorion dicto, sit intexta:habet nihilominus in quadam sui parte carneam quandam substantiam Lieni persimilem,in qua uteri venæ sese aperientes,illi adgenerantur: figuræ est omnino orbicularis.*qualis,* inquit Vesalius *esset oblongior ceræ globus, si leuiter incauata manus volæ hæreret, & firmaretur.*

Mola vero, à Mola lapidea sic dicta, propter duritiem quam habet,*Galenus lib.14.de vsu part.cap.7.*ait.*Est caro quædam otiosa,*
2 *& informis,&c.& lib.14. de Method.medendi. Est caro informis, &c.Plinius lib.7. cap.15.est caro informis, & inanima ferri ictum,& aciem respuens,&c.Auicenna lib.3.Canon.fen.tract.2. cap.18. Est frustum carnis cuius est forma quædam, cuius species non comprehenduntur,&c.& quandoque sunt superfluitates,quæ egrediuntur cum sanguine plurimo,&c.& Paul.Æginet.lib.3.cap.69.Mola induratus est humor in utero,&c.Christoph.à Vega lib.3.de arte medendi sect. 10.c.14.est obdurata,& informis caro,&c.*

Si autem ad eiusmodi Molæ superficiem respiciamus irregularis esse figuræ,& omninò informis inveniemus,non minùs si vna tantùm sit caro, quam si plura carnis frustula,aut grumi
3 sanguinis appareant ab effusione. Ad causas vero Molæ si oculos conuertamus. *Hippocrates lib.1. de morb.mulier.* dicit, *Molæ verò conceptus, hæc causa est,cum plurima menstrua insunt, paucum semen,morbosumque corripiunt, conceptusque verus non fit,&c. & lib.3.cum intus menstrua multa coacta, non multam genituram, morbosamque conuoluunt,&c.* subscribit *Aristoteles lib.4.de generat.animal.cap.7.* ubi afferens causam Molæ dicit:*quod cum ex humore concocto difficili, conceptus consistit, tunc gignitur quòd Mola*

vocatur,

vocatur,&c.& paulo ante dixerat,quod *Mola adeò ol dureſcit,ut vix ferro transfigi poſsit,&c.& quòd generatur non propter calorem, ſed propter caloris debilitatem; natura enim de vita certare videtur, nec poſſe perficere,finemque apponere generationi,& lib.*10.*de Hiſtor. Animal.cap.*9.*adeò enim,*inquit,*durum id evadit,ut diſcindi ſecuri nequeat.* Non longe abeſt *Galenus dum lib.*14. *de uſu part.cap.*7. 4
reſpondens quæſito, quare mulier, quæ ut *Diſſ ut.*1. *Sect.*1. *num.*11. dixi, & mox repetam fœtum ſuum concipit in Ovo ſine Viro, ova non pariat, ſicut Gallina parit ſine maſculo, & reſpondet ex communi Anatomicorum auctoritate, quia *animalia greſsibilia*(inter quæ procul dubio mulier exiſtit)*ſunt volucribus longè humidiora,corpus fœmininum habent imbecille,quod eo motus progredi non poteſt, ut formam artificioſam fœtui imprimat, &c. & Fernel. lib.*7. *cap.*12. Adſcribens debilitati caloris: Molæ procreationem, aſſerit, quod in illo uteri ſinu, in quo ſemen virile in debita quantitate recipitur, fœtus naſcitur. At vero in quo minùs neceſſaria portione, Mola generatur.

Sed contra hanc hypoteſin, quod mulier ſine viro, oua ſubuentanea non gignat, affert experientiam doctus Theodorus Kerkringius in opere inſcripto Anthropogenia c.1.quam ex anathomica ſectione ſe deprehendiſſe teſtatur his verbis. 5
Ex ouo producitur homo. Oua autem reperiuntur in teſticulis fœminarum, non tantum earum quæ per coniugij uſum fœcundæ ſunt, ſed etiam Virginum;non ſecus ac ſit in gallinis:ſunt autem oua hæc piſi viridis magnitudine.Tam coniugatæ autem quam Virgines hæc Oua ſæpiſsimè excernunt inſenſibiliter quidem,quia non aduertunt; ſed quod mihi ex relatione quarumdam conſtat,ſentiunt dum refle-ctunt.Et hæc Excretio potiſsimum accidit, inſtante purgatione menſtruæ&c. hæc ille. Et ante ipſum eamdem hiſtoriam de ovis mulierum tradidit Fallopius,& poſt ipſum in diurnis relationibus anni 1672. confirmavit *Academia Pariſienſis* citatis aliis Authoribus. *&* L. *Chriſtianus Fridericus: in Opus* cui titulus, *ovi de ovo* §. *quadrageſimo-ſecundo & quadrageſimo-tertio* nec non *Regnerus Graaf. in epiſtol. de partibus genitalibus mulierum.* Supradictam doctrinam, tam quoad Molæ deſcriptionem

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA C. - N. - A.

quam quoad causas illius productiuas sequuntur alij Medici communiter; vt *Harmon. Gynecior. part 1r. cap. 7. Nicol. Rocheus de morb. mulier. cap. 7.* vbi cum Plinio sentit, Molam gigni posse etiam si mulier non conceperit ex viro. *Ludouic. Bonaciol. mulebr. lib. 1. c. 5. Andr. Christ. Enchir. Medic. lib. 5. cap. 29. Vega loc. cit. & alij Recentiores.*

Cum igitur ex defectu masculini caloris Mola generetur, sive vt loquitur Aristoteles, eius duritiei, quàm habet causa sit cruditas: duo exindè necessariò sequuntur. Primùm est, quòd Mola non possit esse figuræ ovalis, siuè orbicularis ex eo quòd, 6 vis formatiua calore necessario destituta, nequeat, vt Galenus ait, formam artificiosam fœtui imprimere, & finem apponere generationi, ut dicit Aristoteles, sed necessariò huiusmodi mola, si in unum, vel plura frusta concrescat, informis sit, scabra, & superficiei omnino irregularis; si vero non concrescat in unam Massam diuersæ fiant carunculæ, ut Hippocrates dicit, & grumi sanguinis.

Alterum, quod infertur est, quod sit diuersi caloris non subalbi, seù cineritij adinstar intestinorum, quorum calorem 7 veræ conceptionis ouum imitatur, vt iam dixi cum Andrea Vesalio, sed propter inconcoctam menstruorum materiam ex causa insufficientis Elixationis, ut verbis utar Aristotelis, coloris sanguinei, aliquando subnigris, interdum etiã viridibus, & albis maculis tincta; id quod mihi etiã peritæ mulieres affirmãt. Hæc certè signa sufficiunt, vt Molas à veris fœtibus distinguamus.

Cùm itaque Mola, quæ propter cruditatem, seu inconcoctionem, & defectum caloris concrevit, sit inflexibilis ad tactum, & prorsus obdurata, informis, scabra sanguinea, & sub nigris 8 ductibus, & vibicibus, aut etiam versicoloribus variegata; è contrà vero tota fœtus compago ad tactum mollis, ad aspectum leuis, intestinorum colori persimilis, & albi, vt cum Platerio adnotaui *Disp. 1. sect. 10. num. 5.* & figuræ sit omnino orbicularis, & ovalis, inter vtramque discrimen est valdè sensibile, atque ideo facile discerni, dijudicarique subito possunt.

Siue igitur primis diebus, siue aliis insequentibus intrà

trigesimum

trigesimum, aut etiam quadragesimum diem discernendum sit, quicquid immaturè ab utero effusum est, sive grani hordeacei, aut minoris phaseli; sive maioris formicæ; aut nucis avellanæ, sive apis, aut grandioris muscæ, sive etiam minimi digiti magnitudinem exæquet, hujusmodi enim metaphoris Auctores recentem fœtum metiuntur, hanc esse regulam statuo; vt quando internus homunculus, ob sui teneritudinem membranas nequivit abrumpere, & se ipsum prodere, si involucrum illud effusum, appareat membrana circumdatum, quæ sit subalbi, seu cineritij caloris, similis intestinis, figuræ ovalis, & quæ digito tacta molleſcat, & cedat, quia peritorum obſervationes, & documenta, veri fœtus notas esse conteſtantur, tunc prudenti iudicio pronunciandum est fœtum esse, non Molam. Et 9 quia hoc prudens iudicium morali cum certitudine coniunctum est, de subiecto sensibili, & digito demonstrabili, atque ideò de subiecto Sacramenti Baptismi capaci, iam constat, quia ex huiusmodi signis cognoscimus fœtum esse talem, vt in eo prima rudimenta vitæ intus existant.

Si verò illud, quòd ex vtero mulieris abortientis egressum 10 est, sit caro informis, nigris venis, & sanguineis intexta, ad aspectum scabra, ad tactum dura, vel etiam vario colore infecta, procul dubio Molam esse, & frustraneam genituram, non fœtum iudicabimus, & nullatenus baptizari oportet: & multò magis, si ex utero sanguinis grumi, seù carunculæ exierint, Molas esse non fœtus humanos est asserendum. nam etiam hujusmodi frustula carnis, & sanguinis ad Molæ substantiam pertinere, indicauit *Hippocrates loc. cit.* & Molæ speciem esse, cum Avicenna scripsit *Andr. Christ. cap.* 29.

Ad argumentum igitur dico, quod si supradictam regulam 11 explicent Parochi, eamque doceant mulieres etiam montanas, quas de materia, & forma Baptismi, alioquin oportet esse instructas, licet de istis sine dubio sint magis incapaces, cum sint à natura remotiora, illa verò signa sint omnino naturalia, & sensibilia; sequitur non esse valdè difficilè, atque ideo nec in iure impossibile, Molas à fœtibus dijudicare.

Quare ad Excellentissimum Dominum meum dico monen-

das esse omnes mulieres nuptas,& innuptas, imo & quascunque personas, quæ in casu necessitatis priuatim Baptismum tenentur administrare, & Parochos posse uno verbo absque Medicorum consultatione prædicta signa,& notas ad utrumque fœtum, inquam, & molam, nec non ad alia excrementa dignoscenda inculcare, & ut veros fœtus sub conditione baptizent,admonere. Illud vero quod additur de sanguineis excrementis, nescio an secundum conscientiam ab aliquibus contra me obiiciatur. Si quidem obstetrices, quantumvis rudes,& imperitæ, nisi cæcutire voluerint, optime discernunt menstruum humorem ab humanis fœtibus.

SECTIO VIII.

Solvitur sextum Argumentum.

SVMMARIVM.

1 *Animæ viales vegetativa & sensitiva in sententiâ S. Thomæ corrumpuntur quàm citissimè.*

2 *Et probatur experientia in præsenti allata à S.Doctore, vermiculorum,& ranarum.*

3 *Idem sentit Aristoteles dum dicit quod cum cadit semen viri in matricem &c.Creatur anima iussu Dei.*

NEc possum vllo pacto dissimulare,quòd exprobretur mihi, meæ propositionis fundamentum esse non solùm contrà doctrinam S. Thomæ, sed etiam Aristotelis, quatenùs hic *lib.2.de generat. Anim. c.3.* dicit, priùs tempore præcedere in humano fœtu animam vegetativam, huic deinde succedere sensitivam, cui post multum temporis advenit anima rationalis, forma hominis constitutiva. Nam loquens de humanis fœtibus, seu conceptibus in uteris mulierum existentibus dicit. *Ergò animatum in ijs habere vegetalem palam est, sensualem etiam, qua animal est tempore præcedenti recipi, & rationalem,*

quæ

qua homo certum est: non enim simul, & animal fit, & homo &c. Nam facile ostenditur cum hac doctrina, quæ est de embryone, eamque S. Thomas amplectitur pluribus in locis, & præsertim *prima parte quæst.* 118. *art.* 2. *ad secundum*, meam propositionem non admodum repugnare. Quod ut ostendam circumscribo hic, interim Philoponi gravissimi interpretis Aristotelis explicationem & aliorum quos adduxi *disp.* 1. *sect.* 3. *n.* 12. qui omnes sentiunt, Aristotelem esse intelligendum de operationibus, id est de vita in actu secundo; vt nimirum primo appareant in fœtu operationes animæ vegetativæ, & deinde sensitivæ, & demum animæ rationalis, & admissa tanquam probabili S. Thomæ sententia de embryonismo: dico cum eodem Doctore, animas illas vitales, vegetativam scilicet, & sensitivam, vtpote generatas non propter se in humano fœtu, sed vt sint dispositiones ad rationalem, interire quàm citissime; nam in cit. loc. non alia ratione probat 1
hujusmodi animarum vialium successivam generationem quàm experientia quorundam animalium, quæ ex putri generantur, dicens, *& hoc ad sensum apparet in animalibus ex putrefactione generatis.* At nihil in hoc genere sensibilius, & omnibus magis notum, quàm æstivo tempore super carnes, muscarum contactu, horario temporis spatio vermiculos generari: item ranas guttis pluvialibus vix in terræ pulverem 2
cadentibus, mira celeritate ad multas myriades nasci, & subito gregatim assurgere, & exilire, in quorum animalium generatione, juxta S. Doctoris sententiam, antequam ultima forma, nempe anima sensitiva, in tali specie vermiculorum, vel ranarum educatur de potentia materiæ, debet præcedere primum prævia accidentalis dispositio ad animam vegetativam de potentia materiæ educendam. Secundo ipsius animæ generatio. Tertio prævia dispositio ad animam sensitivam vermis, vel ranæ, & tandem ipsius animæ sensitivæ generatio & tamen videmus quanta festinatione exurgant illico, & exiliant in solo hujusmodi animalcula, statim ac pluviales guttæ terrenum pulverem madefaciunt, ut pene videatur idem esse, ex aqua lutum fieri, & ranas nasci.

Quod

Quod autem hoc voluerit S.Doctor,dum exemplum adduxit animalium, quæ ex putri generantur,patet ex ijs, quæ scripsit *lib.2.c.89.contrà gen.vers.nec est inconueniens,&c.*vbi respondens obiectioni contrà se factæ,de tam modica duratione duarum animarum in Embryone, ait, *nec est inconueniens si aliquid intermedium generatur, & statim post modùm interrumpitur,quia intermedia non habent speciem completam, sed sunt, ut via ad speciem, & ideò non generantur, ut permaneant, sed ut per eas ad vltimum generatum perueniatur,&c.*& post pauca ostendens quòd de hujusmodi duabus animabus loquebatur ait : *Anima igitur vegetabilis quæ primò inest,cum Embryo viuit vita plantæ, corrumpitur,& succedit anima perfectior, quæ est nutritiva, & sensitiua simul,& tunc Embryo vivit vita animalis,hac autem corrupta succedit anima rationalis, &c.* Constat igitur S. Thomæ sententiam esse,quòd animæ viales,quâm citissimè,& ut ipse loquitur,*statim* intereant.Nec longe ab hac subita Embryonis corruptione abest Aristoteles quippe qui *lib.2.de caus.proprietat. element.* & planetarum relatus à S.Thoma *opusc.28. artic.5.*dicit, quod *cum cadit semen viri in matricem mulieris decoquitur in ea decoctione forti,& fit frustum carnis,& creatur in anima iussu Dei,&c.*

3 Hic liber Aristotelis hodie non inuenitur inter eius opera, quæ recenset Possevinus *in Bibliotheca lib.14. cap.21.* & fortasse S.Thomas hæc verba transcripsit,ex quibusdam libris Aristotelis, quos ipse nondum in latinum conuersos vidisse testatur *opusc.16. sect.1.* Vtitur hac auctoritate Aristotelis S. Thomas in allegato *opusc.28.*contra Platonem,qui dicebat animas rationales præexistere in quibusdam stellis comparibus, & ex illis in corpora humana descendere.

Cùm igitur ex Aristotelis mente sit, quòd statim ac semen maris in matricem cadens decoctum est,sive ut Medici loquuntur fermentatũ,virtute caloris semini fœmineo permixtum,fiat frustum carnis,& in eo sufficienter dispositò ad humanam formam recipiendam,hæc ibi à Deo creetur,plane sequitur,quòd tam ex mente Aristotelis,quam S.Thomæ sit,quòd in breuissimo tempore fiat Embryo,& formetur humanus conceptus,de quo probabiliter dubitari potest, quòd ab Anima rationali sit

informatus,

informatus, Quare nec in sententia horum defendi potest esse expectandum tempus quadraginta dierum, sed statim ac ab utero per Abortum excutitur, & apparet esse humanum conceptum, in quo vt vidimus sunt prima vitæ lineamenta esse sub conditione baptizandum.

SECTIO IX.

Solvitur septimum Argumentum.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia catholica non recusat innouare quando exigit ita vtilitas, aut necessitas fidelium.*

2 *Ideo quorumdam hæreticorum Baptisma iterandum esse decrevit anno* 325.

3 *Duas esse in Christo voluntates definivit anno* 649.

4 *Animas sanctorum separatas à corpore, si purgari non indigeant statim deum videre intuitivè declaravit anno* 1336.

5 *Iustificationem hominis fieri per gratiæ inhærentis infusionem concilium Tridentinum declaravit anno* 1546.

6 *Communionem sub utraque specie laicis interdicit anno* 1567.

7 *Confessario absenti per litteras confiteri, & ab eo absolvi, quæ erat olim sententia probabilis damnavit Clemens VIII. anno* 1602.

8 *Disputabile olim erat an monstrum esset baptizandum nunc Rituale Romanum ab anno* 1614. *sub conditione si sit homo statuit esse baptizandum.*

MInus obstat, quod septimo loco opponitur, præsertim, quia Ecclesia ipsa in aliis similibus casibus existimavit non esse attendendum, quando alioquin gloria Dei, & animarum salus pro quibus fundata est ipsa Ecclesia, & instituta sunt omnia Sacramenta, postulent esse aliquid denuò statuẽdũ. 1

Nam licèt *nihil esse innouandum in Ecclesia* dixerit olim S.

Stephanus primus Papa, *sed quòd traditum est seruandum*, vt refert *S. Cyprianus Epist. 74.* & alioquin supra probauerim in solutione ad primum, Baptisma conferendum Abortiuis non esse novum in Ecclesia, sed à principio Ecclesiæ introductum, & à SS. Patribus contrà Pelagium communiter assertum, tamen, ut vis huius argumenti appareat, quàm sit inefficax & nullius ponderis, præter ea quæ *Disput. 1. sect. 14.* dixi addo nunc aliquos ex pluribus casibus, in quibus patet Ecclesiam vtilitate fidelium, vel necessitate suadente, nunquam hujusmodi argumentum attendisse, tam in ijs, quæ de fide credenda sunt, quàm in ijs, quæ opere sunt adimplenda.

Et in primis anno 326. S. Siluester Papa definivit hæreticos Paulinistas, & Cataphryges redeuntes ad Ecclesiam esse baptizandos, ex eo quod in eorum baptismo vera forma non seruabatur, & tamen erant iam anni trecenti, & amplius, quod hujusmodi decretum de Baptizandis Hæreticis nondum fuerat promulgatum.

II. Martinus Primus in Concilio Lateranensi de anno 649. & Agato Papa in sexta, & iterùm in septima Synodo generali, duas in Christo esse voluntates definiuit, & tamen per annos elapsos sexcentos, nunquam tale decretum fuerat in Ecclesia Dei propositum.

III. Benedictus duodecimus anno 1336. contrà plures Theologos animas Sanctorum post separationem à corpore, si
4 purgatione non indigeant, statim Deum intuitiue videre declarauit, & tamen in Ecclesia per annos 336. supra mille, nunquam fuerat ità definitum.

IV. Anno 1547. *Concilium Tridentinum Sect. 6. de Iustificat. c. 7.* dixit contra hæreticos, iustificationem hominis fieri per infu-
5 sionem & veram inhærentiam Diuinæ gratiæ in Anima, quamvis iam essent elapsi anni 547. post mille, ante quos tale decretum non fuerat auditum in Ecclesia Dei.

V. Licet à principio Laici Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, sub utraque specie reciperent tamen Concilium Constantiense sessio. 13. anno 1414. & deinde quamvis Rex Galliarum, & Imperator contrà instarent,

& Concilium Tridentinum anno 1562 *sess.* 21. *cap.* 2. decreverunt ut tantum sub specie panis communicarent, & pro lege voluerunt observari, ut sub specie vini imposterum non communicarent laici quamvis per annos 1418. jam elapsos nunquam fuerat illis interdicta communio sub utraque specie. 6

Deinde disputabant Theologi anno 1602. An liceret per literas confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem consequi? & probabilem olim fuisse partem affirmativam docet Suar. *tom.* 4. *in* 3. *p. disput.* 19. *sect.* 3. *n.* 1. Nihilominus Clemens VIII. eodem anno sub die 20. Junij, non obstante quod posset dici iam sunt elapsi ab institutione Sacramenti Confessionis anni plures, quam mille sexcenti, & talis propositio nunquam fuit prohibita illam damnavit. Videatur Dian. *part.* 3. *tractat.* 3. *resolut.* 7. 7

Disputabile Olim erat ante annum 1614. quando post Henr. Gandau. & Sotum scribebat P. Comitolus anno 1609. an monstrum natum ex viro, & muliere cunctis humanis membris instructum, præter caput esset baptizandum utrinque erant rationes dubitabiles; & pro negatiua erat caput ferinum, in quo residunt præcipua animæ rationalis organa; & pro parte affirmativa erat humanum pectus, in quo cor est primum, quod vivit. At vero Paulus V. in suo Rituali anno 1614. item dirimens, mandat sub conditione baptizari. Item si mater prægnans mortua fuerit fœtum cautè extrahi, & baptizari: non obstante quod aliqui dicere potuissent; non esse innovandum, cum iam sine huiusmodi ritu Ecclesia stetisset per annos 1614.

Ergo similiter non dedecet baptisma Abortivis sub conditione, quando homunculus est dubius administrari, quia his novissimis temporibus propter accuratas observationes Anatomicorum, & Philosophorum, atque Medicorum sententias prudenter de vita illorum dubitari potest, quia ita vtilitas, & necessitas postulat ne innumeræ fere animæ damnentur. Vide infra Disp. 4. sect. 11. n. 9. alios casus. 8

SECTIO X.

Solvitur octavum argumentum.

SVMMARIVM.

1 *Argumentum Thelogicum explicatur.*
2 *Propositio de baptizandis fœtibus habet majorem probabilitatem quam multæ aliæ, quæ apud Authores circumferuntur tanquam probabiles.*
3 *Ponitur argumentum in forma in quo infertur Propositio tanquam conclusio, ex majore de fide & minore probabili.*
4 *Prima & secunda pars majoris est certa de fide.*
5 *Minorem esse intrinsece, & extrinsece probabilem ostenditur.*

QVòd vero hæc mea propositio non sit inter probabiles sententias recensenda, gratis dicitur, & sine aliquo rationis fundamento, quia cum ex duplici capite pendeat propositionis alicujus probabilitas, sive ab auctoritate, & dicitur locus ab extrinseco, sive à ratione, & dicitur ab intrinseco, nihil illi deest, quominus ex utroque habeat, quidquid requiritur: quod ut ostendam, liceat mihi aliquantulum cum
1 Theologis dialecticare. Si quidem omnes Theologi conveniunt illud esse argumentum Theologicum, in quo altera præmissarum est de Fide, & altera lumine naturali evidenter nota: & in hoc debemus omnes convenire, ut oportunè advertit *Cardinalis de Lugo de Fide Disput. 20. num. 78. & 86. Coninch. & Castro Palao*, & benè explicat *Suar. de Fide disp. 19. sect. 2. n. 14.* est enim argumentum Theologicum illud in quo infertur conclusio quæ non est adeo certa, sicuti est propositio de fide, cui tota ratio assentiendi est divinum testimonium; sed conclusio hujusmodi est certa ea certitudine, quæ post certitudinẽ Fidei, est immediatè major omni alia certitudine, & talis est sine dubio cõclusio, quæ infertur ex vna de Fi-

de

de & altera de lumine naturali nota, propter illud Axioma, quod concluſio ſequitur debiliorem partem; & ratio eſt, quia totum formale motivum aſſentiendi tali concluſioni, non eſt ſolum Divinum teſtimonium, ſed etiam naturalis evidentia, medium certius omni alia certitudine præter Divinum teſtimonium. Itaque non poteſt fortaſſe dici quod mea Propoſitio in hoc ſenſu ſit Theologica, cum minor, ex qua infertur, non ſit forſitan niſi probabilis. Quod ſi aliquando eſſet evidenter probabilis, ut ſæpè contingit, quòd propoſitio, quæ hodie eſt tantum probabilis, cras evadat evidenter probabilis; ſi nimirum, vel plerique, vel omnes, illam exiſtiment veram, ac proinde eius modalis fiat evidens, iam non dubito, quin concluſio talis argumenti theologici futura ſit in omni rigore theologica, tunc enim huic argumento conveniret definitio argumenti theologici, & illi propoſitioni definitio propoſitionis evidenter probabilis. Videatur *de Lugo cit. n.* 86.

Igitur negari non poteſt, quod prædicta Concluſio ex eo, quod inferatur ex una præmiſſa de fide, & altera probabili, ſi non habet certitudinem theologicam in illo rigore acceptã, & immediatè poſitam infrà certitudinem Fidei, non habeat ſaltem certitudinem immediatè poſitam, infrà theologicam cer- 2
titudinem; ac proinde maiorem, quam ſit certitudo illarum concluſionum, quæ quotidiè inferuntur, ex vtraque præmiſſa probabili, quales ſunt plures concluſiones Theologiæ moralis, quæ paſſim occurrunt. Si ergo his non denegatur probabilitas per locum ab intrinſeco, neque meæ propoſitioni eſt deneganda quæ ex maiori de Fide, & ex minori probabili infertur, ut patet in ſequenti ſyllogiſmo.

Omnes Infantes ab utero matris egreſſi, ſi dubium ſit, quod vivant anima rationali, baptizandi ſunt ſub conditione; ſed Abortiui quocumque tempore veniant ad lucem, & in illis ſunt 3
prima humanæ vitæ lineamenta, ſunt Infantes recentes ab utero matris egreſſi, & dubium eſt, quod vivant anima rationali, ergo Abortiui quocumque tempore veniant ad lucem, & in illis ſunt prima lineamenta humanæ vitæ ſunt baptizandi ſub conditione.

Quod maior ſit de Fide certa, ſic oſtendo: diuidatur claritatis ergo in duas partes, quarum prima ſit. Omnes Infantes ab
4 utero matris egreſſi ſunt baptizandi: Secunda, ſi dubium ſit quod vivant anima rationali, baptizandi ſunt ſub conditione. Prima pars eſt reuelata in Sacra Scriptura *Matth. cap.28. num.19. Euntes ergo, docete omnes gentes baptizantes eos, &c. & Ioan.3. numero quinto. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* nam idem eſt formaliter, ac dicere omnes homines baptizandi ſunt. Verum quia ſub hac uniuerſali propoſitione continentur multæ propoſitiones particulares, ſcilicet homines adulti, parvuli, & infantes, homines certi, ſeu qui humanam vitam certè vivunt, & homines dubij de quorum vita prudenter dubitatur: ideò omnes huiuſmodi propoſitiones directe, & formaliter ſunt revelatæ, eo modo quo communiter Theologi, vt videre eſt apud *Suar. de Fide diſput.3. ſect.11. num.5. & Cardinalem de Lugo diſput.1. num.318.* uſque *ad numerum* 330. docent propoſitiones ſingulares eſſe de Fide, licet ſolum in generali ſint in Sacra Sciptura revelatæ; quo etiam modo *Conc. Trident. ſect.5. ſub num.4.* contra hæreticos definivit expreſſe hanc primam partem maioris.

Quod vero ſecunda pars propter eandem rationem ſit revelata ex dictis patet: & ideo Sacri Canones & Rituale Rom. loc. ſup. cit. hac ead. d. ſect.6. n.2.3.4. declararunt in caſu dubio
5 Baptiſmũ ſub conditione eſſe conferendum Ergo maior eſt de Fide quoad vtramq; partem. Minor iam ex allatis rationib. eſt probabilis. Ergo concluſio quæ ſequitur deteriorem partem, eſt
6 partim ex Diuino teſtimonio, & partim ex lumine naturali, quod reddit minorem probabilem, ergo erit in Theologia intrinſece probabilis, & vera concluſio Theologica.

Quod vero etiam extrinſece, & propter auctoritatem Doctorum ſit probabilis, facile ſuadetur, nam licet ante annum ab Incarnatione Domini 1658. quando ſub Editione Lugdunenſi, hanc propoſitionem primo publicavi, à nullo ex Auctoribus qui ſuas ſententias typis ediderunt, aut quos ego viderim, fuerit aſſerta nihilominus plures deinde amore veritatis, & ſalutis animarum zelo ducti, illam comprobarunt, eique

ſponte

sponte subscripserunt & Magistros quadraginta tres numeratos habeo in Censuris, qui illam ornatissimis verbis illustrarunt, & nouissime R.P. Joan. de Cardenas Societatis Jesu in sua Christi Theologica part. 1. Disput. 14. tom. 1. cap. 3. me citato, & relatis Auctoribus, qui illam defendunt, dicit esse sententiam probabilem doctissimè, & solidissimè probatam à nostro P. Maximiliano Dezza Theologiæ Professore & eximio Verbi Dei Prædicatore.

SECTIO VLTIMA.

Solvitur nonum Argumentum.

SVMMARIVM.

1 *Mors filij Dei tamquam medium ad finem minus principalem ordinata fuit, ad nostram salutem.*

2 *Non hominum salus ad Sacramenta, sed Sacramenta, ad hominum salutem ordinantur.*

3 *Nulla est contra sacramentum Baptismi irreverentia, baptizare fœtus abortivos.*

4 *Deus nihil quod ad salutem hominum conduceret, existimavit sibi ignominiosum.*

5 *Non ergo indecens est baptizare abortivum mox ab vtero ejectum, id quod congruo paradigmate confirmatur.*

VLtimum argumentum si quid probaret, probaret etiam fœtus abortivos Trimestres, Quadrimestres, &c. imò, & Octimestres, qui exeunt ad lucem immundo sanguine madidi ob reverentiam Sacramenti non esse baptizandos. Quod quam alienum sit à Christiana pietate, & obligatione nemo non videt.

Uerum, ut à priori, & à radice difficultatem convellam, adverto si animarum salutem æqua lance æstimare velimus, & intelligere quanti valeat, vel vnius animæ pretium, ad justis-

simam

ſimam Crucis ſtateram appendere debemus, & expendere. Nam licet præcipuus, & vltimus finis, quem Deus habuit, cum Filium ſuum Unigenitum morti tradidit, Divina gloria fuerit vere tamen finis minus principalis, & ſecundarius fuit
1 noſtrarum Animarum ſalus, & humani generis redemptio, quia *propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlo*, & ut dicit, *Ioan. cap. 3. 16. ſic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum unigenitum daret*, & *Apocal. cap. 1. 5. Dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*, voluit ergo Deus *propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit ad Epheſ. cap. 2. 4.* tanquam medium ad finem ordinare mortem Unigeniti Filij, & precioſiſſimum ſanguinem ad noſtrarum Animarum ſalutem, nòn vero è contra Animas noſtras tanquam medium ad illius mortem & ſanguinem in Cruce effuſum honorandum referre. Et ideo non Animæ hominum propter Sacramento-
2 rum reverentiam, & honorem creatæ, ſed potius Sacramenta propter Animarum ſalutem fuerunt inſtituta. Nulla ergo erit irreverentia Sacramenti quando, ita exigente ſumma, & extrema animarum neceſſitate adminiſtrandum erit, baptiza-
3 re hujuſmodi Fœtus abortivos, licèt alioquin extra caſum talis neceſſitatis Sacramenta non eſſent adminiſtranda. Hinc eſt, quod ipſe Deus Dei Filius, qui in ſplendoribus Sanctorum ante Luciferum genitus, in ſtabulo naſci, & inter animalia collocari, non eſt dedignatus. Et *Ezechiel cap. 6. Vidi te* (inquit) *conculcatam in ſanguine tuo, & dixi tibi cum eſſes in*
4 *ſanguine tuo, vive*, & *Divus Theodorus Epiſcopus Ancyranus in Concilio Epheſino hom. de Nativitate Domini*, ut Græcorum inſcitiam reprehenderet, qui ſtultitiam exiſtimabant Crucem Chriſti, dicebat? *Nihil horum, quæ ſalutaria ſunt homini iniuriam Deo facit*. Et rurſus *hom. in Natalem Saluatoris. Deus nihil ignominioſum ducit, quod humanam ſalutem conciliare natum eſt, &c.*

Non ergo indecens reputare debemus ad ſalutem Anima-
5 rum comparandam, quando de earum ſalute prudenter dubitamus, & periculum eſt in mora, Sacramentum Baptiſmi miniſtrare ſubiecto probabiliter capaci excrementitio licet humore

humore conſperſo. Sed vt ſcrupuloſam hanc indecentiã exemplo vulgari peſtringam: Fingat animo quiſquis contra meam propoſitionem argumento prædicto opponitur, Infidelem aliquem Turcam, vel Maurum Chriſtiani hominis mancipium, jam factum, ſæpius à pio aliquo Cathechiſta, & Apoſtolicæ Sedis Miniſtro probato, ad Baptiſmum ſuſcipiendum, rogatum, ſed nunquam exoratum. Ecce ex improviſo dum Vrbem perambulat Turca labitur in ſterquilinium, in quo male ſeipſum volutans, iterũ, & iterum clamat, ut à viatoribus auxilium conſequatur, extrahatur, & ab imminente morte liberetur. Tandem neſcio quis ex tranſeuntibus illum extrahit, ſed ſemivivum, & pene animam exhalãtem. Statim adeſt pius ille Cathechiſta, & rogat, an tandem baptizari velit, & Animam mox à corpore egreſſuram ſalvare; miſer iſte nutibus, ut poteſt, & capite annuens baptiſmum petit. Quis non ſummæ impietatis, ne dicam ignorantiæ, aut ſi mavis dementiæ ſcrupuloſum iſtum Cathechiſtam argueret, ſi Baptiſmum negaret, eò quod indecorum, & indecens reputaret homini adeo turpiter ſtercorato, Baptiſmi lavacrum miniſtrare, & ob reuerentiam Sacramenti æternæ damnationi perditum illum exponere, quando prudenter dubitare poſſet illum non eſſe ita ſufficienter diſpoſitum, ut ſaltem baptiſmo flaminis ſalvari poſſet? Ergo ſimiliter, & multo magis in caſu noſtro.

Et hęc dixiſſe ſufficiat pro ſolutione eorũ quæ in contrariũ objecta fuiſſe præmeditatus ſum. Quibus addo me prædicta omnia intelligere de illis tantum fœtibus, in quibus ita apparent prima humanæ vitæ lineamenta, ut ſubjectum baptizandum ſit omnino ſenſibile, & homo dubius ſub conditione baptizandus, ſit ſenſibiliter talis. Quia ita Reverendiſſimus Pater Uincentius Fanus Ordinis Prædicatorum Magiſter, & S. Indicis Congregationis Secretarius, & Eminentiſſ. Card. ſentire me, & ſcribere præcipiunt. Ideo cenſeant Uiri Docti quorum prudentiſſimo Judicio, & præſertim Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cenſuræ omnia ſubjecta eſſe volo.

Finis Secundæ Diſputationis.

DE MINISTRANDO BAPTISMATE SVB CONDITIONE HVMANIS FOETIBVS ABORTIVIS, Disputatio Tertia.

INDICVLVS SECTIONVM

Sectio I. PROPONITVR *in argumento Theologico præcedentis disputationis compendium, seu principale Authoris consilium, & ostenditur, quam sit cum argumento ex Immaculata Conceptione desumptum, connexum.*

II. *Præsentem disputationem in Alexandrina Constitutione fundari.*

III. *Tempus, quo SS. Virgo fuit in utero S. Annæ fuit omnino naturale & iuxta naturæ leges ordinatum.*

IV. *Ad naturalem uteri gestationem satis esse tempus dierum 275. ex Hippocratis doctrina probatur.*

Digressio circa textum Hippocratis, quod ante septimam diem vivat humanus fœtus in utero.

V. *A quo tempore sint inchoandi menses, quibus fœtus in utero gestantur.*

VI.

VI. *Humanum fœtum primis diebus viuere, & contrarias sententias vel esse contra medicorum regulas, vel prohibitas ex Alexandrina Constitutione probatur.*

VII. *Proponitur argumentum cuiusdam recentioris contra Immaculatam Conceptionem ex die 8. Decembris, desumptum.*

VIII. *Soluitur supradictum argumentum, & confirmatur, quod fœtus humanus vivat primis diebus.*

PRÆLOQVIVM.

SVMMARIVM.

1 *Vterus Virginis Domus Divinæ Sapientiæ.*
2 *Scientiæ naturales Ancillæ Divinæ Sapientiæ.*
3 *Corriguntur ab ipsa.*
4 *Declaratio Sum. Pontificis de Immaculata Deiparæ Conceptione.*
5 *Lumen affert dubitationi de prima humani fœtus animatione.*

CVM Divina *Sapientia*, ut Sacræ literæ testantur, 1
sive Sanctam Catholicam Ecclesiam, sive Beatissimæ Virginis Mariæ uterum tanquam Domũ, ut SS. Patrum unanimis interpretatio declarat, *sibi ædificaverit*: & ex Angelici præsertim Doctoris sententia 1. *p. q.* 1. *art.* 5. compertum sit quod *Ancillæ*, quas 2
pro ministerio subiectas habet, dirigit, & mittit, ut sibi in ministerium salutis ab ea corrigi aliquando, & emendari certum est; ne lumine naturali in quibusdam naturæ abditissimis arcanis explorandis, minime penetrante, decipiantur, & errent; 3
sed sibi ad veritatem aliquam detegendam ancillentur. Hic est, quod eadem sapientia, quæ Sanctæ Apostolicæ sedi semper adest, & Christi in terris Vicario, cui ut fideles doctrinæ pabulo pascantur affulget, iam ab antiquis temporibus plures

Sum. Pontifices illuminauerit, vt Deiparæ Uirginis Immaculatam Conceptionem, si non tanquam articulum fidei hucusque
4 definierint, certè tanquam opinionem, & sententiam adeo piam & certam moraliter proposuerint, ut fere omnes Doctorum Academiæ, omnesque Christiani Orbis Ecclesiæ, illam non solùm libentissime admiserint, sed fouendam, & sartam tectam defendendam ultro susceperint.

5 Uerum quia fæl. record. Alexander Papa VII. in sua, hac de re edita nuper Constitutione, nimirum, Divina illa sapientia dictante, de hac Immaculata Beatissimæ Uirginis Conceptione, eiusque festo, ita decernit, esse ab omnibus Christi fidelibus, sententia, voce, & scripto sentiendum, ut non modicum, exinde lumen scientiis quibusdam naturalibus, Philosophiæ scilicet, & medicinæ impartiatur; hæ namque de primo tempore, quo humani fœtus animantur obscurè non minus, quam dubiæ philosophantur; Ideo ego, qui iam de hoc argumento primam Disputationem institueram, hanc tertiam superaddere necessarium existimavi, ut quam vera, quam firma, & quam probata sit illa sententia, quæ asserit primis diebus in humanis fœtibus rationalem Animam existere, luculentius appareat.

Legat igitur curiosus quisque sequentes sectiones, in quibus, si quid ad rem dictum esse, quod ad Animas Abortivorum Sacra Baptismatis unda lavandas, & salvandas conducat, deprehenderit, illud mecum Almæ Sapientiæ Matri Mariæ acceptum referat, de cuius stillicidiis Ecclesiæ campum germinaturum iam primo fueram auspicatus; si quid vero minus benè à me dictum invenerit, mihi adscribat, & tanquam homini involuntariè erranti, pro sua benignitate indulgeat.

SECTIO

SECTIO I.

Proponitur in argumento Theologico compendium præcedentis Diſputationis; ſeu principale Authoris conſilium,& oſtenditur quàm ſit connexum cum argumento ex Immaculata Conceptione deſumpto.

SVMMARIVM.

1 *In varios ſenſus, eoſque contrarios interpretata fuit mens Authoris.*
2 *Immeritò Traducianus fuit creditus Author.*
3 *Anima non eſt in materia ſeminis, niſi huius forma corrupta.*
4 *Varias Authorum ſententias Author confirmavit; non ut omnes probaret, ſed ut ex omnibus vitam dubiam Abortivorum inferret.*
5 *Proponitur in argumento theologico compendium totius concluſionis.*
6 *Parvuli recentes ab vtero matris baptizandi ſunt.*
7 *Propoſitio conditionalis ſub genere propoſitionis in materia contingente, continetur.*
8 *Ritus ab Eccleſia probati non ſunt mutandi.*
9 *Vel conditionaliter, vel abſolute eſſe miniſtrandum Baptiſma eſt de fide.*
10 *Quia propoſitio illa conditionalis eſt formaliter revelata.*
11 *Argumentum theologicum ex una de Fide, & ex altera euidente, euidenter infert.*
12 *Minor non eſt ſimpex propoſitio, ſed modalis.*
13 *Propoſitio probabilis quomodo ſit evidens.*
14 *Diſtinguuntur iſta duo; propoſitio probabilis, & evidenter probabilis.*

15 *Argumentum supradictum, & eius conclusio est Theologica.*

QVamvis aliqui non defuerint Viri doctissimi, inter quos sane fuit Rheuerendiss. D.T. Mercier Doctor, Theologus, & antiquus Rector Vniversitatis Remensis, qui existimaverint,
1 vitam Abortivorum in prima Disput. tanquam dubiam primis diebus propositam, & explicatam, me ita probasse, ut ipsa propositio veritatis potius, quam dubij nomen sibi comparauerit: attamen plures alij fuerunt, qui minus vere meam hujusmodi intentionem interpretantes, in varios sensus, eosque à me alienos distraxerunt. Aliqui enim crediderunt, me certo certius existimasse, primis diebus Animam rationalem esse in fœtu; Alij & non indocti, quod sententiarum Pemplij, Menæ, Garziæ, Martiani, Fieni, Mirindoli. Sennerti, & aliorum quas recensui, me patronum fecerunt, & defensorem: Sed iniuste: cum enim ex illis aliqui statim à susceptо semine adesse Animam rationalem; alij post horas septem; alij in fine secundæ diei; Alij tertia die; Alij ante septimam; & alij non nisi post septimam, & deinceps usque ad trigesimam, & quadrageſimam, adesse in fœtu Animam rationalem contendant, constat, inter sese, pugnantes habere sententias, & impossibile mihi fuisse vni adhærere, quin alias reprobarem. Imò disertis verbis in fine *sect.* 8. dixi me sententias illas nolle probare, sed solùm tanquam probabiles referre: Et multò minus illorum errori adhærere potui, qui censuerunt Animam rationalem traduci cum semine: Nihil enim magis abhorrui, quam animam rationalem seminatam, & cum semine traductam asserere, ut constat tam ex iis, quæ *sect.* 3, *d. Disp.* 1. *à n.* 5. de fide tenenda esse prænotavit; inter quæ primum locum habet, animam rationalem non educi de potentia materiæ, sed ex nihilo a Deo creari; quam ex iis, quæ *à n.* 9. & deinceps, cum communi sententia de eadem veritate prosequutus sum, quod pariter tenuerunt Authores qui ante
3 me scripserunt; non enim voluerunt Animam esse in semine, sed quod semine per dispositionem ad animam rationalem proxime præparato, ipsum desinat per corruptionem formæ seminis; & incipiat per creationem Animæ, corpus illud esse anima-

tum.

tum : Ita ut primum non esse seminis, sit primum esse Animæ rationalis in corpore, quod tunc fœtus humanus proprie nominatur. Et id iuxta communem, & vulgarem sententiam de rerum permanentium desitione, & inceptione apud Averſ. *tom. 3. philoſoph quæſt.* 30. *ſect.* 2. & alios.

Illud verò emolumenti, ex tot variis Authorum sententiis referre studui, quod cum singulas recenserem, confirmare illas curaverim ; tum ex aliquibus sacrarum literarum testimoniis, tum ex dictis SS. Patrum, & Philosophiæ rationibus ; non quidem ut illas meas facerem, cum, ut dixi, esset impossibile ; sed quia, cum omnes in anticipatam fœtus humani animationem conspirent, existimavi me magis inferre posse, quod statim ac semen est in vtero receptum, & fermentatum, nullum possit assignari tempus usque ad trigesimam, vel quadragesimam diem, in quo certe possit affirmari, fœtum humanum non esse animatum vita rationali; ac proinde, omne illud tempus esse 4
dubium, & prudenter tunc dubitari posse in ovo illo, seu tunicarum involucro, esse hominem sub conditione saltem baptizandum.

Quare, ne in posterum amplius lateat, quid ego *in prima diſput.* senserim, operæ pretium duxi, illius veluti Epitomen ob oculos proponere, & mearum rationum progressum, stylo seueriori, & argumento ad formam scholasticam compresso, exhibere; ut etiam cunctis pateat, quàm proprie, & quàm vere conclusio illata de baptismo Abortiuorum ad Theologiæ scholam, tanquam vera conclusio theologica pertineat. Argumentum est, non quidem ad mensuram epistolæ, quam post hæc scripta dedit ad me Illustrissimus Caramuel, sed magis extensum, illud 5
tamen idem, ut sequitur.

Parvuli recentes ab vtero matris baptizandi sunt; & sic probabile est, quod vivant Anima rationali: baptizandi sunt ; sub conditione.

Sed Abortiui fœtus post aliquot horas, vel statim à concepto & fermentato semine; quod vivant Anima rationali, probabile est.

Ergo baptizandi sunt sub conditione.

Maiorem diuido in duas partes: quarum prima est Propositio simplex. *Parvuli recentes ab vtero matris baptizandi sunt* : Hæc

est

est definita de fide contra Hæreticos in Trident. *sess. 5. sub n. 4.* Secundam partem, in qua dicitur, *& si probabile est, quod vivant*
6 *anima rationali, baptizandi sunt sub conditione*, Probo esse formaliter, in confuso tamen, & implicite contentam sub illis Christi Domini verbis generalibus Matth. *c. 28. Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Nam vt Logica docet, & patet evidenter, sub genere propositionis in materia contingente, qualis est hæc Euangelica propositio: *Omnes gentes baptizandæ sunt:* continentur duæ propositiones; altera est absoluta; & altera,
7 conditionalis: Et quod conditionalis sit sub Euangelica illa admonitione. *Baptizantes eos, &c.* patet etiam ex Ecclesiæ praxi, in Rituali Romano Pauli V. in quo sub titulo *De baptizandis parvulis: vers. Nemo &c.* Dicitur, si Infans adhuc in vtero matris clausus, membrum aliquod præter caput emiserit, propter periculum imminens baptizetur, quod si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus: Et *vers. si mater, &c.* pariter de infantibus expositis, idem statuitur, ut nimirum sub conditione baptizentur, si re diligenter inuestigata, de eorum baptismo non constet; & similiter *vers. Monstrum. &c.* si dubitetur ex forma exteriori, an monstrum sit homo, præcipitur, ut sub conditione, si est homo, baptizetur, & in Rubrica *De ordine Baptizandi*, dicitur, quod si dubitetur, an infans fuerit baptizatus, baptizetur sub conditione, si non est baptizatus.

Quia verò Ritus Catholicæ Ecclesiæ receptos, approba-
8 tos, & in Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, nefas est immutare; ut contra Hæreticos statuit Trident. *sess. 7. can. 13.* duo mihi sunt certissima: nimirum, primo, baptismi collationem sub conditione, esse ritum ab Ecclesia approbatum; & secundo per legitimam Ecclesiæ
9 Catholicæ approbationem contineri sub illis verbis, *Baptizantes eos, &c.* ex quibus habemus institutionem, & vsum huius sacramenti.

Admissa igitur hujusmodi legitima interpretatione, quod per illa verba *baptizantes eos*, significetur formaliter, tam absoluta, quàm conditionata Baptismi collatio; plane sequitur, etiam secundam partem illius Maioris esse de fide certam, & propter

Diuinum

Diuinum testimonium ab Ecclesia interpretatum, & propositum, esse credendam. Confirmatur, quia propositio particularis specifica, nempe conditionalis, sub illa uniuersali, quod infantes recentes ab utero matris sint baptizandi, est de fide; quia formaliter est revelata: ut cum communi Theologorum docent Suar. 10
de fid. disp. 2. sect. 6. n. 6. & disp. 3. sect. 11. n. 5. & Card. de Lugo disp. 3. n. 66. & 69.

Minor est conclusio probabiliter illata, ex præmissis in scientia Medicinæ assumptis, & probatis, partim ex philosophia, & partim ex diligentissimis Anatomicorum sententiis à me *disp. prima sect. 6. 7. & 8. relatis in 6. 7. 8. & 9.* modo explicandi humanam generationem; *& in sect. 15. disp. 3* iterum ex auctoritate Aristotelis, Galeni, & rationibus, eadem conclusio confirmatur; & quamvis ista propositio simplex. *Abortivi fœtus post aliquot horas, vel statim à concepto semine vivunt Anima rationali*, non excedat evidentiam probabilem; cum non inferatur demonstrativè, sed tantùm ex probabilibus; & 11
hæc evidentia non sufficiat, vt argumentum sit theologicum; ex eo quod omnes conveniunt, ut advertit *Card. de Lugo d. n. 86.* quod illud sit argumentum theologicum, cuius una præmissarum est de fide, altera est naturali lumine evidens, & conclusio evidenter infertur; Attamen quia minor propositio supradicti argumenti non est illa sola propositio simplex, sed altera propositio modalis nihil illi deesse videtur, ut argumen- 12
tum sit verè theologicum.

Nam vt rectè *Illustriss. D. meus Episcopus Caramuel advertit tum in Theologia fundamentali n. 482. tum in secunda cit. epist.* & latè etiam probat *Em. de Lugo de fide disput. 20. sect. 3. num. 86.* aliud est propositionem aliquam esse veram probabiliter, & aliud est esse evidenter probabilem. Illa enim est propositio simplex, in qua de aliquo subiecto affirmatur, vel negatur simpliciter aliquod prædicatum; vt ista propositio. *Fœtus Abortivus primis diebus est vivus Anima rationali*; Prædicatur enim simpliciter in ea, vita rationalis, de hoc subjecto, *fœtus abortivus primis diebus, &c.* At verò si de ista tota propositione assumpta pro subjecto, prædicetur evidentia moralis. ideſt

iudicium rationis ex authoritate omnium, aut fere omnium iam non est propositio simplex, sed modalis: Prædicatur enim de illa modus, quo iudicatur esse vera nimirum evidentia probabilis; Cum enim evidentia nihil aliud sit, quàm videntia, seu visio obiecti, quæ ita determinat intellectum, ut prudenter non possit sine temeritate oppositum iudicare, licet physice possit tale obiectum non esse verum: V. G. Romam esse, & Imperium Peruanum, est ita evidens, quia omnes admittunt, vel plerique; ut iam non possit prudenter dubitari, quod existant, cum iuxta regulas prudentiæ, incredibile sit omnino, tot homines conspirasse ad falso asserendam illorum existentiam, licet eorumdem hominum physica natura non ostendat, omnes illos non potuisse mentiri: videatur. *Ovied. in log. controu. 10. punct. 2. n. 10. & Card. de Lugo de fide disp. 1. sect. 13. § 4. num. 312.* Ita licet physicè ista propositio esset falsa: *Fœtus Abortivus primis diebus vivit anima rationali*; At quia in ista iam tot Authores consentiunt, & iudicant probabilem. illamque supponere videntur omnes Universitates, quæ Immaculatam Deiparæ Conceptionem defendunt; iam est evidens illius propositionis probabilitas, & ad argumen-
13 tum theologicum satis, ut bene *Card. de Lugo n. 86.*

Et confirmatur, quia vt acutissime suo more *Illustrissimus Caramuel. advertit sub d. num. 482 Hæc propositio, materia habet actum entitativum*, est probabilis; hanc enim, & probat, & asserit vniversa Thomistarum schola; quamvis Scotistæ omnes falsam reputent. Sed si ex hac & ex modo fiat vna propositio modalis sic. *Materiam primam habere actum entitativum, est probabile*, iam ista modalis erit evidens, ita ut etiam illi, qui simplicem illam propositionem tenent, licet, si velint, possint tenere oppositam, tamen ab hac modali nequeant dissentire: si enim conveniamus assensum probabilem esse illum, qui
14 est cum formidine oppositi, quatenus, non ex evidenti terminorũ connexione determinatur intellectus ad illi assentiendum; sed ex aliqua gravi ratione; præsertim si accedat multorum Doctorum iudicium, & authoritas; constat ex illa simplici propositione, & ex modo, factam esse propositionem

evidenter probabilem ; Cui enim convenit definitio , evidens est convenire definitum. Eodem modo, cum hæc propositio. *Abortivi Fœtus post aliquas horas , vel statim à concepto semine viui sunt Anima rationali* , sit tantum probabilis, potest ab aliquibus negari, cum rationes , quibus innititur, non necessario convincant , vel determinent intellectum : Cæterum , qui iam videt, præter rationes , habere etiam tot virorum Doctissimorum censuram , & testimonium , imo in primariis Academiis , vt in Sorbonensi , Uiennensi , & aliis, publicè disputatam , inventam , & judicatam fuisse Sacrarum literarum Authoritati, & rationum momentis innixam, & tanquam veram , & vtilem proclamatam ; quis prudenter dubitare potest , quin sit probabilis , & quis illius probabilitatem sine temeritate negabit ?

Jam ergo huic modali: *Abortivos fœtus post aliquas horas, vel statim à concepto semine vivere anima rationali, est probabile,* Convenit evidenter , & ex definitione assensus probabilis, tale prædicatum probabilitatis : hanc autem evidentiam sive moralem, sive probabilem appelles , parùm refert ; est enim quæstio de nomine , cum certum sit, in hac modali propositione probabilitatem esse reflexam, ut loquitur *Card. de Lugo d.n.*86. & judicium esse circa probabilitatem , non circa veritatem illius propositionis simplicis.

Cum igitur argumentum supra factum habeat majorem 15
de fide certam , & minorem evidenter probabilem, & conclusionem evidenter illatam , sequitur propter definitionem argumenti theologici cum omni proprietate eius conclusionem, & totum argumentum esse theologicum.

Hæc in vestibulo huius secundæ Disputationis dixisse volui vt iam mea intentio amplius neminem lateat.

SECTIO II.

Præsentem Disputationem in Alexandrina Constitutione fundari ostenditur.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur argumentum pro Immaculata Conceptione ab eius festo deductum.*
2 *Adversarij solutionem afferunt, sed duobus falsis suppositis innixam.*
3 *Et iscotus Cressius huiusmodi solutionem ad sanctissimum defert*
4 *Antiquiss. est consuetudo illud festum celebrandi die 8. Decemb.*
5 *Revelationibus particularibus comprobatur, Et tandem Constitutione Pontificia decernitur.*
6 *Hoc festum in d. Constitutione dicitur fuisse celebratum cultu nunquam immutato.*
7 *Innovantur, & extenduntur pœnæ contra transgressores.*
8 *Etiamsi transgressio sit indirecta.*
9 *Et libri, quibus festum huiusmodi in dubium revocatur, prohibentur.*

1 VAlidissimum argumẽtum Defensores Jmmaculatæ Conceptionis desumebant his ultimis temporibus, ex festo, quod sub titulo Conceptionis celebrat Ecclesia Romana: hæc enim cum non celebret festa Sanctorum nisi obiectum ipsorum festi sit sanctum, inferebant conceptionem esse sanctam: & merito, vt notavit *P. Augustinus de Angelis in tract. de Im-*
2 *macul. Concept. part. 2. art. 1.* Sed è contra qui piæ sententiæ adversabantur responsionem, quasi novum Propugaculum excogitaverant; dicentes quod sicut Ecclesia in celebrando huiusmodi festo die 8. Decembris præscindit à vera die, qua talis Conceptio fuit, nam in generatione fœminarum fœtus non animatur,

animatur, nisi post 80. dies. Et sic volebant conceptionem esse, celebrandam die 26. Februar. Ita cum in uno instanti morali, seu brevissimo tempore, quod in tali festivitate Ecclesia veneratur, sint duo instantia physica alterum, quo anima Deiparæ creatur, unitur corpori, & contrahit originale peccatum, vt ipsi sentiunt: & alterum quo sanctificatur, & liberatur à peccato: non considerat illud primum instans, sed ab eo præscindens, & solum ad secundum attendens, celebrat tale festum.

Sed revera hæc responsio nullius erat momenti, ad efficaciam supradicti argumenti infringendam. Duo siquidem, vt constat supponebant Adversarij in hac solutione: quorum alterum ab aliquibus ex nostris, & præcipuè ab Episcopo Crespio, ut patet ex eius *Propugn. Theol. disp. 3. art. 3. n. 38.* specie veri deceptis, admittebatur, tanquam verum & communiter receptum, nempe fœmineum fœtũ non esse animatum nisi post diem octogesimum: huius autem suppositi falsitas constabit, ex infra dicendis *hac 3. disp. sect. 7. 8. & ex dictis supra disp. 2. sect. 4.* alterum vero, quod debuissent probare, erat, quòd in hoc festo celebratur inadequate illud instans morale, quatenus in eo, non primum, sed solum secundum instans physicum sanctificationis attenditur tanquam obiectum huius cultus.

Quare vtroque supposito negato facile machina dissolvebatur, & corruebat. Verum quia primum suppositum de animatione fœtus fœminei credebatur facile à pluribus, & res est plena timoris amor, Amantes Immaculatam Conceptionem, timebant, ne, etiamsi nunquam prævaluisset sententia affirmativa peccati, Adversarij contenderent, aut festum Conceptionis transferendum esse versus finem Februarij, ut aliquid saltem consequerentur, aut certe studium, & fervor fidelium erga huiusmodi festum aliquo modo tepesceret, frustraretur. Argumentum igitur Aduersariorũ, quod anno præsertim 1661 circumferebatur, quasi triumphans, detulit ad SS D N. Alex. PP. VII. Jll. & Rev. D. Lud. Crespius Ep. Placentinus, qui in causa Immaculatæ Conceptionis erat eo tempore in Romana Curia Orator pro Episcopis Hispaniarum, & pro ipso Catholico Rege Philippo IV. Verum Sanctiss. Pontifex, & Doctiss. Theologus

Alex. VII. vbi primum audivit commentum hoc excogitatum ad effectum feſtivitatis huiuſmodi pietatem, & ſtudium fruſtrandi, Pio objecit Oratori meam primam Diſputationem, in qua primum ſuppoſitum per totam, & præſertim *ſect.* 5. & 11. rejicitur; & ſecundum ſuppoſitum *ſect.* 8. *n.* 3. Et Epiſcopum Oratorem admonuit, ut legeret, & ſententias probabiles expenderet. Legit Illuſtriſſ. Præſul, & Sanctitati ſuæ retulit, vere non eſſe trepidandum, ubi non eſt timor præſertim ſi ab Apoſtolica Sede aliquid in favorem emanaret Immaculatæ Conceptionis; meæ nimirum Propoſitioni de Baptiſmate Abortivis, etiam primis diebus miniſtrando, firmiter adhærens: vt ex eius Epiſtola ad me deinde ſcripta, & quam inter Cenſuras ſupra poſitas recenſui, indubitanter apparet,

Placuit Sanctiſſimo Pontifici reſponſum Illuſtriſſ. Epiſcopi Oratoris, & ſeriò animadvertens, ſecumque revolvens omnia adinvenit illa, ita piæ opinioni de Immaculata Conceptione ejuſque ſolemnitati, ac feſto, vt prius die 8. Decemb. celebrando, favere; vt in hunc ſcopum, & finem quaſi lineæ in centrum, tenderent, & collimarent. Potuit fieri nimirum, quod doctiſſ. Theologus, & Pontifex conſideraret in Concilio Baſilienſi *anno* 1439. *ſeſſ.* 36. ex communi illorum Patrum teſtimonio, non quidem dogmaticè, quia jam à Romani Pontificis obedientia receſſerant, ſed hiſtoricè relatum fuiſſe, quod in Eccleſia Romana, & in aliis, antiqua, & laudabilis fuit conſuetudo celebrandi huiuſmodi feſtum 6. Idus Decemb. licet Eccleſia Græca celebret illam die 9. Decembr. & pariter animadvertit deinde Sixtum IV. An. 1476. *in extrau. Cum præexcelſa*, & anno, 1483. *in extrau. Grave nimis de reliq. & vener. ſanct.* huiuſmodi feſtum approbaſſe. Attendit fortaſſe, quod Sancta Romana Eccleſia in officio illius diei quater repetit verſiculum: *Conceptio eſt hodie S. Mariæ Virginis:* ſemel recitat reſponſorium *Hodie concepta eſt &c.* bis dicit Antiphonam *Conceptio eſt hodie &c.* Semel aliam, quæ dicit *Conceptionem hodiernam &c.* Atque ita ſolemniter, iteratiſque aſſertionibus pronunciat, diem octavam eſſe illam, in qua SS. Virgo fuit ſine peccato concepta; & forte etiam conſideravit, quod huiuſmodi Eccleſiæ vocibus, conſonant res

illæ

illæ revelationes, quas S. Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis affert in Epiſtola ad Cœpiſcopos Angliæ; in quibus dicitur, SS. Virginem die 8. Decembr. fuiſſe conceptam, eiuſque Beatiſſimam Animam à Deo in corpore creatam, & infuſam; & quod illis alia ſimilis concordat, quam habuit S. Chriſtina, vel alio nomine Oringa Monialis Auguſtiniana, & alia plurima, quæ me latent, animadvertens: tandem Conſtitutionem ad fauorem Immaculatæ Conceptionis publicari mandavit, quæ incipit: *Sollicitudo omnium Eccleſiarum &c. ſub die* 8. *Decembris* 1661. in qua plura quidem pro Immaculata Conceptione & præſertim con- 6
tra duorum inſtantium phyſicorum diſtinctionem, vnum & idem definit eſſe inſtans Conceptionis, & infuſionis Gratiæ: & alia decernit meæ de baptizandis Abortivis propoſitioni maximè ſuffragantia, quæ hìc libet adnotare.

In primis declarans, quid ſit Conceptionem Deiparæ eſſe Immaculatam; & in quo ſenſu eius feſtum in Eccleſia Romana celebratur, ait: *Sane vetus eſt Chriſti fidelium erga eius Beatiſſ. Matrem Virginem Mariam pietas ſentientium, eius Animam in primo inſtanti creationis, atque infuſionis in corpus, fuiſſe ſpeciali Dei gratia, & privilegio, intuitu meritorum Ieſu Chriſti eius filij humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis præſeruatam immunem; atque in hoc ſenſu, eius Conceptionis feſtituitatem ſolemni ritu colentium, & celebrantium, &c.*

Si ergo Conceptionem Deiparæ eſſe Immaculatam, nihil eſt aliud, quàm in uno, & eodem inſtanti creatam eius Animam fuiſſe & à peccato originali præſervatam; & in hoc ſenſu à fidelibus annua feſtituitas eius celebratur, cum expreſſa declaratione ab Eccleſia pluries, ut vidimus repetita, quod illa dies recurrit, intra quam fuit illud inſtans; plane ſequitur, idem eſſe celebrari feſtum octaua die Decembris, ac intra illam diem fuiſſe illud inſtans.

Deinde ſecundo loco repetit, Feſtivitatem in Eccleſia Romana ſolemniter celebratam eſſe, & celebrari cultu nunquam 7
aliqua mutatione variato, ſed illi feſtivitati exhibito ſecundum communem fidelium pietatem, & devotionem. At ex ſupra n. 4.

notatis

notatis consueverunt Fideles die 8. Decembris hoc celebrare, & ita nunquam Ecclesia Romana eius cultum immutauit, ideo subdit.

Nos considerantes, quod si Romana Ecclesia de intemeratæ semperque Virginis Mariæ Conceptione, festum solemniter celebrat, & speciale, ac proprium super hoc Officium olim ordinavit, iuxta piam, devotam, & laudabilem constitutionem, quæ à Sixto IV. prædecessore Nostro tunc emanavit; volentesque laudabili huic pietati, & deuotioni, & festo, ac cultui, secundum illam exhibito, in Ecclesia Romana, post ipsius cultus institutionem, nunquam immutato, Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo fauere: nec non tueri pietatem, & deuotionem hanc colendi, & celebrandi Beatissimam Virginem præueniente scilicet Spiritus sancti gratia, à peccato originali præseruatam, &c.

Postea præcipiens, ut huiusmodi festum celebretur, & cultus Conceptioni Marianæ secundum piam sententiam exhibeatur, innouans Decreta, & Constitutiones Sixti IV. Pauli V. & Gregor. XV imo, & pœnas, & censuras in illis contentas, extendens, ait.

8 *Constitutiones, & Decreta à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, & præcipue à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in fauorem sententiæ asserentis, animam B. Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione, Spiritus sancti gratia donatam, & à peccato originali præseruatam fuisse; nec non in fauorem festi, & cultus Conceptioni eiusdem Virginis Deiparæ, secundum piam istam sententiam, ut præfertur exhibiti, innovamus, & sub censuris, & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis, obseruari mandamus, &c.*

Deinde mandat, ne in Disputationem revocetur, non solum pia sententia, sed neque huiusmodi festum, directè, vel
9 indirecte, scripto, vel voce sub quocunque prætextu, vel occasione etiam argumenta contra illud afferendo, & insoluta relinquendo, aut quovis excogitabili modo differendo, aut interpretando; itaut favor, tam dictæ piæ sententiæ, quam festi frustretur, sub pœnis, & censuris in constitutionibus Sixti IV. contentis; Et ideò addit.

Et

Et in super omnes, & singulos, qui prafatas Constitutiones seu Decreta, ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ sententiæ, & festo, seu cultui secundum illam exhibito, frustrentur; vel qui hanc eandem sententiam festum, seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea, quoquo modo directè, vel indirectè, aut sub quovis prætextu, etiam definibilitatis eius examinandæ, sive scripturam, aut Sanctos Patres, sive Doctores glossandi, vel interpretandi, denique alio quovis prætextu, seu occasione scripto seu voce, loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quidquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, & insolutа relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo differendo, ausi fuerint; præter pœnas, & censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subiacere volumus, & perconsequens subiicimus, &c.

Tandem libros omnes, tam editos post Pauli V. decretum, quàm in posterum edendos, & omnes locutiones, conciones, tractatus, & disputationes prohibet sub pœnis, & censuris librorum prohibitorum; si in ipsis præfata, pia sententia, festum, seu cultus secundum illam exhibitus, in dubium reuocetur. ibi. 10

Ac libros, in quibus præfata sententia festum, seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocumque ut supra aliquid scribitur, aut legitur, seu locutiones, conciones, tractatus, & disputationes contra eadem continentur, post Pauli V. supra laudatum Decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda, prohibemus sub pœnis, & Censuris in Indice librorum prohibitorum contentis; & ipso facto absque alia declaratione, pro expressè prohibitis, haberi volumus, & mandamus, &c.

Vt autem clarius appareat, quantum favoris, & roboris accesserit, ex hac Alexandrina Constitutione, illi Philosophorum probabili sententiæ, quæ asserit, humanum fœtum primis diebus, esse anima rationali informatum, oportet ut duo seorsim examinemus. Primum est, an tempus, quo fœtus SS. Mariæ Virginis fuit in utero S. Annæ Genitricis, usque ad partum, fuerit solùm à natura, seu naturaliter à Deo ordinatum? Secundum, si fuit naturale; quid de ejusdem

Deiparæ prima Conceptione ſit juxta Hippocratis, & Medicorum placita ſentiendum: ſi enim inveniemus fuiſſe naturale, & iuxta communes naturæ, & medicinæ leges regulatum facile erit inferre, idem eſſe ſentiendum de omnibus aliis.

SECTIO II.

Tempus quo SS. Virgo fuit in Vtero S. Annæ, fuit omnino naturale, & iuxta naturæ leges ordinatum.

SVMMARIVM.

1 *In Conceptione temporali Divini Verbi quid ſupernaturale fuerit, & quid naturale.*
2 *Verbi Incarnati geſtatio in vtero, quo ad tempus novem menſium, fuit naturalis.*
3 *Tempus huius geſtationis fuit ex D. Auguſtino dierum 276.*
4 *Quæ miracula fiunt, & ſunt in rerum natura, habent omnem Naturalem perfectionem.*
5 *Tempus illud fuiſſe novem menſium, ratione, & congruentia probatur.*
6 *Quid in Deiparæ Conceptione fuerit ſupernaturale.*
7 *Quid vero fuerit naturale.*
8 *Geſtatio Deiparæ in vtero S. Annæ fuit naturalis.*
9 *Conceptiones aliorum miraculo prævente, quo ad tempus geſtationis in vtero, fuerunt naturales.*
10 *Tempus geſtationis, quo Deipara fuit in vtero S. Annæ fuit dierum 275 aut forte dierum 276.*

QVidquid *ſect. 8. primæ Diſput.* de interuallo dierum, inter diem octavam Decembris Jmmaculatæ Uirginis Conceptioni, & diem octavam Septembris ejuſdem Nativitati, dicatas

dicatas scripserim, vt Thomæ Fieni sententiam probabilem ostenderem, nunc magis acuratè, & dierum facta computatione, quam tunc neglexi, quia ad eum finem, non erat admodum necessaria investigandum est; ut ex inde pateat, quàm probabilis sit illa sententia, cui innititur minor propositio mei argumenti *supra sect.* 1. *n.* 5. allati de animatione fœtus humani primis diebus. Et primo loco præstabit, aliqua, vel breviter adnotare de activa Conceptione, qua ipsa Deipara Filium Dei concepit, & portavit in utero.

Notandum igitur primo cum *S. Thom.* 3. *part. quæst.* 33. *artic.* 40. & communi Theologorum sententia; quod licet in Jncarnatione Divini Uerbi quò ad corpus assumptum, fuerit supernaturalis totus concursus, ex parte principij activi, nimirum Spiritus sancti; & supernaturalis fuerit unio hypostatica eiusdem corporis, & animæ, quæ terminavit ad personam Divini Uerbi; & pariter supernaturale fuerit, quod in instanti facta sit ipsius corporis organizatio; tamen aliqua, quæ fuerunt a SS. Uirgine facta, ministrando materiam ex suis purissimis sanguinibus, & gestando diviniſſimum illum fœtum in utero à die 25. Martij, quà ex communi SS. Patrum, & antiquissima utriusque Ecclesiæ tam Latinæ, quam Græcæ consuetudine creditur facta Jncarnatio, usque ad 25. Decembris, qua Nativitas Christi Domini eadem certitudine celebratur, tam ab Ecclesia Latina, quàm à Græca, fuerunt naturalia, & secundum tempus à natura præscriptum; ita in sexta Synodo sub Agathone Pontifice celebrata, lectum fuit & approbatum ab universo illo Constantinopolitano Concilio ex Epistola Sophronij Patriarchæ Hierosolymitani, qui ita scribit de ipsius Uerbi Jncarnatione. *Simul quippe caro: Dei Verbi caro; simul caro animata rationalis; simul Dei verbi caro animata rationalis, &c.* Quibus verbis apertè fatetur, unionem carnis cum Uerbo, carnis cum Anima, & carnis animatæ cum eodem, fuisse simul & supernaturaliter factam; Deinde explicans quidquid fuerit naturale ait: *Ex inviolabili, & virginali sanguine Sanctæ, atque Immaculatæ virginis Mariæ verbum caro factum, est incarnatum, & veraciter homo, & in utero virgineo*

gineo deportatus, tempus expleuit legitimi puerperij; & per singula naturalia, & peccatum non trahentia, nobis hominibus similis factus nostramque non dedignatus passibilem vilitatem, nascitur Deus, &c. Quid clarius dici poterat, ut explicaretur coram Concilio Beatissimam Virginem naturalem legem de uteri gestatione plene, & perfecte obseruasse; etiamsi filius, quem gerebat in utero, esset super omnem naturam Deus ipse?

3 Sed audiamus D. Augustinum, qui, ut notauit etiam *Suarez in 3. part. tom. 2. disp. 12 sect. 4.* exactissime, quò ad dies hoc tempus computauit non solum ex propria sententia; sed etiam cum universali Eccle. sensu: Ipse enim *lib. 4. de Trinit. cap. 5.* post enumeratos dies 276. quibus in utero SS. Matris Christus moratus est, ait: *hic numerus complet nouem menses, & sex dies, qui tanquam decem menses parientibus fœminis computantur; non quia omnes ad sextum diem, post nonum mensem perueniunt; sed quia ipsa perfectio corporis Domini, tot diebus ad partus perducta comperitur; sicut à majoribus traditum, suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas. Octauo enim Calendas Aprilis conceptus creditur; natus autem traditur 8. Kal. Ianuarias. Ab illo ergo die, vsque ad istum computari ducenti septuaginta, & sex reperiuntur dies, &c.* Et hic non possum non admirari, quam accurate, & diligenter ingeniosissimus Doctor adverterit, & notaverit, hoc dierum spatium, non fuisse quidem commune aliis hominibus, sed esse illud, quo fortissimi, & validissimi fœtus solent à matribus in utero gestari, ut infra videbimus. Si enim aliquis fœtus fuit vnquam productus, in cuius formatione natura suam perfectionem explicauerit, hic sine dubio fuit, iuxta regulam *Chrysostomi hom. 21. in Io.* quem citat, & sequitur *S. Thom. 3. part. quæst. 44. artic. 3. ad 2. & quæst. 46. artic. 6.*

4 quod quæ miraculo fiunt, omnem perfectionem naturaliter possibilem consequuntur; sicut de vino quod conuertendo aquam in ipsum, produxit olim Christus in Cana Galileæ. *Io. 2.* adeo vt, admirans ille dixerit, contra consuetudinem factum esse, vt in fine convivij, propinaretur optimum. At nemo dicet in substantia, & in accidentibus, vinum illud fuisse supernaturale, licet supernaturaliter productum. Ita

corpus

corpus Christi, licet modo supradicto fuerit supernaturaliter, id est instantaneè organizatum, & assumptum à Uerbo Divino, tamen quo ad tempus gestationis in Vtero, fuit naturale, quamvis illa naturali perfectione attemperatum quam Dei Filium decuisse, sentiunt communiter Theologi.

Et Damascenus lib. 4. de fide. cap. 15. dixit quod *Consueto tempore (nouem enim menses expleuerat, ac decimum iam ingressus erat, cum in lucem prolatus est) sua partui, lex constituit.*

Et Theorianus Author Græcus, *ex Billiot. VV. PP. tom.* 11. in Dialogo contra Armenos, refert, Armenos asserere, quod nouem mensibus, & quinque diebus Christus Dominus fuerit in Utero matris, Sed Armeni in numeratione dierum, vnum diem prætermiserunt, forte quia vltimam diem, scilicet 25. Decembris non comprehenderunt; aut forte omiserunt 25. Martij, quæ etiam debet includi; cum ea die Uerbum Divinum, corpore iam organizato fuerit in utero matris.

Et quidem omnium temporum, & totius naturæ Dominus, & Rector, qui ideo nostris vilitatibus, & naturæ legi voluit esse subiectus, & formam serui accipere, ut non solum omnes nostras pænalites experiretur, sed etiam vt hæreticos, qui dicturi erant, corpus non assumpsisse humanum, & communune cum nostro, sed Cæleste vel phantasticum, redargueret; debuit quidem perfectissimum corpus assumere, pro 5 dignitate personæ Diuinæ, sed non adeo perfectum, vt naturalem legem excederet, & supra naturam esset humanam. Ergo etiam, quò ad tempus, quo permanere voluit in utero Matris, non debebat naturæ leges superare, & plus, aut minus, quam naturalis corporis humani ratio exigeret, in eo remorari

Jam vero ex hoc tempore naturali obseruato à Christo Domino in mensibus Uteri materni, tanquam à re magis certa, & notâ, & de qua SS. Patres locuti sunt, & conueniunt ad tempus, quo corpus SS. Dei Matris fuit in Utero S. Annæ, à puncto Conceptionis Jmmaculatæ, usque ad tempus natiuitatis, liceat inferre tanquam ad rem minus notam, & minus certam, quia de illa SS. Patres non ita expresse locuti sunt.

Notandum igitur secundo in Conceptione Immaculata Matris Dei, non solùm fuit supernaturale, id quod iam pia do-
6 cet sententia, & omnes fere Christiani amplectuntur, & SS. D. N. Alexander PP. VII. in sua Constitutione declarat: Nimirum in eodem instanti, quo eius Anima creata, & vnita fuit, etiam fuit à peccato originali præseruata; sed præfuerunt etiam aliæ circumstantiæ supernaturales; Etenim ut docent graviſſimi auctores *Niceph. lib. 7. cap. 3. Epiphanius orat. de laud. Virg. Damasc. lib. 4. de fide cap. 15. Andreas Hierosol. orat. de Christi Natiu. S. Hildefons. serm. de nat. Virg. S. Eustathius in Hexamer. S. Vinc. Fer. Serm. 2. de Natiuit. Pantal. Diacon. apud Metaphr. in fest. S. Michaëlis Arcang. Suarez in 3. part. tom. 2. disp. 2. sect. 1. & Novarin. umbr. Virgin. num.* 1207. 1208. 1209. 1218. 1219. 1220. Cum S. Anna eius Mater sterilis, & ipsa, & S. Ioachim Pater senes essent, & multis orationibus, lacrymis, eleemosinis, & jejuniis impetraverint à Deo, vt non obstante duplici impedimento, ætatis scilicet, & sterilitatis prolem haberent; & quidem per Angelum, ut plerique ex citatis Patribus asserunt, admoniti sint, quod filiam habituri essent, quæ Mater esset Filij Dei; patet, quod non sine miraculo concipere potuerunt, & generare. Et in hoc sensu accipiendum est, quod *Damasc. orat. pr. de Natiu.* dicebat, *Natura gratiæ fætum antevertere minimè ausa est; Verum tantisper expectavit, donec gratia fructum suum produxisset, &c.* & ut notavit etiam *Suarez loc. cit. vers. dico secundo. &c.* eodem modo intelligendus est idem Damascenus, quando dicit ibidem, *Par erat, ut ad Dei Incarnationem inter per miracula muniretur, &c.*

Cæterùm suppositò, quod præcesserint hujusmodi supernaturales præparationes; cætera, quæ successerunt, ex conventio-
7 ne matrimoniali Parentum, id est tam Conceptio B. Virginis in Vtero, quàm duratio, & perseverantia gestationis in Vtero, vsque ad legitimum tempus, naturalia fuerunt; Quod autem vere convenerint eius Genitores, ipsa Deipara S. Birgittæ revelavit *lib. 6. c.* 55. & citati Patres affirmant. Itaque ex hujusmodi congressu, juxta communem modum procreata est SS. Virgo, ut asserit *S. Epiphan. hæresi* 78. *&* 79. & docet fusè *Suarez d. disp. 7. sect. prima.*

Probatur

Probatur primo, quia ipsa etiam Deipara indiguit Redemptione; ergo descendit ex Adamo per seminalem propagationem: ideò in citata constitutione Alexandrina legimus hæc verba *Intuitu meritorum Iesu Christi eius filij humani Generis Redemptoris à macula peccati originalis præservatam fuisse &c.* ut patet ex notatis *sect. prima n.6.* si ergo Conceptio Deiparæ fuit in modo, & in substantia naturalis; ergo etiam, & gestatio in utero. 8

Secundo quia si Divini Uerbi SS. Corpusculum, cujus Incarnatio fuit omninò supernaturalis, quippe quæ non oppera hominis, sed Spiritus Sancti virtute facta est, subiectum fuit naturali legi de gestatione mensium in utero; multo magis naturalis conceptio eius Matris. 9

Tertio quia etiam in aliis conceptionibus, quæ prævio miraculo impetratæ sunt, & in uteris, tum sterilitate, tum senectute impeditis, operatæ, modo ordinario, & communi, per seminum commixtionem; menses naturales fuerunt observati; Nam Anna Vxor Elcanæ, & Mater Samuelis, cum esset sterilis, per orationes, lacrymas, & sacerdotalem benedictionem, impetravit à Deo, ut pareret Samuelem; & notat Sacra scriptura *lib. primo Regum cap.* 20. quod concepit, & peperit *post circulum dierum*, idest seruato mensium numero naturali. Et de S. Elisabeth. S. Io Baptistæ Genitrice, quæ erat sterilis, & senex, Angelus ipse menses numerans, dicebat *Lucæ cap. primo: & hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis, & ipsa concepit filium in senectute sua.* Et non prius natus est S. Io. Baptista, quàm ipso Evangelista testante *impletum sit tempus pariendi.*

Quarto quia ita mandavit Deus servari de filio suo, ut obstrueretur Hæreticorum os loquentium iniqua; simili de causa in eius SS. Matris Conceptione servari oportebat; quia, ut S. Epiphanius notavit, Collyridiani Hæretici venturi erant, qui dicerent B. Virginem humanæ naturæ prorsus expertem.

Tempus autem, quo S. Anna Deiparam gestavit in Utero fuit, ni fallor, dierum 276. quot cum D. Augustino diximus fuisse illos, quibus ipsa Deipara gestavit Filium Dei; Nam iuxta veriorem, & communiorem sententiam, quam sequuntur Recentiores, 10

res, & præsertim *Suarez tom.2.in 3.part.disp.21 sect.pr.vers.quæres 2.Barrad.in Evang.tom.1.lib.6.cap.7.* Si dicamus, B.Virginem peperisse Christum decimoquinto anno, iam expleto suæ ætatis, constat eiusdem B.Virginis Conceptionem passivam in visceribus S.Annæ, factam fuisse anno 16.labente ante Christi Nativitatem; Et sic anno bissextili; quo Februario dantur dies 29. Quia ergo ab octava die Decembris inclusive iuxta dicta supra n.4.& dicenda sect.seq.n.6.usque ad octavam Septembris, qua eius Natiuitas celebratur, sunt 9. menses; & ex istis, sex menses sunt, qui habent diem unum supra 30. duo vero qui 30. tantùm, & Februarius 29.conflatur summa dierum 276.At verò tempus, quo ipsa Dei Flium gestavit in utero à die 25 Martij inclusive ad 25.Decembris inclusive constat 9.mensibus, quorum 4. habent dies 30.integros, alij quinque 30.diebus addunt unam diem, resultat exactè idem dierum numerus 276. Verùm quia non est certum, quod anno Bissextili fuerit concepta B. Uirgo, cum non sit certum, quoto suæ ætatis anno Christum pepererit, parum refert, si dicamus, dies illos fuisse tantum 275.

His ita firmatis, & constitutis, supereſt, ut videamus, an Hippocrati, & Medicis præsertim, probetur hæc doctrina; quod nimirum fœtus heroum, seu illorum, qui sunt à natura sortiti perfectissimam temperiem, quorum fœtus ab Hippocrate dicuntur validissimi; naturali lege contenti sint hoc numero dierum; An verò minori tempore morentur in utero materno?

SECTIO IV.

Ad naturalem Vteri gestationem satis esse tempus 275. dierum ex Hippocratis doctrina probatur.

SVMMARIVM.

1 *Tempus gestandi vterum esse 10.mensium.*

2 *Menses lunares seu Periodici, vel Critici, & menses solares, quot diebus constent.*

3 *Tempus*

3 *Tempus huiusmodi ex Hippocrate est 9. mensium, & dierum 10.*

4 *Sunt qui velint esse dierum, 310.*

5 *Alij, vt Martianus dies 280. completos continere.*

6 *Et ideo Diuino Christi fœtui primos sex dies defuisse, quia in primo instanti fuit miraculosè organizatus.*

7 *Errauit Martianus in enumerandis his diebus.*

8 *Refellitur Martianus ex ipso communi modo loquendi.*

9 *Imo ex ipsa Hippocratis sententia.*

10 *Fœtus Heroum, non repugnat Hippocrati nasci ante 280. diem.*

11 *Salomon inter Heroas numeratus, nascitur die 275. vel 276.*

12 *Vita hominis in vtero iam formati septem dierum est.*

13 *Hipocrates de lunaribus mensibus loquitur, quando 10. menses ad perfectam pueri natiuitatem exigit.*

14 *Numerorum in abstracto obseruatio superstitiosa est, & Medico indigna ex Hippocrate.*

15 *Puer non moratur in Vtero vltra dies 280.*

16 *Si vlterius permaneat, in causa est vel vteri, vel ipsius pueri, infirmitas.*

17 *Ex vtero S. Annæ, & Virili virtute S. Ioachimo restituta, atque ex naturali perfectione Mariani fœtas concluditur tempus dierum 275. fuisse omnino naturale.*

18 *Corpus B. Virginis non potuit naturaliter præexistere eius Animæ, nisi forte iuxta sententias Mirindoli, & Fieni à die 4. vel 5. Decembris.*

ET non sufficere humano fœtui hunc numerum dierum, *Gellius lib. 3 cap. 16.* testatur esse Medicorum, & Philosophorum illustrium famosam sententiam, sed requirere decem menses completos; Ait enim *postquam mulieris vterus conceperit semen, gigni hominem septimo rarenter, nunquam octauo, sæpe nono, sæpenumero 10. mense: eumque esse hominem gignendi summum finem, decem menses non inceptos, sed exactos, &c.* 1

Hæc sententia si loquatur de mensibus lunaribus, quos Periodicos

riodicos, seu Criticos Medici appellant, & constat diebus 27.hor.7.43 7. ut ex Keplero notavit *Riccioli. in Almagesto tom.* 2 *primo lib.4.cap.19. n.1.* Et in summam decem mensium redacti constituunt numerum dierum 273. hor. 1.11.m. 10. non longe abest à vero; & accedit doctrinæ Hippocratis, ut videbimus; si autem de mensibus solaribus, qui 30. diebus conflantur; nimis exorbitat, est contra omnem experientiam, & repugnat regulis Medicorum, Nam Medici statuunt, ex vera Hippocratis doctrina, mensem 10. inchoatum per aliquot ex primis diebus esse naturalissimum; & maxime tempestivum tempus gestationis uteri. Ita probant *Nicolaus Nancelius sect. 3. sui Problem. Petr de Peramat. lib. de homin. procreat. Mercurial.* 3 *lib.4.var.* & alij ex Hippocrate, qui *libr. de carn. partic.12.* ita loquitur *nouem vero mensium. & decem dierum partus fit, & vivit, & habet ad hebdomadas numerum exactum, &c.*

Difficultas est an huiusmodi dies, quos ex decimo mense exigit humanus fætus, ut maturus egrediatur ad lucem debeant esse triginta completi, an inchoati sufficiant; seu quod idem est an decimus mensis necessario debeat esse completus?

Et quod debeant esse exacti 10. menses asserunt *Hugo, & Bonaventura* apud Pinedam, qui heroicum, & perfectissimum partum dicunt exigere 9. menses exactos post 40. dies præcedentes, & necessarios ad masculini fœtus animationem; 4 atque ideo constituunt tempus dierum 310. adhæret illis citatus *Petrus de Peramato in tract. cui titulus, quid naturale, quidve miraculosum in Conceptione Christi Domini fuerit; & Pineda in Salom. lib. primo cap.10.§.7.num.20.* non repugnat; dum ait, Christum Dominum non habuisse 40. dies illos prævios, ante animæ infusionem: Nam in primo instanti conceptionis illius corpus, ut vidimus cum communi Theologorum fuit perfectè organizatum; ex quo infert Pineda, partum naturalissimum, & perfectissimum requirere 10. menses integros ad conceptionem.

Ex Medicis plures idem constanter asserunt; inter quos 5 *Prosper Martian. comment. ad lib. de carn. partic. 12.* veneratur tanquam Hippocratis oraculum, quod heroici partus menses,

sint

sint ex diebus 280. completis : verba Hippocratis illo loco iam sunt allata : sed Hippocrates rationem reddit dicens : *Quatuor enim denarij hebdomadum dies sunt ducenti, & octoginta: in denarium autem hebdomadum septuaginta dies incurrrunt, &c. Et in libr. de septimestr. partu. part.* 3. loquens de perfectissimis fœtibus ait : *Qui septem quadragentariis eduntur, decimestres nominantur propterea potissimum coalescunt, quoniam vali, dissimi sunt &c.* Cum autem quadragentaria, spatium sit quadraginta dierum, ut ipse Hippocrates initio huius libri semetipsum explicans, ait ; Plane constat, tempus quo validissimi partus nascuntur, peruenire necessario ad dies ducentos octoginta.

Jta hic Author firmiter existimat, diem hanc ducentesimam octogesimam completæ quadragentariæ pertinere ad naturale tempus, quo perfectissimi partus gestantur in vtero: Atque ideo totus est in hoc, ut conciliet tempus dierum 274. quo B. Virgo, ut ipse sibi fingit, Christum portavit in utero, cum hac quam ipse credit Hippocratis doctrina ; At verò ut differentiam, quæ consistit in sex diebus, auferat, notat quod *in lib. de carnib. part.* 11. Hippocrates dicit. *Hominis verò spatium temporis septem dierum est.* Et cum de illo abortivo die septima excusso à fœmina saltatrice, in quo Hippocrates *lib. de nat. puer.* se deprehendisse refert prima vitæ rudimenta dicat ; *hoc quidem semen sex dierum steterat, &c.* Jnfert Martianus, quod hujusmodi sex dierum spatio Christi fœtus non indiguit ; ex eo quod in illo instanti quo uterus B. Virginis Spiritus sancti virtute concepit corpusculum illud sanctissimum ut iam diximus, fuit perfectè organizatum & ideo concludit, diebus tantum 274. Christum fuisse in utero Matris, & solum ex causa miraculosæ, & instantaneæ organizationis 280. non expleviſſe. 6

Uerum sicut hic Auctor deceptus est in calculando spatio dierum 274. ita suspicor, ipsum errasse in penetranda vera Hippocratis intelligentia, quoad tempus, quo matres gestant uterum. Et quidem errasse videtur in illo calculo, nam in mensibus Christo Domini, iam dixi cum D. Augustino inclu- 7

di 25.diem Martij ; Et ratio est , quia Christi fœtus, ut fatetur etiam Martianus , fuit in instanti aliquo illius diei formatus. Ergo intra illam diem vera fuit ista propositio : corpus Christi est in utero matris. Quod autem includat etiam 25. Decembris patet, quia iuxta veriorem SS. Patrum sententiam , & quam uniuersalis Ecclesia recipit in Officio , & festo Nativitatis Domini, Christus natus est post mediam noctem: terminum nimirum vigesimæ quartæ diei illius mensis *vt Suarez* notat *tom. 2. in 3.part.disp. 12. sect.4.vers.vltimo* Ergo vigesimæ quintæ diei initio Christus erat adhuc in utero matris: alioquin non posset dici natus vigesima quinta die ; & male Ecclesia eius nativitatem tali die celebraret; quod non est dicendum, sed potius errasse Martianum in calculo.

Quod autem textus ex Hippocrate allati, non probent, diem
8 ducentesimam octogesimam necessario pertinere ad menses perfectissimi fœtus, constat evidentissime : Non enim in libro de carnibus dixit Hippocrates , mense decimo completo, vel quarta septimanarum decuria completa , exire fœtum in lucem; sed solum, quod illi qui nono completo , & decimo mense inchoato nascuntur, vivunt. Quoniam habent numerum respondentem ad septimanam: & ratio est, quia quando numeri significant spatium aliquod temporis, seu durationis divisibilis, ut est numerus novem, & decem mensium, vel decuria septimanarum , non sunt accipiendi completi, & exacti, sed satis est , quod sint inchoati; imo si completi intelligantur, faciunt sensum falsum. Sicut si quis dicatur natus decimo mense quocumque die ex illis, quibus mensis ille componitur natus sit, verum est; licet prima, vel vltima die nascatur. At vero si exacta iam vltima v.g. trigesima die mensis completa: non potest dici natus decimo mense, cum sit natus post illam diem , & mensem completum ac proinde intra vndecimum mensem.

Quod autem hæc intelligentia sit ad mentem Hippocra-
9 tis patet , quoniam ipse *libr. de septim. partu partic.* 3. post. quam dixit, quod partus septimestres vivunt quidem , *sed ex his* inquit , *pauci coalescunt , solidumque robur , & incrementum capiunt &c.* subdit , *tamen potissimum hi servantur , qui*

non

noni mensis exitu nascuntur. At exitus noni mensis non attingit diem ducentesimam octogesimam. Et deinde ut doceat quinam sint, qui validiores sunt, ait, *Hique validius degunt qui plurimum ab octimestrium morbis absunt, &c. Nam qui septem quadragentariis eduntur, qui decimestres nominantur, propterea potissimum coalescunt, quoniam validissimi sunt plurimumque absunt à morbis eorum, qui per mensem octavum quadraginta dies male habuerunt, &c.*

Constat igitur, illos fœtus ab Hippocrate descriptos, vocari decimestres, hoc est decimo mense natos, licet decimus mensis non sit expletus, & validissimos dici, qui septimam quadragentariam attingunt, hoc est ad dies 280. accedunt, in quo mense, si nascantur validissimi sunt, quia magis recedunt ab octavo mense fœtibus morboso. Et vulgatus Codex à Mercuriali translatus, hoc idem clarius significat, dum ait, *qui enim in septem quadragenariis nascuntur, decimestres appellati, &c.* sed etiam qui sexta quadragentaria completa nascuntur, nati sunt in septem quadragentariis, licet diem ducentesimum octogesimum non attigerint. Atque ita interpretatur Hippocratem *Christophorus Vega de art. medend. lib. 3. sect. 10. cap. 23.* Dum ait; *Non enim semper attingunt decimestres partus ultimam diem de septem quadragenariis.*

Simili modo est intelligendus *Hippocrates lib. de carn.* dum ait, quod quatuor septimanarum decuriæ dies sunt 280. si enim decuriæ acciperentur completæ, ut credit Martianus, superfluum esset, quod Hippocrates addit, dicens, *In denarium autem hebdomadum septuaginta dies incurrunt, &c.* quibus significat, ultimum denarium, ex quatuor non debere esse completum: Si enim tria prima sint elapsa, hoc est tempus dierum 210. & insuper ultimum denarium ita inchoatum, ut novem menses solares completi sint, idest dies 270. additis præterea decem diebus qui ad numerum 280. complendum requiruntur, iam fœtus, qui hoc tempore nascitur habet numerum exactum ad hebdomadas, quia nascitur in quarta septimanarum decuria. Sed clarius ex Codice Vaticano traduxit Calvus sic; *Quatuor enim septimanarum decuriæ, dies septuaginta, & ducenti sunt*, idest dies 270 pertinent

tinent ad quartam decuriam iam inchoatam, licèt dies 280. non sint exacti, ut imaginatur Martianus.

10 Deniquè expendamus rationem illius in allegato libro de septimestri partu, & ex illa, quam sit ab eius mente aliena, videbimus illa dierum 280. terminatio completa. Ratio illius est, quia partus non imestres, & decimestres, quo magis recedunt ab octimestri, eo sunt validiores; sed quis non videat, quod si uteri virtus sit aliquando major, vel etiam in fœtu iam formato, sit activitas, & efficacia, ad vires sibi per nutrimentum augendas, fieri posse, quod sex aut quatuor diebus ante illam Martiani fatalem diem, eas vires acquisierit, & fortè majores, quàm alius perfectus fœtus habebit die 280. cujus activitas, vel uteri virtus non sit adeo valida? Ergo non repugnat Hippocrati,
11 quod ille fœtus sit validissimus, qui nono mense iam expleto ante diem ducentesimam octogesimam exactam nascitur. Atque ideò Salomon, qui sine dubio inter Heroas, & clarissimos natos, est computandus, de se ipso scripsit *Sap. cap. 7. 2. Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, &c.* id est quinque diebus supra novem menses exactos, ut Pineda notavit *lib. primo de reb. Salom. cap. 10. §. 1. num. 3.* Uel potius sex diebus post novem menses, ut Salomonem verum, etiam in huius temporis imitatione, Christum representaret.

Illud verò, quod ex eodem Hippocrate *lib. de carnib.* affer-
12 tur non probat: Nam Hippocratis verba, iuxta Calvi ex Codice Uaticano translationem sunt hæc. *Hominis vero spatium temporis in matris vulua, & locellis conformandi, septem dies sunt, &c.* Itaque non de tempore, quo fœtus incipit vivere procedunt, sed quo figuratur, & conformatur, & ita sentit *Fernel. lib. 7. de homin. procreat. cap. 10.* Et quidem quatuor argumenta, quibus deinde Hippocrates illam propositionem confirmat, non aliud probant; imo si recte expendantur, probant, fœtum vivere ante diem septimam, ut videbimus in digressione post præsentem sectionem.

Sed si Martianus dictis non atquiescat, & adhuc existimet, Hippocratem esse in illa sententia, ut validissimi fœtus expletum illum numerum arcanum attingere debeant; advertendum

est

est cum *Vallesio in comment. ad lib.3. de morb. popul. sect.3.* quod quando Authores videntur dicere, quod huiusmodi partus, quos Vallesius communes vocat, decem mensium spatium exigant, non novem; *Ita est* inquit, *profecto; quodammodo novem, & quo-* 13
dammodo decem menses sunt, atque ita facilè componuntur Authorum verba &c. Et ratio est quia novem menses sunt menses solares 30.dierum; & decem menses sunt Lunares, qui secundum Hippocratem 28.diebus constant, & Vega citatus *libro primo cap.3, & lib.3. sect.10. cap.23.* notat, quod quando Hippocrates requirit spatium 10.mensium, menses lunares intelligit: sequitur enim partus tempora menstruorum.

Et quamvis Hippocrates decretorios dies, à quibus menses gestandi uterum dicit esse regulandos, observari velit; At non nimis ad hærendum numeris, more quorundam Philosophorum advertere debere Medicos monet, in libro de *morborum septimanis*; His verbis. *Quod numerus septimanus Palladi dicetur, cæteraque pertendat, possit, & faciat, quæ Philosophi Mathematici, numerariique de eo, & perquisierunt, & tradiderunt, Medicorum non est &c.* Et deindè; *nihil enim potest totis, & integris diebus verè, & exactè numerari; Nam, nec anni, nec menses totis, & integris diebus verè, & exactè suapte natura perficiuntur, &c.* 14

Quare ex dictis manifestum est, quod non est attendenda dies ducentesima octogesima ex Hippocratis doctrina, tanquam terminus præcisè necessarius pro perfectissimo partu, sed ex ipsius Hippocratis, & Medicorum doctrina spatium quorumcumque dierum qui sint inter 270. & 280. esse humano fœtui etiam perfectissimo, tempestivum.

Imo quod huiusmodi dierum spatium sit ad mentem Hippocratis, probat *Vallesius comment. ad lib.5. Epidem. sect.13.* & in *comment. ad lib. de carnib.* Cum enim ut discurrit Hippocrates *lib. de nat. puer. partic.26.* & cum eo *Christophorus à Vega cap.23* fœtus ad eam pervenit magnitudinem, ut non habeat in utero matris, alimenti copiam sufficientem; tunc puerulus in lucem exire contendit, calcitrat, membranas disrumpit, quem etiam uteri expulsiva facultas adiuvat, ut egrediatur. Quia vero id contingit 15
communiter, ut experientia constat, inter dies 270. novem mensium

sium solarium, & dies 280. decem mensium lunarium, ibidem cum dixisset: *Non est diutius partum in utero continere, & habere, quàm decem menses &c.* paulo infra partic. 28. rationem reddens ait. *Puer cum in utero crevit, quia mater satis nutricare eum amplius non potest, plus nutrimenti, quam quod adsit, quaritans, non quiescit, membranas lacerat, vinculisque solutus, simul foras exit. Quæ quidem decem menses quàm longissimè peragunt.* Cum enim etiam bruta animantia habeant tempus determinatum nascendi, quando nimirum iam formato fœtu, satis nutrimenti Mater non suppeditat, ita etiam homo debet habere, nec diutius protrahere.

Neque huic Regulæ obstare possunt, quæ Aristoteles adnotavit *lib. 7. de hist. anim cap.* 4. & postipsum Plin. histor. nat. lib. 7. cap. 5. quod omnia animalia, præter hominem habeant certum pariendi tempus, & uni homini multiplex conveniat, nonnullæ enim mulieres pariunt 7. & 8. mense, ut plurimum vero 9. & quarum partus perfectior est interdum non solum 10. mensem attingunt, sed aliquæ, quæ ut notavit Aris ibidem forte male computant principium conceptionis ad 11. 12. & 13. perveniunt: imo ut *S. Bernardus Author est in vita S. Malachiæ* quamdam mulierem gestasse uterum menses 16. & precibus S. Malachiæ adiutam, peperisse: non inquam hæc obstare debent, quasi excedere 10. mensem in gestatione uteri, sit naturali perfectioni adscribendum atque ideo S. Annam portasse in utero sanctissimam filiam Mariam spatio 10. mensium, non fuisse singulare privilegium huius partus, cum idem, & maius aliis mulieribus fuerit concessum.

Nam respondetur ex Hippocr. iam super numero quarto, allato, decimestres partus esse validissimos, & inter naturales, perfectissimos: qui vero excedunt hoc tempus inperfecti sunt & vitiosi, ut *Vallesius* ait, *comment. ad lib. 2. de morb. popul. sect. 3.* ex duplici causa. Uel quia matris viæ ampliores sunt, & abundat in utero nutrimentum; & ideo tardius sentit puer alimenti, 61
& respirationis indigentiam; Uel quia puer ipse infirmus sit, & imperfectus, & ideo tardius nascatur; quare, vel vitio uteri, vel ipsius fœtus defectu contingit, produci partus ultra dies 280. Imo ex revelatione S. Brigit. lib. 6. c. 55. habemus quod divina

providentia

providentia cura speciali astitit huic operi, eo modo quo Aaronis virgam à radice & trunco recisam miraculosè fecit florere. *Singulare* inquit, *& à saculo absconditum facere voluit in opere suo quemadmodum fecit in virga arida floreſcente*: hoc est ut ego intelligo sterilitatis, & ætatis Genitorum B. Virginis duobus impedimentis miraculosè sublatis, ut supra sect. 3. n. 6. dixi, præter hæc omnem naturalem perfectionem voluit habere conceptum Mariæ corpusculum, tam quoad temperiem quam ad pulchritudinem & tempus permanentiæ in utero; ita ut nec minore nec majore tempore esset ibi, quàm quod natura perfectissimo corpori concedit: sicut virga Aaron, ab arbore recisa, non solum in folia & in flores erupit unius diei spatio ut dicitur in 6. num. c. 17. 8. sed postmodum ut Lorinus ibi adnotavit spectante populo fructus & amigdalas produxit, quia inquit, Lorinus *Dei perfecta sunt opera.*

Cum itaque ex doctrina iam allata supra sect. 2. num. 4. *S. Io. Chrysostomi, & S. Thomæ.* Uterum S. Annæ, utpote qui ex miraculo redditus fuit aptus ad prolem concipiendam, & quia vires naturales restitutæ S. Genitori Joachimo fuerunt, non possimus alicujus imperfectionis arguere; & ipsum Deiparæ fœtum perfectissimum supponere debeamus, juxta discursum supra factum *sect.* 2. de perfectione Christi fœtus; Non est cur imaginemur, dies illos sive fuerint 275. sive 276. quibus permansit in utero matris, non esse tempus legitimum, & naturale; præsertim cum nulla ratio, nullaque authoritas in contrarium urgeat; Jmo doctrinæ Hippocratis, & Medicorum hic dierum numerus optime correspondeat.

Dices fieri potuit, quod in hujusmodi conceptione Matris Dei si non præcessit Anima, quod non potest dici; præcesserit corpus juxta probabiles sententias à me in *pr. disp.* allatas.

Fateor, quod si quis ita responderet, neque contra constitutionem Alexandrinam aperte sentiret; hæc enim solùm statuit, ut dies festiua Conceptionis Jmmaculatæ, sit illa dies octava Decembris, in qua anima Deiparæ creatur unitur, & præseruatur à peccato originali; Nec falsitatis facile posset redargui: Sed existimo, quod esset contra Hippocra-

cratis, & Medicorum communem doctrinam, quatenus vltra decem menses, partum huiusmodi perfectum produceret, quod non subsistere naturaliter ex 4. *sequenti sectione* clarius patebit; nisi iuxta sententias Mirindoli, & Fieni dicatur præexistere solum à die 4. vel ad summum 5. Decembris. Sed prius digrediamur circa textum Hippocratis.

Quod ante septimum diem vivat humanus Fœtus in Vtero, est Hippocratis doctrina. Digressio.

DIxi superiori sectione Hippocratem *lib. de carn. partic.* 11. affirmasse de homine iam formato, vitam esse septē dierū; ita enim habet vulgatus Codex ἡ αἰὼν ἐστι τῦ ἀνθρώπυ ἑπτὰ ἡμερῶν siue vt Mercurialis transfert. *Porro vita hominis septem dierum est*: Quia verò hic modus loquendi, aliquibus cum præcitato Martiano, ita videtur interpretandus, ut significet die septima hominem, seu humanum fœtum, tunc primo vitam inchoare; ita quod diebus præcedentibus à prima usque ad sextam inclusive, nullam vitam habeat; necessarium est hoc loco examinare Hippocratis discursum, & etiam verba, ut eius doctrinam, & sententiam illis verbis expressam perfectè teneamus.

Itaque doctus Archiater, & Philosophus, cum à principio libri usque ad undecimam particulam, multa de principiis singularium partium, quæ sunt in humano corpore, earumque generatione, & formatione in particulari de auditus, olfactus, & visus instrumentorum ratione, & constitutione disseruisset tandem ubi in fine particula decima, sermonem suum absoluisset his verbis: *Sic sane res de voce, ac sermone se habet tandem part.* 11. ita incipit. *Porro vita hominis septem dierum est*: Ut autem, quod sibi, his verbis probandum proposuerit, intelligamus; an scilicet vita hominis iam ruditer delineati, & paulatim perfectè confirmandi: An vitam tunc primo inchoatam, siue animam, vtrumque enim significare potest Græca vox αἰὼν ex Thesauro *Henrici Stephani fol. mihi* 258. hoc est quod quærimus: & ne videatur aliud

sibi

sibi proposuisse probandum, & aliud revera probasse ex discursu illius est indagandum, quid revera intenderit, dum dixit: *Terro vita hominis, &c.* Discursus autem, quem immediate prosequitur, quatuor continet argumenta, quæ sequuntur.

Primum est, quod immediate subjungit dicens. *Primum etenim, postquam genitura in uteros pervenit, in septem diebus habet quæcunque corpus habere debet, &c.* Quod late explicans affert experientiam, quam se à meretricibus accepisse fatetur. Hæ namque quando videbant, se in utero concepisse, conceptum intra se perdebant, & genitam carunculam emittebant. In hujusmodi caruncula in aquam injecta, quatenus videlicet in aqua, quæ medium est aëre ipso magis densum, & ideo ad repræsentandas oculo particulas minutissimas, magis aptum, apparebant omnia membra, nimirum inquit, *& oculorum regiones, & aures, & manus, & manuum digiti, & pedum digiti, & pudendum, & reliquum totum corpus manifestum, &c.* & tandem fatetur hæc vidisse sibi ab ipsis mulieribus demonstrata; dum ait, *certè quatenus mihi ostenderunt, hoc ipsum se cognovisse, eatenus scio, ac prodo, &c.* Et nequis ipsum nimiæ facilitatis in credendo illis fœminis argueret; sed imo, ut ostenderet debitam diligentiam adhibuisse, easque de tempore conceptionis interrogasse, his verbis admonuit. *Satis manifestum est, harum rerum peritis, quod mulier, cum in ventre concepit, statim horret, & calor, & dentium stridor consequitur, & convulsio occupat, tum articulos tum totum corpus, & vterum segnities, ac torpor.*

Cum ergo hoc primum argumentum procedat ex visualibus observationibus factis septima die in abortivis; quia in illis omnia membra apparebant iam formata, & distincta, manifestum est non probare, nisi de vita hominis iam ita formati; quare sic procedet argumentum in forma.

Illa dies, in qua postquam genitura in uterum pervenit primo apparent omnia membra, quæ corpus habere debet, idest oculi, aures, manus, &c. est prima dies, in qua homo vivit.

Sed ſeptima dies eſt huiuſmodi,ergo,

Septima dies eſt prima ,in qua homo vivit.

Maior eſt certa, ſi prædicatum illius,ſeu maior extremitas intelligatur de vita hominis tunc primo formati: Incerta,ſi intelligatur de prima hominis vita quæ præciſam membrorum, formationem ſupponat. Nam illi qui ſentiunt,Animam,ut dixi *diſp.pr.ſect.3.n.9.& ſect.7.n.4.* præcedere membrorum formationem,& exiſtere in materia accidentaliter tantum organizata,conſtanter illam negabunt,tanquam falſam:Minor conſtat experientia,ergo primum argumentum,ſi quid probat, de hominis tantum formati vita procedit.

Secundum argumentum proponitur ab Hippocrate illis verbis in eadem *particula* 11.poſitis. *Quod verè vita hominis ſeptem dierum ſit,etiam ex hoc manifeſtum redditur; ſi quis in ſeptem diebus nihil edere, aut bibere velit plerique quidem,in ipſis moriuntur,&c.* Et in forma erit,ut ſequitur.

Dies, quæ ſecundum numerum ſeptenarium reſpondet diei ſeptimæ, in qua homo, ex eo quod ſpatio dierum ſeptem abſtinuerit ab omni alimento,moritur;eſt prima,in qua fœtus humanus vivit.

Sed dies ſeptima eſt illa, quæ ſecundum numerum ſeptenarium reſpondet diei ſeptimæ prædictæ;ergo.

Dies ſeptima eſt illa,qua humanus fœtus primo vivit.

Minorem ſupponit ex praxi, & experientia certam; in pluribus enim contingit, homines qui ſpatio ſeptem dierum privantur omni alimento, vel in ipſa ſeptima die mori,ut dicit his verbis: *Plerumque quidem in ipſis moriuntur*, vel ſi vitam vltra ſeptem dies protrahant, non tamen diù vivunt; & rationem reddens, ait; *Verum venter non amplius ſuſcipit. Ieiunum enim inteſtinum in his diebus concrevit.* Quia nimirum ſtomachus,& alia inſtrumenta ad neceſſariam nutritionem ordinata proprium munus amplius non præſtant; & ſic viventis conſeruationi non inſerviunt.

Et quamvis apud Authores,quos refert *Beyerlinch in Theatr. vit. hum. verbo, alimentorum abſtinentia*, fama ſit nonnullos ad plures hebdomadas, alios ad menſes aliquot, & ad biennium.

biennium etiam alios ab omni cibo, potuque abstinuisse; Tamen regulariter, & vtplurimum testatur Medicorum facile Princeps hominem sic ieiunantem septimam diem non excedere, quæ experientia sufficit ad minorem probandam.

Maiorem non probat, sed tota eius prædicati, & subiecti connexio consistit in intelligenda illa correspondentia, quam continet subiectum illius quod sane non est simplex terminus, sed quoddam complexum ex pluribus, hoc est, quod alicui diei septima dies inediæ, seu abstinentiæ ab omni alimento habeat correspondentiã. At non video quam correspondentiam possit intelligere, nisi illam, quæ connectat prædicatum maioris propositionis, scilicet maiorem extremitatem cum subiecto minoris propositionis, seu cum minori extremitate; est enim illud complexum medius terminus in argumento. Erit igitur sensus maioris propositionis quod illa dies est prima, in qua vivit fætus, quæ secundum numerum septenarium habet correspondentiam, & analogiam cum septima die inediæ illius; sed hæc non potest consistere in habitudine numeri ad numerum, seu septenarij ad septenarium, non solum quia hæc est æqualitas, non analogia, seu proportio; sed multo magis, quia non est, vt ipse admonet *in libris de morbor. sept im.* consideratio numerorum in abstracto Medico digna, sed in concreto solum, & quatenus morbi numeris mensurantur. Itaque analogia erit, quod sic ut septima die moriuntur, qui inediam septem dierum sustinent, ex eo quod instrumenta corporis inepta reddantur ad nutritionem: Et è contra vivunt, qui spatio septem dierum non carent omni nutrimento, propter contrariam rationem; quia videlicet Instrumenta nutritionis suo munere funguntur; Ita fœtus septima die moritur, si spatio septem dierum, nullum nutrimentum habeat, & vivit illa septima die primum, si anteactis diebus debita nutritione non caruit.

Confirmatur, & explicatur Hippocratis discursus magis, hoc modo. Inedia septem diebus continuata, est causa mortis, illamque significat eo modo, quo causa effectum significat ergo carentia huius inediæ, seu status continuatæ nutritionis usque ad septimam diem, arguit vitam, tam pro die septima,

quàm pro aliis sequentibus diebus; nisi aliud de novo adveniat; ergo septima die fœtus, quia habet analogiam ad diem septimam continuatæ nutritionis, primo tunc vivit; quia nutritus est fœtus. At quis non videat hoc secundum argumentum etiam, aut nihil probare, aut supponere, quod fœtus ante diem septimam nutriatur? Ergo non loquitur de Anima, seu de prima vita simpliciter, & in actu primo, qua fœtus vivere incipit; Sed de vita illius fœtus, in quo sunt omnia, quæ corpus habere debet, ut nutriri potuerit; Ergo illis verbis Hippocrates *Porro vita hominis &c.* loquitur de vita hominis, qui iam habet omnia organa necessaria ad nutritionem.

Tertium argumentum simile secundo subdit his verbis *Sed & ex hoc conjectare licet, hominis vitam septem dierum esse. Puer septimestri partu natus, pro ratione natus est, & vivit, & rationem talis habet, ac numerum ad hebdomadas, ac septenarium exactum. Octimestris autem natus nullus unquam vixit, &c.*

Itaque a vita partus septimestris, ad vitam hominis septem dierum procedit argumentum sic.

Quod puero septimestri partu nato convenit, quò ad vitam, convenit fœtui septem dierum: sed convenit vivere puero septimestri partu nato, ergo convenit vivere fœtui septem dierum.

Majorem probat quia uterque habet rationem, ideſt analogiam ad numerum septenarium exactum. Minor patet experientia, & ideo in fine tertiæ decimæ particulæ dicit, *si quis, hoc deprehendere velit, facile est obstetrices adire, & ex ipsis percontari &c.* Sed quicquid sit de veritate maioris, certum est, quod partus septimestris non debet pervenire ad septenarium completum, sed satis est illi, sex primos menses esse exactos, & septimum esse inchoatum; ut ipse ex professo docet *lib. de septim. part. initio*, ubi accurata dierum calculatione facta, infert, *& est tota septimestris summa dimidij anni unà cum aliquantula diei parte, &c.*

Præterea, neque est certa analogia de septimestri partu ad septemdialem fœtum; Nam hic non est semper, & regulariter vitalis: imo in prima quadragenaria plures abortus fieri, monet

ipse

ipse *lib. de septim. part.* 3. ibi, *mulieribus de partubus fidem derogare non oportet: dicunt enim plurima, & abortus plurimos in primis quadraginta diebus fieri, &c.* Et ideo hæc tertia prædictæ propositionis probatio, non tam est argumentum necessariò concludens, quàm verisimilis conjectura. Ideò dicit, *sed & ex hoc conjectare licet, &c.* Uerum quicquid sit, sive argumentum sit, sive probabilis conjectura, non procedit de prima fœtus vita, sed de vita eius, qui iam cæpit formari: Nam septimestris partus, cum quo fit analogia, supponit puerum, & fœtum iam formatum, tempore sex mensium præcedentium.

Quartum argumentum, siue, ut loquitur Hippocrates, signum, simile secundo, & tertio, est ex eo tempore desumptum, nempe septennio, quo pueri solent dentes emisisse. *Est autem*, inquit, *& aliud signum. Pueri septem annis dentes explent.* Sed & hoc argumentum cum procedat de subiecto, in quo iam supponitur, animam habere omnia membra in corpore, & per consequens, vitam iamdiu inchoatam, non potest verificari nisi de Uita fœtus, jam aliquantulum efformati. Itaque nullo modo propositio illa *Porro Vita hominis septem dierum est*, in sententia Hippocratis potest intelligi de prima vita fœtus simpliciter, seu de Anima, quæ est in Actu primo: sed de vita in actu secundo; ideſt de vita hominis, qui jam formari cæpit, & est in via ad perfectam formationem comparandam. Jdeò benè Calvus non tam verba, quàm sententiam Hippocratis traduxit. *Vita hominis conformandi septem dierum est.*

Ex dictis infero, Hippocratem non solùm non dixisse septima die tantùm, vivere fœtum, seu prima illa die tantum, vitam inchoasse, ut jam vidimus: sed ut ex adductis exemplis in 2. 3. & 4. argumento manifestum est, aliquam, vel dubiam vitam supposuisse; Illam tamen certo non asseruisse; quia ante septimam diem, vitam apparere à mulieribus illis non acceperat, & fortasse observari & apparere non potest, propter pusilli corpusculi teneritudinem, ut cum Riolano notavi *disput. pr. sect.* 4. *numer.* 3. De hac autem prima vita, ita cautè scripsit Hippocrates,

Hippocrates,ut à primis diebus,neque omnino illam à fœtu ablegaverit, neque adesse certo affirmaverit : sed tanquam rem dubiam,indicasse contentus fuit.

Quod vero hæc fuerit Hippocratis sententia, non solùm ex prædicta argumentorum structura,sed ex ipsis ejus verbis conjicio. Nam in textu.Græco observo particulam illam ἂν quam Mercurialis transtulit *Porro*,ex græco lexico Budæi,cum significet rem,quam quis auspicatur, vehementer augeri:ita commodè reddi potest, *quicquid sit, hoc certum est, vitam hominis septem dierum esse, &c.* Ideo facit hunc sensum : quod quicquid sit, de vita hominis dubia, ante septimam diem, hoc certum est, & apparet ex demonstratione, septima die fœtum vivere, quia habet omnia membra, quæ corpus habere potest.

Jnfero secundo,primum Hippocratis argumentum non concludere, nisi supponat membra illa inchoata,quæ septima die apparent, esse effectus productos ab Anima, tanquam à causa efficiente, quæ illa sibi in materia producit, iuxta probabilem sententiam à me relatam *disp. pr. sectio* 3. *numer.* 9. *& sect.*7. *num.*6. Nam si membra considerentur tanquam dispositiones, se tenentes ex parte materiæ, & in genere causæ materialis concurrentes ad vitam fœtus:jam ex hoc antecedente, *Die septima adsunt omnia membra, quæ corpus habere debet*, non valeret hæc illatio, ergo adest vita. Non valeret, inquam, quia hujusmodi dispositiones, non sunt in suo genere, seu in ratione membrorum, & organorum completæ, & perfectæ ; sed imperfectæ & rudes ; Perficiuntur, enim, & exactè articulantur membra in masculis spatio 30. dierum, & in fœminis 40. ut ipse fatetur *lib.de nat.puer.partic.*6. & in aliquorum sententia præcedunt formam.Ergò,cum non nisi tanquam effectus à suo efficiente producti considerari possint,ideò optima est illatio. Die septima sunt producta membra, quæ corpus habere debet, ergo die septima adest anima: Sed hoc argumentum ex authoritate Hippocratis ductum tantùm abest, ut mihi adversetur, quod potius maximè suffragatur.

Nam

Nam etiamsi efficiens possit non præcedere suum effectum duratione divisibili, sed esse simul; ut patet; quia si Deus crearet solem in aëre in instanti, in eodem instanti illuminaret; at non potest verificari de illa causa efficiente, quæ producit effectum, qui habeat contrarium, ut sunt ossa V. G. quæ ut generentur, prærequirunt, ut in materia corrumpatur humiditas, & generetur illa siccitas, & densitas, cum quibus stat forma ossis: tunc debet causa efficiens divisibiliter, & in tempore præcedere suum effectum. Ergo tantum abest, vt Hippocrates voluerit per illa verba significare, die septima primum, & non antea, Animam esse in corpore, vt potius ex tali discursu resultet, ante septimam diem animatum fuisse fœtum, & in eo rudem incepisse corporis formationem.

SECTIO V.

A quo tempore sint inchoandi Menses, quibus fœtus in vtero gestantur.

SVMMARIVM.

1 *Conceptio non est sola in utero seminis receptio, aut retentio.*
2 *Sed actio uteri, qua virtus seminalis excitatur ad formandum fœtum.*
3 *Membranas statim formari in utero, asserit Hippocrates.*
4 *Et probat similitudine ducta à crusta panis.*
5 *Eandem probat Galenus, & explicat hanc subitaneam membranarum genereationem*
6 *Idem retetit Avicenna, Fernelius, & Aldrovandus.*
7 *Et ratione probatur ex animalibus ex putri procreatis.*
8 *Seminis virtutem inclinare naturaliter ad sui destructionem, non est absurdum.*
9 *Plurimæ effluxiones, cur primis diebus contingant.*

10 *Signa sensibilia animationis sunt membranæ.*

11 *A prima conceptione menses gestationis esse numerandos, Sacrarum litterarum testimonio probatur.*

12 *Confirmatur Hippocratis authoritate, & ratione.*

13 *Indicia ad tempus Conceptionis cognoscendum.*

IN primis repetenda hic est significatio huius termini Conceptio, quam *disp.2.sect.3.n.3.* cum Fernel.& Fromondo dicebam, esse, non seminis masculini attractionem, aut eiusdem retentionem : Nam benè fieri potest, quod ab vtero, seminante viro, fuerit attractum, & per aliquot horas, aut etiam dies, retentum ; & tamen non ex eo mulier conceperit; quia inquit Fernelius *à fœmineo semine destitutum fuerit, & spiritus eius totus*
1 *evanuerit.* Perinde ac stomachus cibum gravem,& immutabilem, quem traxit, & continet, inutiliter reservat, Imo eius mole gravatur. Sic vterus Mola, quæ non est vera conceptio sed inutilis, gravatur, ut videbimus *Disp.4.sect.vlt.* Verum conceptio, de qua nunc cum Medicis agimus, est uteri actio, qua ipse uterus semen viri avidissime ad se allicit, in se recondit, &
2 suo calore fovens, eius potestatem excitat ; vt ad agendum, & formandum fœtum, erumpat. *Primum itaq. vterus semen attrahit, attractum continet, contentum concipit, non secus atque ventriculus tractum, contentumque alimentum conficit ; vt enim concoctio Ventriculi, sic & conceptio vteri propria est actio, &c.* ita Fernelius loco citato.

Et quamvis, ut patet ex similitudine ventriculi; possit uterus per horas, & etiam per dies semen inutiliter retinere, ex quo causentur aut molæ, aut effluxiones : tamen si vera Con-
3 ceptio fiat, statim membranæ producuntur, vt *disp.pr.sect.7.n.12.* cum Sennerto, Pemplio, & Fieno adnotavi. Nec longe abest Hippocrates. Hic enim *lib. de nat. puer. initio*, ait : *Semen ab*
4 *utrisque profectum, in mulieris locellis remanet, & primum quidem simul miscetur, cogiturque & crassescit, calefactumque densatur ; spiritum deinde concipit, tumescitque vt potè loco calido cum sit. &c.* & paulo infra subjicit : *Cum in calido loco consistat, Spiritum tunc concipit, & emittit, semenque cum perflatur, membranam,*

branam;pelliculamque circumducit,quod enim semen extrinsecus circumdat,densatur,continuaturque cum glutinosum sit quemadmodum in pane cocto, tostcuè membrana tenuis super excitatur ; Nam panis cum calefit , perflatur membrana,pelliculaq. ducitur , sic & semen,&c,

Eadem habet *Arist.l.2.de gen.an cap.4.* Idem sentire videtur Galenus,dum *lib.pr. de semine cap.4.* post repetitam eandem similitudinem crustæ panis,explicans quando , & quomodo fiat in vtero mulieris humani fœtus principium , statim ac semen virile cum sanguine commiscetur , qui est in singulis venarum orificiis; & præsertim quomodo,& quando , *totum hunc sanguinem extrinsecus membrana operiat; hoc enim,* inquit , *non tam ex ratione, quàm ex ipsa rei evidentia necessitatem habet. Membrana siquidem apparet,quæ fœtum ipsum,statim , ubi primum conceptus est, sivè multorum , sive paucorum sit dierum , undequaque circundat, ac continet ; Sæpe numero enim mulieribus post tres , aut quatuor à principio dies semen ipsum membrana circumvolutum excidere consuevit. Quod idem poteris in animalium dissectionibus manifestè deprehendere , &c.* Adducit deinde experientiam allatam ab Hippocrate *lib.de nat puer.* de muliere illa Vxoris suæ famula, & tandem dicit, quod semen *ab omnibus vulvæ partibus appositum, latius distendi cogitur*;quod si ob suam imbecilitatem non *discerpatur,itaut diffluat , atque excidat, statim tota exterior eius pars, quæ vulvam attingit, in membranam concrescit, &c. & cap.7.* ait, *cum igitur unà cum mare fœmina emittit , &c. fit ut utraque hæc semina inter se membranulis copulentur,quas scilicet fœmineum sua progressione tunc efficit semen,&c.* tunc ergo eodem tempore. Et paucis interiectis ait : *Acetabula appellantur venarum capita, per quæ singulis mensibus excrementitius sanguis in vuluam derivatur ; quodcumque igitur ex his orificiis , attigerit semen , statim alimentum illud , ad se adtrahit , membrana ea in parte , utpote quæ recens , ac tenera adhuc sit , patefacto foramine , aditum præbentem , &c. hanc membranam Chorion appellant , &* cap.10. ait. *Consentaneum fuit , ut membranam , quæ vaporosas exhalationes exciperet , latam ac crassam in primo statim con-*

ceptu naturæ genituræ, quæ ob calorem erat exhalatura circumponeret: Nullaque alia præter has est membrana, quæ in primis statim diebus necessario generetur, &c.

Et Avicenna *lib. 9. de nat. Animalium cap. 2.* inhærens Hippocrati, & explicans quomodo in illa muliere Saltatrice intervallo sex dierum condensata adeo fuerit genitura in utero, ut saltus fuerit necessarius, ad illam excutiendam, ait, *Humidum quod decoquit ipsum, facit circa ipsum venire corticem terrestrem, & durum, sicut contingit pani, qui decoquitur in pinguedine aliqua in furno, aut patella, &c. & cap. 4.* ait, *Impossibile est, quod natura non fuerit sollicita, circa istum spiritum.*

6 Fernelius, qui est inter illos, qui animæ rationalis inexistentiam usque ad quartum mensem retardant, ut videre est *lib. 7. de hominis procreat cap. 13.* fatetur ibidem *c. 9.* quod membranæ prima vel secunda die fiant, & deinde *cap. 10.* huius, quam prius descripserat, conceptionis actionem explicans, ait, *hic videlicet spiritus seminis, protinus quasi discusso torpore exurgit, in actusque proprios erumpit, &c.* Et eandem doctrinam de subita membranarum generatione probat Aldrovandus à me citatus *disp. pr. sect. 1. r. n. 11.*

Et patet: Nam fere in momento videmus, gigni ranas ex putri; & post horæ spatium, vermiculos super carnibus, quas muscæ volitantes prolifico contactu tetigerunt, æstivo tempore procreari. At in huiusmodi animantibus, dantur organa, ad motum localem progressivum, ad nutritionem, & ad proprias sensationes necessaria, Ergo non est improbabile, intra eandem diem, produci membranas, fœtum vestientia, quantumvis artificiosam habeant structuram ex venis, & pluribus arteriolis contextam: Si enim calor ignis, vel solis est instrumentum tantæ virtutis, ut ferè in momento introducat in ligno V. G. dispositiones corruptivas formæ ligni, & productivas formæ ignis, cur virtus seminalis, & uteri calor, qui ex Arist. *lib. 2. de gener. ani. cap. 4.* perfectior est calore ignis, non erit post aliquot horas, instrumentum efficax ad introducendas dispositiones corruptivas formæ seminis, & productivas unionis

nis animæ rationalis, quam Deus Naturæ author ibi eadem prima die creat?

Nec debet obstare, quod virtus seminalis hujusmodi, si daretur, esset ad destruendam se ipsam, suamque seminis formam. 8

Nam respondetur quod ad finem generandi aliud, natura omnia semina produxit; & illi Authores, qui actionem hominis generativam in longum protrahunt, hanc eandem solutionem adhibere tenentur.

Neque etiam hic discursus, est contra Aristotelem, quatenus *lib.7.de hist. Animal. cap.7.* dixit, *quæ intra septem dies contingunt, effluxiones dici, non abortus*; Nam Aristoteles hanc doctrinam desumpsit ex Hippocrate, qui *lib.1.de septim part.partic.4.* loquens de primis sex diebus, usque ad septimam, dixit: *Non abortus, & quidem plurimi per hos dies fiunt, quì defluxiones dicuntur, non abortus, &c.* Ubi meritò dicit his diebus plurimos 9 abortus fieri, id est plures, quam aliis diebus: non solum ob maiorem materiæ teneritudinem; sed quia non toties, quoties, vt iam vidimus, uterus mulieris attrahit viri semen, & attractum continet, ea actione quam medicam conceptionem vocavimus, illud actuat, excitat, & disponit, ut sit genitura utilis, & prolifica; sed sæpius projicit, imò etiam actuatum iam, & dispositum, vel ob aliquam violentiam extrinsecam, vel propter aliquem uteri morbum superuenientem, destituit, & destitutum expellit. In hoc ultimo casu non esset effluxio, sed abortus; in aliis prædictis esset effluxio. Quia vero in primis diebus potest id facilius contingere Aristoteles indefinitè dixit, *intra septem dies effluxiones contingere*, id est non omnes eiectiones, quæ isto tempore fiunt, esse effluxiones, sed aliquas, & quidem plurimas.

Quod si intra hoc tempus, ut accidit in casu, quem de muliere illa Psaltria refert Hippocrates *lib.de natur. puer. partic. 2.* contingat, abortum fieri, & appareant signa fœtus animati, 10 nempe involucro tunicarum fœtum vestitum egredi, & esse illæsum, eo quod membranæ sunt integræ, vel si non sint integræ, illarum fractura non demonstrat, fœtum esse compressum,

& indubitanter extinctum, quo caſu, cum adſit fundamentum ſenſibile dubitandi de inexiſtentia Animę rationalis,baptizare oportet ſub conditione. Si autem non appareant huiuſmodi ſigna,vel ſi tunicarum fractura,ita contritum,& diſſipatum fœtum oſtendat;non eſſe etiam ſub conditione baptizandum exiſtimo,deficiente nimirum ratione prudenter dubitandi.

Jtaque ad difficultatem propoſitam,vt reſpondeam, omiſſis eorum placitis, qui voluerunt ab animatione geſtationis menſes eſſe inchoandos, non ab hac, ſed à medica conceptione hoc tempus numerandum eſſe exiſtimo.Primo authoritate ſacrarum literarum;Nam Lucæ *cap.pr.* Angelus Gabriel Deiparam alloquens dicebat,quod *Cognata Elizabeth conceperat filium in ſenectute ſua*; Cuius facti circumſtantiam, & veritatem ut magis declararet, ſubiunxit, *Et hic menſis eſt ſextus illi, &c.* quaſi diceret à conceptione, iam ſex menſes numerantur, & ideo ex utero tumeſcente, & ex motu pueri ſemeſtris cognoſci poteſt,quod concepit : & pariter probatur, quod matris officium inchoandum ſit à puncto conceptionis ex hiſtoria re-
11 lata *lib.2.regum cap.*11. 5. Cum enim nocte præcedente Dauid cum Berſabea adulterium commiſiſſet, ipſa in mane, ut Abulenſis ait, *reuerſa eſt in domum ſuam concepto fœtu mittenſque nunciauit Dauid,& ait concepi.* Ex hębr.vertitur *Genitrix ego*, ut *diſp.pr.ſect.7.n.7.* notaui.

Secundo,quia Hippocrates *lib.2.de morb.popul.ſect.*3.id aperte docuit, dum dixit : *A menſtruis numerandi ſunt nouem menſes,aut à conceptione, & in ducentos, & ſeptuaginta dies Græci*
12 *menſes fiunt, aut contraria, &c.* Hoc eſt à conceptione,ſi hæc nota ſit ; vel ſi hæc incognita,à menſtruis ; & quia Greci,menſes componunt ex triginta diebus,erunt à conceptione communi numerandi, tam pro maſculis, quàm pro fœminis dies 270.vel pro validiſſimis fœtibus,aliquibus additis diebus, aut detractis,pro minus validis. *Et lib.de ſeptim.part.pa t.2.* notat, quod fœminę ſępè errant in menſium numeratione, quia neſciunt quando conceperint.

Tertio:quia tempus animationis eſt incertum,apud Authores,ut *diſput.pr.per tot.* probavi. Ergo non poteſt ab ea numerari

rari mensium gestatio. Tum quia, dum mensium quærimus initium, quærimus à quo tempore mulier facta sit mater, non à quo tempore fœtus sit animatus; sed fit mater in ipsa conceptione; & tunc incipit uterum gestare, ab illa ergo, non ab animatione numerus mensium est inchoandus.

Et si quis diceret, quod tempus conceptionis, modo supra dicto explicatę, non possit præcise cognosci; Respondetur ita esse; sed tamen ex pluribus indiciis Medici conjiciunt. Primum est, si unicus fuit congressus mulieris cum viro; qualis fuit illę Bersabeę cum David; & *Genesis cap.* 25 21. Rebeccę cum Isaac: hęc enim ex expresso testimonio *S. Pauli ad Romanos* 9. 10. *ex unico concubitu* geminos filios Esau, & Iacob habuit. Secundum; inquit Hippocrates *lib. de nat. puer. partic.* 2. *Cum mulier concepit semen, & extra locellos non exilit, sed intus remanet &c. & libr. de carnib. partic.* 11. *peritis etiam harum rerum fœminis liquido clarum fit, cum conceperint. Nam confestim horrent, calescunt, dentes infruendunt &c. & libr. de semin. genital. natur.* siue *de genit. partic.* 10. *si fœmina partus perita sit, secum cogitabit, cum semen non exiuit, scietque, se eo die concepisse, &c.* Erit ergo ex hujusmodi signis nota conceptio ac proinde terminus, à quo menses gestationis sunt numerandi.

SECTIO VI.

Humanum fœtum primis diebus vivere, & contrarias sententias, vel esse contra Medicorum regulas, vel prohibitas ex Alexandrina Constitutione probatur.

SVMMARIVM.

1 *Animatum humanum fœtum esse primis diebus, infertur ex conceptione Deiparæ.*

2 *Non omnis propositio prohibita est improbabilis.*

3 *Omnes*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

3 *Omnes sententiæ Philosophorum de animatione fœtus existimatæ probabiles, videntur jam prohibitæ; præter sententiam Mirindoli, Fieni, Pemplij, & aliorum.*

4 *Si dictæ aliorum sententiæ verificentur per anticipationem, sequitur, perfectissimum fœtum posse esse undecimestrem, duodecimestrem, tredecimestrem, & quatuordecimestrem.*

5 *Solæ Mirindoli, & Fieni Pemplij & Sennerti sententiæ, secundum hanc anticipationem, subsistunt.*

6 *Si autem per posticipationem accipiantur, solæ Pemplij, & Sennerti sententiæ sustinentur; aliæ vero sunt prohibitæ.*

7 *Nec satis est, ad vitandam hujusmodi prohibitionem dicere, quod die 8. Decembris repræsentetur instans Conceptionis, quod re vera fuit in aliqua dierum succedentium.*

CUm ergo ex iis, quæ iam vidimus constet, conceptionem, animationem, & gestationem mensium SS. Virginis Matris Dei, in utero S. Annæ, fuisse usitato naturæ modo factam: nimirum ex Parentum congressu, & cum ea mensium gestatione, quæ perfectissimis fœtibus, à natura præscribitur: neque ex sacris literis, aut SS. Patrum dictis, aut medicinæ, vel Philosophiæ regulis, vel DD. authoritatibus ostendi possit, in prædictis fuisse aliquod supernaturale, & miraculosum; sed solùm in præcedente remotione impedimentorum: & omnia observata fuisse, quæ in aliis perfectis fœtibus communiter inveniuntur, neque appareat voluisse Deum in huiusmodi conceptione medica, ex eo quod esset conceptio futuræ suæ Matris, neque in animatione, quoad tempus, quia ageretur de creanda, & unienda corpori SS. illius Anima, neque in gestatione mensium, aliquid singulare fuisse, vel privilegiatum, nisi imaginari, aut divinare velimus, evidenter infertur, eandem etiam in aliis conceptionibus, animationibus, & mensium gestationibus inveniri: nisi per accidens id est ratione, vel imperfecti temperamenti feminum, vel aliquo languentis uteri morbo, aliud contingat. Ergo in omnibus hominum conceptionibus, à quibus computantur menses, & tempus, quo fœtus gestantur in utero, probabile est dari animationem, vel simultaneam, cum tali conceptione medicè

medice accepta, vel saltem quæ post paucas horas, intra eandem diem, illi conceptioni succedat; nimirum perfecta iam organizatione accidentali, ut dixi *disputatione secunda sectio 3. num. 5.*

Et quidem non est nova ista Conclusio, sed pro ea adduci possunt omnes, qui *disp. pr. sect. 3. n. 9. & sect. 7. n. 6.* affirmant, Animam rationalem informe illud corpusculum informantem, fabricare sibi in eo membra, & organa. Et ex SS. Patribus *S. Cyrill. Alex. lib. pr. in Io. cap. 9. circa med. Nyssen. de homin. opif. c. 29. S. Cæsar. d. disp. pr. sect. 9. num. 3. & 4. & Beda tom. 1. lib. de mun. const. § de certa animæ &c.* citati, qui uno ore asserunt, neminem sanæ mentis dicere, Animam esse priorem, vel posteriorem corpore. Et ex medicis Hippocrates & alij qui illum sequuntur iuxta nostram intelligentiam supra in fine sect. 4. late traditam.

Et probatur, quia quod competit alicui tali ut tali, competit omni tali: sed competit conceptioni Deiparæ, quatenus naturali modo facta fuit, ut esset intra eandem diem animatus fœtus, & gestatus in utero spatio novem mensium cum aliquibus diebus; Ergo in omni alia conceptione perfecta, quæ sit naturalis, erit intra eandem diem fœtus animatus; & spatio novem mensium gestabitur; nisi extrinsecum accidens, acceleret partum, aut retardet. 1

Neque quicquam facit, si quis mihi obiiciat, sententias Ferdin. Menæ, Martiani &c. qui tantùm septima die, animam concedunt humano fœtui; vel aliorum, qui decima; vel decimaquinta die; vel vigesimaquinta: trigesima: trigesimaquinta; quadragesima: quadragesimaquinta: quinquagesima: vel octogesima: asserunt esse animatum, quas *disp. 1. à sect. 2. usq. ad* 10. recensui tanquam probabiles.

Nam respondetur, quod aliud est aliquem librum, verbi gratia, esse interdictum, vel aliquam propositionem esse prohibitam: & aliud est, eandem esse probabilem: probabilitas enim pendet à ratione, & auctoritate, quibus innititur: 2 at vero prohiberi librum, vel propositionem; nihil aliud est, quàm ex legitimo Superioris præcepto, huiusmodi librum non

posse legi, & propositionem non posse doceri: hæc autem duo, ut patet, distinguntur: & fieri potest, quod liber qui continet doctrinam sanam, & quod propositio, quæ aliàs est probabilis, propter commune bonum, & prudentem gubernationem, non expediat legi, & talem propositionem doceri: quæ omnia exemplis probantur.

Sacra Biblia vulgari sermone translata, passim ab omnibus legi, non expedit; & ideo in regula 5. Jndicis à Clemente VIII. publicati, prohibentur: & tamen certum est, veram imo sanctam, & utilem doctrinam, nedum probabilem, continere.

Pariter hæc propositio; Prædictio Astrologica de vita, & morte hominum est saltem probabiliter vera, cum rationi, & autoritati sit innixa, eamque docent *S. Thom.* 3. *contra Gentes c.* 84. *&* 85. *PP. Conimbricenses de Cælo l.* 2. *c.* 3. *q.* 9. *a.* 2. *conclusione* 2. *Thomas Hurtad. de Cælo d.* 2. *sect.* 2. *n.* 79. *Lupus in Luc. nou. S. Inquisit. p.* 3. *l.* 18. *dist.* 2. *a.* 3. *diff. vnica, & Carena de S. Inquisit. p.* 2. *tit.* 10. §. 11. *num.* 71. *&* 72. ubi quod ista propositio est ferè certa. At vero quod hic homo, nempe Sum. Pontifex, vel alquis eius consanguineus, usque ad tertium gradum, tali tempore ad mortem ægrotabit, per Astrologiam prædicere, est prohibitum, ut patet ex *Constit. Vrbani VIII. Inscrutabilis. edita Kal. Aprił.* 1631. Tandem hæc propositio *B. Virgo concepta est in peccato originali*, est prohibita à Paulo V. in publicis, & à Gregor. XV. etiam in privatis actibus, non tamen damnata, aut falsitatis notata, vel improbabilitatis, sed in suo primævo statu, ante Pontificias Constitutiones, relicta.

Constat igitur supradictas sententias, seu propositiones, de tempore quo fœtus humanus incipit esse animatus, in sua probabilitate posse remanere intactas; sed ab emanata SS. D. N. Alexandri VII. potuisse prohiberi, sicuti prohibita iam erat sententia illa affirmativa de Conceptione maculata Deiparæ Nam verbi gratia, sicut ad tollenda scandala, & contentiones
3 in populo Christiano expedire iudicavit Paulus V. ut huiusmodi propositio publice non affirmaretur; pari ratione in Constitutione Alexandrina SS. Pontifex, ne festo Jmmaculatæ Conceptionis aliquid detraheretur, & Christi fideles *à pacifica quasi*

possessione

possessione, illud cultu nunquam immutato celebrandi deturbarentur, potuit huiusmodi sententias tali festo contrarias prohibere, & illas nihilominus in sua probabilitate relinquere. Quod autem illæ sententiæ huiusmodi festo sint contrariæ, sic ostendo.

Et primo ne confusè, & cum obscuritate procedat probatio, reduco hic in ordinem varias illas sententias; quarum prima Canonistis quibusdam, & Criminalistis tribuitur; qui asserunt, fœtum mulieris non esse animatum, nisi post diē octogesimam: secunda sententia, nisi die quinquagesima: tertia sententia, die quadragesima: quinta, die trigesimaquinta: sexta, die trigesima: Septima, die vigesimaquinta: octava, die decimaquinta: nona, die decima: decima, die septima: undecima, die sexta: duodecima, quæ est Fieni, die tertia: decimatertia, Pemplij, & decimaquarta, Sennerti, prima die.

His ita dispositis, & etiam præsupposita sententia Hippocratis, quod tempus quam longissimum, quo partus solet suam egressionem differre, sit decem mensium lunarium, seu dierum 280. si partus non sit vitiosus: iam sic interrogo, & inquiro ab Authoribus illiarum sententiarum. Uel ergo respectu Partus Mariani, in quo habemus duo certa: nimirum, diem animationis octavam Decembris, & diem Nativitatis octavam Septembris, existimant suas sententias esse veras anticipando, vel postponendo: idest vel ante diem octavam Decembris numerando dies 80. 50. 45. &c. & sic deinceps; ita ut prima istarum dierum sit dies matrimonialis congressus inter Genitores, & dies 8. Decembris sit dies animationis; vel post diem octavam prædictam, numerando easdem; itaut isti primi dies, sint dies animationis; ut re vera intendunt, & asserunt isti Authores.

Si dicatur primum; nimirum anticipando, jam sequitur juxta primam sententiam Deiparam fuisse tredecimestrem; imò & quatuordecimestrem; nam à congressu ad partum fuissent dies 354. additis nimirum diebus 79. supra dies 275. qui sunt ab octava Decembris inclusivè, ad octavam septembris; juxta secundam sententiam, quatuordecimestrem; Juxta tertiam, duodecimestrem; juxta quartam, & quintam pariter duodecimestrem; juxta sextam, quæ asserit non

niſi trigeſima die fœtum eſſe animatum, undecimeſtrem : & ſic de aliis uſque ad undecimam ſententiam, quæ addit quinque dies diebus 275. atque ideo concedit, D. Annam geſtaſſe vterum diebus 280. nimirum uſque ad longiſſimum tempus, quo in utero perfecte diſpoſito, partus humanus poteſt permanere. Duodecima vero ſententia, quæ ſolùm duos dies addit diebus 275. quibus ſequitur, Deiparæ fœtum ſtetiſſe in utero materno, cum non excedat in ſumma dierum 277. decem menſes lunares incompletos, & à Medicis præſcriptos, videtur tolerabilis; cum ut vidimus *ſectione tertia numero tertio & nono*, ſatis tempeſtivum, & legitimum tempus egrediendi ab utero eſt à diebus 270. uſque ad dies 280.

5 Ex dictis igitur patet, omnes prædictas ſententias, una, & altera excepta, Fieni nimirum, & Mirindoli, qui ſexta die fœtum dicunt eſſe animatum, eſſe contra omnes Medicorum regulas, & ſolam ſententiam undecimam, duodecimam, decimam tertiam, & decimam quartam anticipando poſſe ſubſiſtere.

Si autem Authores reſpondeant, per poſtpoſitionem verificari debere eorum ſententias; itaut, octava dies decembris ſit annua dies matrimonialis congreſſus, ſeu Medicæ conceptionis; erit juxta primam ſententiam vigeſimaquinta Februarij, dies animationis, vel juxta ſecundã ſententiam dies vigeſimaſexta Januarij: Et ſic de aliis omnibus prædictis ſententiis: Nam juxta duodecimam, eſſet dies decima; & iuxta undecimam, dies decimatertia, & ſic ſemper maior fieret receſſus à die octava Decembris, uſque ad diem vigeſimamquintam, prædictam Februarii. Atque ideo ſolæ ſententiæ Pemplii, & Sennerti admittendæ erunt.

At vero hanc ſententiarum explicationem, & applicationem, quis non videat eſſe ſub graviſſimis pœnis, & cenſuris ab
6 Alexandrina Conſtitutione comminatis, interdictam? Nam per illam, fruſtratur feſtum Immaculatæ Conceptionis, quatenus die 8. non celebraretur ab Eccleſia Anniverſaria dies illius diei, intra quam fuit inſtans, quo Beatiſſima Deiparæ Anima creata, corpori infuſa, & ab Originali præſervata fuit; ſed

ſolum

solùm recoleretur memoria illius diei, in qua inanimatus fœtus coagulatus,& præparatus ad animam,aliqua ex diebus succedentibus, recipiendam?

Neque censuras effugeret,si quis diceret, diem octauam esse per repræsentationem,annualem illam diem in qua anima B. Uirginis fuit creata, & præseruata ab originali macula, eo modo, quo illi qui celebrant festum Immaculatæ Conceptionis cum integro officio octavæ illum primum diem sibi repræsentant: quamvis enim,isti recolerent diem octauam Decembris tanquam annuam illius,in qua vere B.Virginis Conceptio facta fuit sine peccato,tenentur tamen fateri,quod aliis singulis diebus, infra octavam succedentibus,in quibus sæpius repetunt responsoria, versus, & antiphonas, quibus dicunt *Conceptio est hodie, &c.* non intendunt,nisi illam diem esse repræsentativè talem quatenus eam sibi in officio præsentem faciunt. At qui de ipsa octava die decembris ita sentirent quod isti sentiunt de aliis diebus infra octavam, jam indirecte festum Immaculatæ Conceptionis *frustrarent, & in dispositionem revocarent,& in dubium*, an tali die, seu potius alia & sequentibus esset celebrandum hoc festum: quod pariter sub iisdem pœnis & censuris prohibetur;quia interdicuntur in dicta Constitutione omnia scripta,tractatus libri,& interpretationes,quibus directe,vel indirecte,in disputationem, vel in dubium revocatur huiusmodi festum,ut patet *ex pr.sect.n.*10. 7

Verùm quia non est in Ecclesia Dei inusitatum, ut notavit etiam *Suarez in 3.p. to.2.disp.26.sect.3r. vers.secunda ergo, &c.* Quod aliqua festa celebrentur,quadam die,quasi in ea gestum fuerit quod Ecclesia recolit; cum secundum veram anni computationem, sæpe non sit illa dies,in qua talia contigerunt;Sicuti quando Christi mortem, & Resurrectionem colit dicit,ea die Christum esse mortuum, & post resurrexisse; cum revera ita non fuerit; necessarium est, ut in hujus argumenti explicatione paululum immoremur: ita enim sensum, & intentionem Ecclesiæ penetrabimus, quando dicit *hodie concepta est, &c.*& alia similia repetit: quæ ex officio illius diei *sect.*1.*n.*4. adnotabamus.

SECTIO VII.

Proponitur argumentum cujuſdam recentioris contra Immaculatam Conceptionem ex die octavo Decembris deſumptum.

SVMMARIVM.

1 *Citantur Ariſtoteles, D. Auguſtinus, & alij pro ſententia quod fœtus mulieris non ſit ante diem octogeſimam animatus.*

2 *Animam Deiparæ primis diebus miraculosè fuiſſe creatam aliqui aſſerunt.*

3 *Die octava Decembris, quid ſit moraliter celebrari inſtans creationis Animæ Virginalis.*

4 *Eccleſia non celebrat illa die octava mixticnem ſeminum.*

5 *Solet Eccleſia anticipate & poſticipate celebrare aliqua feſta.*

1 Doctor Hyacinthus Arpalegus libellum compoſuit contra diffinibilitatem Jmmaculatæ Conceptionis, in quo tertium argumentum ita proponit. Die octava Decembris ſolum fuit commixtio ſeminum; non vero, fuit Conceptio Beatæ Mariæ, quæ conſiſtit in infuſione Animæ, & in productione ſubſiſtentis perſonæ hæc autem fit poſt 80. dies in generatione fœminarum; ut teſtatur *Ariſtoteles lib. 7. de hiſt. anim cap. 3. & D. Auguſt. lib. 83. quæſt. q. 56. Cyrill. lib. 15. de adoratione verſus finem. Hildeph honſus ſerm. de purif.* quare ſi, quo die eſt concepta, celebrandum eſt eius feſtum, non octaua Decembris, ſed in ultima Februarij, vel initio Martij debet fieri; ergo Eccleſia, vel ſolemnizat die octava Decembris commixtionem ſeminum, quod non poteſt dici; vel ſolum gratias agit Deo, quia iam accipiebat Adventus Mariæ; vel certe, quod facilius eſt morali, modo hoc agit, celebrando nimirum

rum illo die, totum tempus, secundum quod, etiam includitur tempus animationis B. Mariæ.

Hoc argumentum conatur soluere Sa.me. Illustriss. Crespius in suo *Propugnaculo Theologico disp.* 3. *art.* 3. *n.* 38. Sed quia admittit tanquam veram, & subsistentem sententiam, falso adscripram Aristoteli, Sanctis Augustino, Cyrillo, & Hildephonso; quod fœtus fœminarum non animetur nisi post 80. dies, recurrit ad miraculum, & cum Granado, Poza, & Calderon piè meditatur, fuisse ante naturale tempus creatam, die octaua Decembris, Animam B. Virginis. 2

Sed forte considerans hanc responsionem, non satis esse fundatam à *num.* 40. dicit, quod dato, quod transierint in generatione Virginis dies illi 80; & postea Anima eius sit creata, adhuc non sequitur transferendam esse, eius Conceptionis festiuitatem; Nam cum hoc tempus animationis non sit ita certum, vt est certus dies conceptionis fœtus, retro numerando, à die Natiuitatis nouem menses, Ecclesia celebrat die octaua Decembris, in qua coagmentatus est fœtus per anticipationem, instans infusionis Animæ, cum præseruatione ab originali; quod fuit, aliquo ex diebus in spatio nouem mensium incluso: quare negat, Ecclesiam celebrare commixtionem seminum; sed per anticipationem, instans infusionis Animæ. Hanc autem anticipationem, vel etiam postpositionem, non esse inusitatam in Ecclesia Dei probat quia celebrat Officium Resurrectionis, aliquando anticipans: Celebrat Visitationem B. Virginis, die 2. Julij postponendo, cum esset celebranda die vigesima septima, vel vigesima octava Martij: Nam statim ac fuit ab Angelo B. Virgo Annunciata *exurgens abiit in Montana, &c.* & cum à Nazaret ad Montana Judeæ esset iter trium dierum, visitavit Elizabet vigesima octava die circiter. 3 4 5

Hæc Illustissim. Crespius, ante emanatam Alexandrinam Constitutionem respondebat; sed ego, qui sum in alia sententia, & credo non miraculosè, sed naturali modo, creatam, & infusam fuisse Beatissimam Deiparæ Animam; non solum non possũ, in illa pia meditatione de miraculosa Animæ creatione, sed neque in aliis, quæ affert pro solutione argumenti ab Arpa-

lego

lego propositi, acquiescere; & ideo propriam solutionem adducere teneor.

SECTIO VLTIMA.

Solvitur supradictum argumentum & confirmatur, quod fœtus humanus vivat primis diebus.

SVMMARIVM.

1 *Aristoteles lib. 7. de hist. anim. cap. 3. non dicit fœminam post 80. marem post 40. dies vivere.*

2 *Neque SS. Augustinus, Cyrillus, & Hildephonsus.*

3 *Iam non licet dicere quod Ecclesia celebret festum Conceptionis, præter illam intentionem, quæ in constitutione Alexandrina explicatur.*

4 *Non est admittendum, quod Ecclesia anticipate celebret instans Conceptionis die 8. Decembris.*

5 *Ecclesia celebrat aliquando festivitates, tanquam nudum factum.*

6 *Festivitatem Resurrectionis quid sit celebrari, tanquam Sacramentum.*

7 *In isto casu circunstantia temporis hodierni intelligitur morali modo.*

8 *In festivitate quæ celebratur tanquam nudum factum, intelligitur verè, & propriè illud tempus.*

9 *Festum S. Dominici anticipando, Visitationis postponendo celebratur, & quare.*

10 *In celebratione Festorum Immobilium Ecclesia exprimit tempus hodiernum significatione propria, non morali.*

11 *In festo Epiphaniæ triplex miraculum illa die gestum celebratur, ex communi SS. Patrum.*

12 *In festo Assumptionis decimaquinta Augusti, corporis, & animæ B. Virginis Assumptio celebratur.*

13 *Ecclesiæ studium in exprimenda qualitate hodiernæ Festivitatis quàm sit accuratum.*

14 In

14 *In festivitatibus fixis, vt est festivitas Conceptionis, non solet Ecclesia exprimere tempus hodiernum, nisi vera, & propria significatione.*

15 *Ideo merito Sum. Pontifex Alexander VII. declaravit in hoc sensu celebrari festum Immaculatæ Conceptionis.*

MIrum est quod gravissimi Authores decepti fuerint in allegatione textus *Aristotelis citati lib. 7. de hist. anim. c. 3.* 1 quod ego illa solum de causa factum puto, quia textum illum non recognoverint: Nam revera si sola Aristolis verba legantur, eam nunquam fuisse sententiam ipsius, evidentissime apparebit: Jbi enim non loquitur de animatione, quæ sit vita in actu primo sed de motu, & operatione, quæ est vita in actu secundo; quod etiam *disp. 2. sect. 4. n. 27.* adnotavi. Uerba Aristotelis sunt hæc. *Mares fœtus, magna ex parte. circa quadragesimum diem dextro potius latere mouentur; fœminæ sinistro circa nonagesimum, &c.* Et quidem de motu perfecto, & manifesto, esse intelligendum Aristotelem, notavit *Martialis in adnotat. ad libr. prim. Hippocr. de morbis mulier. partic.* 10. sed neque D. Augustinus eo loco, tempus illud animationis observat: solum 2 enim numerum 276. dierum, quibus perfectus Jncarnati Uerbi fœtus mansit in Utero Matris, ut supra *sect. 2. num* 3. dixi, observat.

S. Cyrillus loco citato sic loquitur. *Si mas sit fœtus in utero conceptus, vix post quadraginta transactos dies formam accipere: sin fœmina tardius eam ad hoc pervenire, &c* Jtaque non de animatione, sed de formatione loquitur. Et idem sentit S. Hidelphonsus. Jtaque argumentum Arpalegi caret fundamento solido: Jmo tam *disp. pr. per tot. quàm supra in Digressione ad text. Hippocr.* contrarium omnino esse verum probavi, & repetam *disp. 4. sect. 5. n. 4.* etiam ad mentem Hippocratis.

Secundo respondeo jam post emanatam Constitutionem SS. D. N. Alexandri PP. VII. non licere asserere, quod festum Conceptionis celebretur ab Ecclesia, ea intentione, ut dicit Arpalegus gratias agendi Deo, pro eo quod die 8. Decembris sterneretur via, per quam hæc Evangelici diei op-

tatissima appropinquaret Aurora : sed colendi illud instans, in
3 qua eius Anima fuit creata infusa,& sanctificata : Et hanc fuisse antiquam consuetudinem omnium Fidelium, qui in hoc sensu eius Conceptionis festivitatem solemni ritu celebrant, disertis verbis declaravit SS.Pontifex,ut supra *sectione secunda numer.6.* adnotavi.

Tertio fateor,me non invenire discrimen inter argumentum Arpalegi,quo ad eius ultimam partem, in qua dicit, Ecclesiam die 8.Decembris non celebrare seminum commixtionem, sed instans creationis Animæ,modo morali, & quatenus per anticipationem in illa die, colit totum tempus quatenus in eo, tale
4 instans continetur; & inter solutionem Episcopi Crespij, dum pariter hic dicit, Ecclesiam celebrare per anticipationem 8. die Decembris hoc idem instans,quod fuit in aliquo ex diebus, qui sunt,retro numerando,ab 8.Septēbris,ad 8.Decembris, quod si
5 nulla differentia est nisi in verbis, ut mihi videtur profecto sequitur Arpalego concessisse, quæ volebat, & quæ post emanatam Cōstitutionem,quam ipse deinde tanto studio ab Apostolica Sede impetravit,nullatenus concessisset.Hoc enim est indirectè sentire contra festum,& cultum Immaculatæ Conceptionis,illumque numquam immutatum frustrare,quæ omnia prohibentur in dicta Constitutione,ut cōstat ex adnot.*d.sect.2.n.7.9.*

At vero ut Argumentum Arpalegi etiam quo ad ultimam partem penitus convellatur,advertenda est etiam hic,& inserenda verissima S.Augustini doctrina, qua ipse *in Epistola 119. ad Ianuar.* respondet eidem percontanti, cur in Ecclesia *anniversarius dies celebrandæ Dominicæ passionis,non ad eundem redeat anni diem sicut dies qua traditur natus?* Quod est quærere cur in Ecclesia Pascha Resurrectionis sit festum mobile, & festum Natalis Domini fixum sit,& immobile.

Respondet D.Augustinus, *oportet,ut noveris, diem natalis Domini, non in Sacramento celebrari ; sed tantùm in memoriam revocari, quod natus sit ; ac per hoc nihil opus erit, nisi revolutum Anni diem, quo ipsa res acta est, festa devotione significari. Sacramentum est autem in alia celebratione, cum rei gestæ, ita rememoratio fit, ut aliquid etiam significari intelligatur, &c.*

Quod

Quod perinde est, ac dicere, quod Nativitas Domini celebratur ab Ecclesia tanquam purum factum, at vero mors, & re- 6
surrectio Domini etiam tanquam mysterium, & Sacramentum; sive ad significandum aliquid, quod ad salutem, & profectum pertinet animarum.

Explicat deinde S. Doctor, quid intendat Ecclesia significare per hanc Paschalem festivitatem, quod scilicet, sicut olim Populus in memoriam, & gratitudinem accepti beneficii, dum ab Angelo exterminatore transeunte, & percutiente primogenitos Ægyptiorum, Primogeniti Judæorum liberati sunt; vel sicut propter transitum Populi ex Ægypto in terram promissionis, Luna decima quarta mensis primi, seu novarum frugum celebrabat Pascha: Ita, & nos propter transitum Christi ex hoc mundo ad Patrem, & à morte ad vitam, & propter transitum nostrum à morte spirituali, ad vitam gratiæ, & ad spem futuræ gloriæ, celebrare debemus Passionem, & Resurrectionem Christi in mense novarum frugum, id est circa Æquinoctium vernum, ut nostram renovationem profiteamur die Dominica, qua Christus resurrexit; & ut cum Concilio Niceno recedamus à ritu Judæorum, illa Dominica, quæ im- 7
mediate sequitur post decimamquartam Lunam Æquinoctij verni quæ omnia late, & plene prosequitur *Suarez de Religion. tom. pr. tract. 2. lib. 2. cap. 6. per tot.* & præsertim *à n.* 22. & D. Augustinus concludens ait. *Transitus ergo de hac vita mortali in aliam vitam immortalem in passione, & resurrectione Domini commendatur, &c.*

Cum itaque constet Ecclesiæ intentio in hac Paschali festivitate mobili, à qua alia festa mobilia per observata temporum interualla dependent; dum in his festivitatibus V. G. in Paschali Officio utitur illis verbis *hæc dies quam fecit Dominus, &c.* & in oratione eiusdem diei illis aliis *Hodierna die per Vnigenitum tuum æternitatis aditum devicta morte reseraſti, &c.* cui- 8
dens est, quod non potest nisi repræsentativè, & morali modo illa verba intelligere. Quare ex celebratione huius festi, quod recolit tanquam Sacramentum, & mysterium non potest inferri quod in aliis festivitatibus, quas solum tanquam aliquod

geſtum, & nudum factum in memoriam revocat, & non proponit tanquam Sacramentum, uſitatum ſit in Eccleſia voces illas *hodie, &c. hodiernæ feſtivitatis, &c.* & ſimiles, moraliter, & per anticipationem, vel poſtpoſitionem uſurpare, & illas feſtivitates extra proprias, certas, & determinatas dies, ſine magna, & proportionata cauſa celebrare.

Et ideo non die 6. ſed 4. Auguſti celebrat anticipate feſtum
9 S. Dominici, quia ita Paulus IV. in ſua Conſtitutione, quæ eſt decima quinta in Bullario, diſponit; ex eo quod die 6. qua Sanctus obiit, impedita ſit Eccleſia in celebranda Domini Transfiguratione; & die quinta, quæ fuit dieseiuſdem Canonizationis in celebranda feſtivitate S. Mariæ ad Nives.

Similiter diem Viſitationis non celebrat paulo poſt Angeli Salutationem, die vigeſima octava Martii quia ex Evangelio non eſt certa dies, qua Viſitatio illa inceperit, ſed ſolum certum eſt tempus, quando completa fuit, dicente Evangelio, quod *manſit* B. Virgo cum Elizabet in eius domo, *quaſi tribus menſibus*, hoc eſt, quod diſceſſerit ab illa, paulo poſt, vel paulo ante Natiuitatem Præcurſoris; & hac de cauſa; ut notavit *Azor. tom. 2. lib. 1. cap. 23. quæſt. 2.* celebrat Eccleſia ex ordine Vrbani VI. hanc actionem, ſecunda die Julii, poſtponendo.

Jgitur, quando Eccleſia in diebus fixis Jmmobilibus celebrat feſtivitates, & nulla cauſa ſuadet anteponere, vel poſtponere,
10 ſed in illis diebus, quibus vel memorabilis aliqua Domini, & Sanctorum actio, vel glorioſus Sanctorum tranſitus annuatim recurrit, claris verbis, & indubitata ſignificatione declarare conſuevit. Id quod inductione per aliquot inſignes Feſtivitates probatur facile.

Jdeo in Hymno Nativit. Domini, dicit, *teſtatur hoc præſens dies currens per Anni circulum, &c.* & in Evangelio illius diei Antiphonis, verſiculis, & reſponſoriis, pluries repetit, & affirmat, illam eſſe annuam diem Nativitatis Domini: Similiter in die Circumciſionis, quæ eſt octava Natalis, teſtatur verbis Evangeliſtæ, quod *poſt quam conſummati ſunt dies octo, circumciſus*
11 *eſt puer, &c.* & die 6. Janvarij, quia Magorum adorationem, Chriſti Baptiſma, & primum miraculum converſionis

aqua

aquæ in vinum celebrat, eo die, facta fuisse, tria miracula dicit in antiphona *tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus: Hodie stella Magos duxit ad Præsepium: Hodie Christus baptizari voluit: hodie vinum ex aqua factum est ad Nuptias, &c.* & in Hymno eiusdem diei, tria ista miracula repetit tanquam eadem die facta. Et licet S. Epiphanius, & aliqui, aliter senserint: tamen vt Suarez *in 3 part. tom. 2. disp. 26. sect. pr. vers. Quo circa, &c.* omnibus in contrarium adductis respondet, & authoritate SS. Patrum, Ambrosij, & Augustini, Leonis, Maximi, Paulini, Isidori, Bernardi, & Chrysologi eadem die, sed non eodem anno, tria ista miracula sexta die Ianuarij gesta fuisse concludit; & idem repetit *tom. pr. de Relig. d. lib. 2 cap. 5. n. 9.*

Item quia 2. Febr. postquam dies quadraginta *impleti sunt purgationis Mariæ secundum legem Moysi*, vt loquitur Euangelium illius diei, Christus, à B. Virgine in Templo est præsentatus, Ecclesia in oratione illius diei, dicit, quod Filius Dei, *Hodierna die cum nostræ carnis substantia in Templo est præsentatus.*

Pariter die decimaquinta Augusti, festum Assumptionis B. V. celebrat, & dicit in antiphona. *Hodie Maria Virgo Cœlos ascendit, &c.* & in Lectionibus Secundi Nocturni, semel, & iterum repetit hanc diem esse illam, in qua B. Virgo Assumpta est in Cœlum. etiam corpore. Neque obstare debet, quod aliqui dicunt de eius Assumptione secunda, quam distinguunt à prima, in hoc quod dicta decima quinta die fuerit quò ad Animam assumpta, & hanc secundam quo ad corpus, die vigesimatertia Octobris in cœlum elata; quibus etiam placuit hanc secundam Assumptionem addere vener. Bedæ Martylogio, sub hac die 23. Octobris. Nam horum fundamentum fuit quædam priuata reuelatio, quam refert, & refellit Baronius *in notis ad Martyrolog. & in Annal tom. pr. ann. Christi* 48. *num.* 17. vbi acriter inuehitur in illos; qui circa huius historiæ veritatem dissentiunt à communi sensu vniuersalis Ecclesiæ; & potius priuatam reuelationem, seu imaginationis figmentum sequuntur, non attendentes, quanta constantia ab antiquissimis Apostolorum temporibus, ipsa Ecclesia versibus, responsoriis, antiphonis, & lectionibus, vna cum assensu SS. Patrum, quos ipse Baronius refert 12

fert,& Scholasticorum crediderit,vtramq. Assumptionem die 15.Augusti factam fuisse, & ideo eius officium,& Festiuitatem nullatenus die 23 Octobris,sed 15.Augusti celebrari debere;vt iam inquit ipse,*nullus remaneat dubitandi locus,& perfrictæ frontis,& procacis sit Animi indicium,Ecclesiæ Vniuersalis vsui,& tot Patrum sententijs non acquiescere.*

Pariter Ecclesia diem vigesimam quartam Junij dicit in Oratione esse *honorabilem in Natiuitate S. Io.Baptistæ*, quia illa die natus est:& diem vigesimam nonam eiusdem Mensis esse *hodiernam*,quia martyrio *SS.Apostolorum Petri,& Pauli est consecrata*.idem obseruat in Festiuitatibus *Conuers.S.Pauli,S.Apollinaris,& Exalt.S.Crucis.*

Et tandem quia quarta die post completum annum Nativitatis Christi, iuxta sententiam Bedæ,Glossæ ordinariæ.Haymonis, Ugonis,Card.Baronij, Ribadeneiræ, Marsilij,Honorati, & Sylveiræ in Evang. hac die Herodes pueros infantes trucidavit Ecclesia dicit, *hodierna die illos Christi nati praconium confessos fuisse.*

13 Postremo addo quod in Summis Pontificibus, tam accuratum fuit semper studium non enunciandi in officio Divino diurnam festivitatem immobilem, nisi quando revera, quod celebratur,tali die gestum fuit;ut nuper in ultima Brev. Rom. restauratione de ordine Fel.recor.Vrb.VIII.facta,cautum fuerit, quod in Officio Confessorum, illa verba Hymni vesperarum *hodie lætus meruit beatas scandere sedes*.non recitentur;sed loco illorum proferantur alia,*hodie lætus meruit supremos laudis honores*, quando,vel anticipatur festiuitas,vt in die S.Dominici; vel postponitur,vt in offic.S Io.Chrys.die 27.Ianv.qua nõ eius ad Cœlum transitus,qui fuit die 14.Sept. sed corporis translatio celebratur ; eo quod illa dies festo S. Crucis sit impedita. Eandem adhibet cautelam in officiis Sanctorum Hilarij, Pauli primi Herm.Hyacinthi,& S.Thomæ à Uillan.

14 Ex dictis colligo,non solùm non esse indistinctè concedendum Arpalego, quod in Ecclesia vsu sit receptum anticipare, vel postponere, sine aliqua causa,immobiles festivitates, quibus aliqua actio,vel historia recolitur per modum nudi facti,

&

& non per modum Sacramenti, ut evidenter conſtat ex inductione iam facta; & per conſequens nullatenus eſſe admittendum, quod voces quibus vtitur Eccleſia, ad ſignificandam hodiernam feſtivitatem, ſint intelligendæ moraliter, & per anticipationem, aut poſtpoſitionem; ſed imo infero, contra ipſum Arpalegum, quod quando nulla ratio, & nulla cauſa occurrit quæ Eccleſiam impulerit, ad anticipandam, vel poſtponendam illius feſti immobilis celebritatem; tunc illas voces uerè, ſimpliciter, & cum omni proprietate ſignificare illam particularem diem eſſe in qua talis actio contigit, & geſta eſt: Sed ex dictis in hac 2. *diſp.* nulla ratio ex doctrina Medicorum occurrit; nulla cauſa ex Philoſophiæ principiis petita cogit; vt patet ex ſupradictis, nullum Sacrarum litterarum teſtimonium, aut unanimis SS. Patrum aſſenſus, ut præſertim *ex prima diſp.* patet ex quibus Eccleſia dici poſſit inducta, ut potius hac die 8. Decembris per anticipationem, aut poſtpoſitionem Immaculatam Deiparæ Conceptionem celebrare debuerit: Ergo dum in officio Conceptionis dicitur. *Hodie concepta eſt*, & ſimilibus vocibus ſæpe iteratis vtitur; intelligi debet, quod in hac annua die celebrat, non repræſentativè, non moraliter, & quo ad aliud tempus: ſed propriè, & ſimpliciter ſecundum annualem memoriam huius diei, illud inſtans in quo eius beatiſſima Anima creata, unita, & ab originali labe præſervata fuit.

Quare San. Me. Pius V. non in diminutionem huius feſtivitatis, vt crediderunt aliqui ſed in augmentum ordinavit, ut pro Officio Conceptionis, Antiphonæ, & Reſponſoria Officij Nativitatis eiuſdem Virginis recitarentur; toties nimirum geminato nomine, hodiernæ feſtivitatis, hac die Conceptionis, quoties, illa die Natiuitatis, nomine hodiernæ celebritatis non moraliter, ſeu per anticipationem; ſed vero proprietatis ſermone repeti iam cõſueverant. Et ideo merito SS. D. N. Alexander PP. VII. in ſua Conſtitutione declaravit, fuiſſe *Veterem fidelium pietatem, in hoc ſenſu feſtiuitatem hanc, cultu nunquam immutato colendi, & ſolemni ritu celebrandi.*

Duo hic pro huius diſputationis coronide concludo. Primum

mum quod ſicut Chriſti Domini & Deiparæ corpuſcula licet illud quidem Spiritus ſancti virtute in inſtanti fuerit conformatum, hoc vero ita vi humana conceptum, ambo nihilominus decimo menſe venerunt ad lucem, quia perfectiſſima erant, & à natura exquiſitiſſimam temperiem & vigorem fuerant ſortita.

Alterum quod hic repetitum eſſe volo, minorem propoſitionem mei argumenti hac *diſp. 3. ſect. pr. n. 6.* propoſiti, quod nimirum fœtus humanus primis diebus ſit animatus, eſſe adeo veram, & ita probabilem, ut ſola, inter omnes alias, ſine periculo cenſurarum, & ſine nota abſurditatis defendi poſſit: & quia ſola poteſt cum pia ſententia de Immaculata Deiparæ Conceptione, quam omnes fere celebriores Academiæ aſſerunt, concordare, ſequitur non parum illi ponderis, & authoritatis ex præcitata Conſtitutione acceſſiſſe.

Finis Tertiæ Diſputationis.

DE

DE MINISTRANDO

BAPTISMATE

SVB CONDITIONE

HVMANIS FOETIBVS ABORTIVIS.

Disputatio Quarta.

INDICVLVS SECTIONVM

Sectio I. CONFIRMATVR argumentum ab Immaculata Conceptione petitum, solutione cuiusdam obiectionis contra ipsum.

II. Examinatur Revelatio B. Amadei circa tempus, quo Deiparæ Fœtus fuit primo animatus.

III. An cohæreat cum doctrina Catholica, quod ante formationem membrorum Anima rationalis sit in corpore.

IV. Declaratur quomodo, animam rationalem esse in fœtu primis diebus non sit error Traducianorum.

V. An argumentum ductum ab animatione pulli gallinacei per regulam auream probet animationem humani fœtus, non fieri nisi post 40. aut 80. dies.

VI. An possessio, quæ videtur esse pro fœtu non animato obstet, quominus baptizandi sint abortiui.

VII. An Doctrina probabilis S. Thomæ de præcessione animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ in humanis fœtibus ostendat, quod primis diebus fœtus non sit animatus anima rationali.

VIII *Defenditur argumentum ex S. Thoma superiori sectione allatum.*

IX. *Proponitur argumentum Guilelmi Haruæi, quo ipse probare intendit, ante mensem exactum, nihil ad fœtus pertinens esse in utero mulierum.*

X. *An fœtus humanus primis diebus existens in utero Matris mox morituræ sit baptizandus.*

IX. *Rursus examinatur difficultas, an praxis Baptizandi abortivos tanquam nova, sit ab universali Ecclesia eliminanda.*

XII. *Huiusmodi praxis Baptizandi recentes abortivos non est inconueniens.*

XIII. *Non potest S. Mater Ecclesia, notari quod huc vsque huiusmodi praxim non decreverit.*

XIV. *Etiamsi humanum Iudicium non sit sensibiliter certum sed dubium: an in recentibus abortivis sit anima rationalis, baptizandi sunt sub conditione.*

XV. *An obligatio Baptizandi cesset ex eo, quod aliquæ rationes probabiles suadeant animam non esse in fœtu.*

XVI. *Expenditur iterum argumentum ex puncto saliente petitum; ex cuius solutione confirmatur animæ præsentia in fœtu.*

XVII. *Occurritur argumento ex vermiculis in lacte repertis deducto.*

XVIII. *An doctrina speculativa probans animam rationalem non esse in fœtu, satis sit, ut quis non teneatur baptizare abortivos.*

XIX. *Principalis obiectio, ex Divina providentia erga universalem Ecclesiam, iterum discutitur.*

PRÆLOQVIVM.

MULTA sunt à multis, contra meam propositionem obiecta quæ ad meam notitiam pervenerunt: sed illorum efficacia tanta non fuit, ut assensum impedire potuerit, ne crederem baptizandos esse huiusmodi

di Abortivos, ex eo, quod dubitari merito posset, de existentia Animæ rationalis in fœtu, primis diebus. Quinimo, ea de causa factum est, ut solutionem illorum attente meditatus, semper nova argumenta deprehenderim, quibus dicta conclusio, non solum firmior in dies evaderet, sed evidentior, & ut veritatis est conditio, quo magis à contrariis fluctibus impetitur, eo magis læta supernatans, mihi semper de obiectis triumphare visa est: nimirum; ut aliquis Philosophorum dicebat, vis aliquando adhibita veritati, facit illam validius emergere, & quæ prius erat aliquatenus intercluſa, mox spiritu robustiore reviviscere. Amicos propterea rogavi, ut libere opponerent, quæcunque contra illam cogitassent; Et alij, etiam non rogati, quod libenter, imo avidissime accepi, sponte obtulerunt. His omnibus satisfacere non solum sine bile, sed imo grato animo curavi; adeo ut, etiam illis merito acceptam referam impugnatæ veritatis defensionem, & palmam. In præsenti igitur Disputatione ex pluribus, quæ fuerunt in contrarium excogitata principaliora recenseo; quorum enodatio propositæ veritatis faciem magis obfirmatam, & pulchriorem ostendunt.

SECTIO I.

Confirmatur argumentum ab Immaculata Conceptione petitum, solutione cuiusdam obiectionis contra ipsum.

SVMMARIVM.

1 *Ex die 8. Decembris Immaculatæ Conceptioni addictæ non bene inferri tunc Marianum fœtum fuisse animatum, opponitur.*

2 *Festum Nativitatis B. Virginis antiquius fuisse festo eiusdem Conceptionis revocatur in dubium.*

3 *Dies 8. Septembris non fuit, ad libitum Ecclesiæ, dedicata Marianæ Nativitati.*

4 *Sed ex privata revelatione Sum. Pontifici renunciata, & ab eo approbata.*

5 *Refertur dicta revelatio.*

6 *Quæ videtur facta tempore S. Gregorij P P. & fortè ante ipſum.*

7 *Conciliatur alia revelatio facta tempore Innocentij IV.*

8 *Aſſerunt aliqui, Feſtum Nativitatis celebratum fuiſſe tempore Apoſtolorum.*

9 *Etiamſi daremus diem 8. Septembris ad libitum aſſignatam fuiſſe Marianæ Nativitati, ſuſtinetur adhuc die 8. Decembris eius fœtum fuiſſe animatum.*

10 *Et rejicitur, quod idem non poſſit inferri de Chriſti Conceptione.*

EXordior hanc tertiam Diſputationem à reſiduo præcedentis; Cum Adm. R. Pater G. N. Societatis Jeſu Inſignis Theologus, & Philoſophus, Antuerpiæ hoc anno 1664. vidiſſet in folio à me ſuperiore anno Lucæ impreſſo, nonnulla, quæ in hac Diſputatione continentur; & illa præſertim, quæ infra *ſect.* 10. 11. & 12. affero ad probandum, quod meæ propoſitionis praxis non foret nova, ſi à S. Romana Eccleſia univerſaliter proponeretur; Et illa pro ſua humanitate commendaſſet tamquam ſolidis, ut dicit, rationum momentis innixa, & nonnullis adjunctis etiam confirmaſſet: Quia tamen præcipuam difficultatem in eo eſſe ſitam exiſtimavit; An dubium ſit vtrinque probabile; quod fœtus humanus primis diebus vivat vitam rationalem; tunc præſertim cum ab utero per Abortum effunditur; Nonnulla ex iis, quæ ad id probandum adduxeram, reprehendit: & præſertim, argumentum ſuperiori diſputatione explicatum, & ab Immaculata Conceptione deſumptum; Vt igitur finis ſuperioris Diſputationis, ſit principium præſentis, hic in primis eius objectionem expendo,

1 Dicit igitur, quod licet Eccleſia celebret Immaculatam Dei Matris Conceptionem die 8. Decembris, hoc eſt novem menſibus ante eius Nativitatem: quo ſanè die Anima B. Virginis

erat

erat in fœtu, & in eo, intra uterum clausa stetit, usque ad diem octavam Septembr. qua pariter celebrat eius Nativitatem: Non tamen me posse, ex hoc inferre concludenter, eius Sanctissimum Corpus die octava Decembris, fuisse animatum; nempè prima die copulæ, seu die medicæ conceptionis, certissime asserit. Nam, inquit, dies Nativitatis celebratus fuit ab Ecclesia antequam celebraretur dies Conceptionis; Et cum propter diversam uteri, & seminum activitatem, distantia Nativitatis humanæ à Conceptione, modo possit esse maior, modo minor: Atque ideo dies conceptionis præcise sit incertus; illum terminum assignavit Ecclesia Conceptioni, qui communiter præfigitur, nimirum diem octavam Decembris, spatium novem mensium, quod Nativitatem solet præire. Atque idem si foret opus, inquit, dici posset de festo Annunciationis spatio novem mensium præcedente, diem Natalem Domini, qui pariter ante diem Annunciationis in Ecclesia cœpit esse festivus. Monet autem opus non esse, ita de festo Annunciationis ratiocinari; quoniam, inquit, nullum formari potest argumentum, ab opere Spiritus Sancti, ad opera Naturæ.

Respondeo, me facile posse negare, quod supponitur, tanquam certum in argumento, nempe festum Nativitatis Deiparæ, prius fuisse in Ecclesia celebratum, quàm festum Conceptionis: Si enim credamus pluribus, quos refert *Velasquez de Concept. libro quarto dissert. pr. adnot. 1. numero secundo, usque ad* 8. dies Conceptionis Mariæ cœpit esse festivus à temporibus Apostolorum, & noster P. Marraccius in meditam. super Bullam Alexandrinam fol. 108. inclinat: at verò *ex sermone* 20. *&* 21. *de Sanctis D. Augustini*, constat, Nativitatem Deiparæ temporibus hujus Sancti Doctoris, non fuisse adhuc in Ecclesia Romana festivam. 2

Sed esto; ut vim argumenti perpendamus; transeat prius tempore fuisse celebrem B. Virginis Nativitatem, quam Conceptionem, non tamen concedo, quod Pater G.H. affirmat, diem octavam Septembris fuisse ad libitum, & ad arbitrium Ecclesiæ addictam Marianæ Nativitati. Cur enim dicemus Ecclesiam Dei, quæ Divini Spiritus fulgore illustrata, non casu, & temere; 3

temere; sed summa Sapientia omnia decernit, hanc diem octavam Septemb. Natalitio Virginis dedicasse, sine aliqua ratione, tantumque pro libito: cum alioquin habeamus post D. Augustini tempora, ex particulari, & privata aliqua revelatione, innotuisse Summ. Pontifici, diem 8. Septembris esse B. Virginis Natalitiam?

Narrant enim Authores non contemnendi *Io. Belethus lib.* 8.
4 *cap.* 51. *Author libri, qui dicitur Gemma,* sive sit Honorius Augustudonensis, sive alius: *libro tertio, cap.* 166. *Durand. in rationalibus libro septimo cap.* 28. *Azor.* 2. *part. instit. moral. lib.* 1. *cap.* 19. *quæstione prima, Constantinus Felix in Martyrol. Bernardin. de Busto part.* 3. *serm. de Nativit. B. M. lit. T. Gavant. in comment. Breviary sect.* 7. *cap.* 12. *numero octavo Beyerlink in Theatro Vitæ humanæ verb. festum, fol.* 37. *& Baronius. & alij testantur,* quod quidam Vir Sanctus contemplationi deditus, singulis annis octava die
5 Septembris, & non alia, orans, jucundissimam Angelorum festivitatem audiebat in Cœlo; Hujus causam, Deum deprecatus, audivit esse, quod octava Septembris B. Virgo Maria nata esset in terris; & sibi præceptum fuit, ut omnibus Christi fidelibus, præsertim vero Sum. Pontifici renunciaret; Quod cum fecisset, cæpit ex tunc hujusmodi dies Marianæ Nativitati esse festiva. *Sigibertus in Chron. anno* 688. dicit, quod Sergius Pontifex hanc festivitatem instituit, quia constituit, ut in Annunciatione Domini, in Nativitate, & Assumptione B. Mariæ fiant Litaniæ; & refert *Iod. Cocci tom.* 1. *lib.* 3. *art.* 6. *& Gavantum loc. cit.* Sed ego vereor, ne sicuti in aliis, *ut Bellarminus de Scriptor.* monet, Sigeberti fides deficiat.

6 Nam D. Gregorius, qui Sergium præcessit, (obiit enim anno 604.) *in Sacrament. die octava Septembris,* ordinat Missam in festo Natalitio Deiparæ sub die octavo Septembris colendo; Quare revelatio, quæ occasionem dedit, hoc festum tali die celebrandi, necesse est dicere, quod vel ante D. Gregorium, vel ipso sedente, facta fuerit: Et sane ante D. Gregorium fuerant. S. Jo. Chrysost. de anno trecentesimo nonagesimo octavo, & S. Proclus de anno 430. & de illis leguntur sermones *in Græco Codice Bibliothecæ*

thecæ Sfortianæ n.65. ut Baronius notavit, habiti infestivitate Natalis Deiparæ.

Ex quibus licet ab aliquibus cum Baronio refelli videatur Historia illorum, qui dicunt, hanc solemnitatem fuisse ab Innocentio IV. institutam; ex eo quod Cardinales, post mortem Celestini IV. per integrum semestre nunquam in eligēdo futuro Pontifice potuerint concordare; voto facto, quod qui primus illorum eligeretur, mandaret hoc festum celebrari, cum octava; statim electus fuit in Pontificem Cardinalis Sinibaldus, qui Innocentius IV. fuit nuncupatus; Tamen non repugnat supradictis, cum hoc votum fuerit de celebrando hujusmodi festo cum octava, & prima institutio fuerit simpliciter de celebrando festo die 8. Septembris. 7

Et quidem si *D. Petro Damiano in Sermone 2. de Nativit. B.M.* velimus credere *hæc*, inquit, *festivitas cunctis solemnitatibus antiquior est tempore*; ut merito aliqui apud P. Marracium nostrum in *Pontific. Marian. cap. 54.* existimaverint hoc festum celebrari à tempore Apostolorum, Itaque non est certum, quod in Romana, & universali Ecclesia hoc festum fuerit addictum diei 8. Sept. ad libitum, & ex libera ministrorum Ecclesiæ voluntate. 8

Sed esto ita sit; transeat, quod ad libitum fuerit ab Ecclesia designata dies octava Septembris pro festo Nativitatis, & dies octava Decembris pro festo Conceptionis, computata distantia novē Mensium, secundum communem numerum observatum in humanis Conceptionibus, & Nativitatibus; adhuc fateor, me non intelligere, quomodo concessis omnibus hujusmodi, & aliis similibus suppositionibus, non convincatur evidenter, quod die octava Decembris fuerit animatus fœtus Marianus: Si enim P.G.H. concedat Conceptionem non esse colendam immaculatam, nisi pro eo tempore, quo fœtus ille vere esset animatus: an dicet Ecclesiam Dei colere Conceptionem inanimatæ carnis, quod est indecens, & omnino improprium? Non enim ea propriè dici potest Conceptio Immaculata, in qua non existit Anima, quæ sola vel maculam originalem contrahit, vel intelligitur ab ea, præservata. Sed ex communi fidelium omnium sensu octava Decembris est, & fuit semper illa, in qua

huiusmodi

hujusmodi Conceptionem immaculatam Ecclesia coluit, à tempore antiquo, *cultu deinde nunquam immutato*, ut loquitur SS. D.N.Alex.PP. VII. Ergo concessis omnibus, adhuc vrget argumentum, quod nimirum die prima Medicæ conceptionis; si fuit illa octava Decembris; vel alia proxima præcedens, aut subsequens, fuerit illa, in qua beatissimus ille fœtus fuit animatus; quod opus, quia fuit naturale, sequitur primis diebus, fœtus humanos naturaliter esse animatos. Hujusmodi discursum recolligo, & in forma sic propono.

Illa dies, qua fœtus Deiparæ in vtero S. Annæ fuit animatus est
9 *illa, qua communiter fœtus humanus animatur.*

Sed sensus communis Fideliũ est, quod prima dies Nonimestris spatij fuit illa dies, qua fœtus Deiparæ in utero S. Annæ fuit animatus.

Ergo sensus communis fidelium est, quod prima dies Nonimestris spatij sit illa, qua communiter fœtus humanus animatur.

Major conceditur à P.G.H. & à me probata est *disp.2. sect.2. numero septimo, & octavo*, in qua primam Deiparæ Conceptionem, & ejus in utero gestationem naturalem fuisse dixi, & non miraculosam. Minor etiam est certa apud ipsum, & solus Arpalego, & qui cum eo festum Jmmaculatæ Conceptionis frustrare conantur, dicerent diem illam octavam Decembris ab Ecclesia esse Marianæ Conceptioni addictam, tanquam incertam pro die certa, sed nobis ignotam; comprehensam tamen in spatio primorum dierum nonimestris temporis. Verum contra Arpalegum, & hunc modum respondendi satis supra *disput.2. sect.7. & 8.* dictum est.

Quod vero additur de Christi Domini Conceptione, & eiusdem Nativitate, idem prorsus dicendum est, & eodem modo argumentandum; Jmo cum majori fundamento; Siquidem non ad libitum Ecclesiæ dici potest, neque post multa tempora, sed ex antiqua Latinæ Ecclesiæ consuetudine, ut notavit *Suarez to. pr. in tertiam part. disp.6 sect.pr. vers. Sed quærit, &c.* Imo ex Apostolorum traditione *ut idem Suarez. sentit. de Relig. tom.1. lib.2.*
10 *cap.5. n.6.* certum est; & Baronius etiam consensit, quod Christi Conceptio die 25. Martij, & Nativitas die 25. Decembris contigerunt.

Neque

Neque obstat Christi Conceptionem fuisse opus Spiritus sancti, vt ex ea non videatur posse inferri ad opera Naturæ, Nam vt supra *disp.pr.sect.3.num.14. & disp.2.sect.3. num.1.* dixi, in Incarnatione Christi, quod concursus Spiritus sancti, modus operandi instantaneus, & vnio hypostatica fuerint & sint supernaturalia. Ex his non licet argumentari ad opera naturalia. Cæterum terminus huius conceptionis, & materia ex qua perfecta fuit, fuerunt naturalia, vt docet *Suarez to.1.in 3.part.disp. 5.sect.1.vers. Contra hanc, &c. & disp.12.sect.1.vers. Objcies, &c.* etiam, quoad vteri gestationem, ut supra probavi *disp.2.sect.3. num.1.2 3.* Quare nihil obstat quominus idem procedat argumentandi modus.

SECTIO II,

Examinatur revelatio Beati Amadei circa tempus quo Deiparæ Fœtus fuit primo animatus.

SVMMARIVM.

1 *Ponuntur Verba dictæ reuelationis: ex quibus infertur contra supradicta.*
2 *Sancti viri, & Prophetæ non semper Spiritu Dei aguntur.*
3 *Dubitari igitur potest de iis, quæ B. Amadeus dicit se audiuisse ab Angelo circa Deiparæ, & aliorum conceptionem.*
4 *Iuxta talem reuelationem Dei Matris Conceptio fuisset supernaturalis quoad tempus.*
5 *Et ideo, vel in instanti, vel breuissimo tempore fieri debuisset.*
6 *Sed frustra asseritur ista supernaturalitas, cum spatio sex horarum potuerit esse naturalis.*
7 *Videtur humana cogitatio, non Angelica reuelatio, quod in nostris conceptionibus non nisi post multos dies adsit anima.*
8 *Prædicta reuelatio à quibusdam notatur erroris.*
9 *Reuelatio Angeli boni semper est ad vtilitatem.*

10 *Hæc revelatio videtur inutilis, & ideo neque à Deo neque per Divinum instinctum facta.*

11 *Et nunquam fuit ab Ecclesia approbata.*

CONtra ea quæ proxima sectione, & præcedenti Disputatione dixi de Beatissimæ Virginis Mariæ Conceptione video mihi opponi posse revelationem quandam de tempore dictæ Conceptionis; quam B. Amadeus Ordinis Minorum sibi ab Angelo asserit patefactam: Vir fuit B. Amadeus eximiæ Sanctitatis, & Doctrinæ, & Sixti quarti Confessarius: hic nimirum in sua Apocalypsi, seu Meditatione, Raptu 8. introducit Angelum de Conceptione Beatæ Virginis sibi revelantem his verbis. *Corpus Beatæ Virginis non fuit in ictu oculi formatum, & animatum sicut corpus Filij eius quod vniebatur tunc, dum formabatur, Diuinitati; nec tamen tantum temporis expectavit, sicut corpora aliorum expectant, sed in brevi tempore nobis assistentibus.* (id est Angelis.) *Itaque quæ in aliis perficiuntur in multis diebus, volente Deo, & nobis subministrantibus, facta sunt omnia in sex horis, vel circiter: tunc Deus noster magnus, & potens creavit animam perfectam.*

1 Quare miraculo factam putat quoad tempus Marianam Conceptionem, & extraordinario Angelorum ministerio acceleratam; itavt spatio sex horarum circiter, habuerit eius corpus talem perfectionem, qua posita corpus naturaliter postularet animæ rationalis creationem, & unionem: ad differentiam aliarum conceptionum, quæ non nisi post multos dies, illam perfectionem, & animam acquirunt; ergo non licet à conceptione Deiparæ, inferre ad alias

Respondeo primo. Quamvis Beatus Amadeus Religiosus fuerit Sanctus, & doctus; non tamen necessario sequitur eius revelationes esse veras. Nam etiam Sancti, Viri, & Prophetæ,
2 aliquando veritates, quas lumine supernaturali sibi innotuisse putaverunt, renunciantes, quia proprium Spiritum à Divino discernere nescierunt, decepti sunt, & falsa dixerunt pro veris; ita Nathan licet Sanctus; & verus Domini propheta; *libro secundo, reg. cap. 7.* 3. tamen desideranti & interroganti

Davidi

Davidi, an Deus vellet templum à se ædificari, affirmativè respondit his verbis: *Omne quod est in corde tuo, vade, fac quia Dominus tecum est, &c.* & nihilominus non David, sed Salomon eius filius templum ædificavit. Jmo illa nocte idem Propheta à Domino correptus, iussus est recantare, & vt loquitur *Sanctus Gregorius homilia 1. in Ezechielem: Prophetiæ Spiritus edoctus proprium, & Regis consilium suis sermonibus contradixit.* & in Jona Propheta, & aliis testatur Sanctus *in dicto cap. 7. libri secundi, reg.* multa esse quæ ipsi humano Spiritu ducti, & abducti prædixerunt, & ab eis postea, Deo admonente, retractata sunt, quoniam necessaria erat eorum authoritas, ut crederetur eis, quando illuminati à Deo loquebantur, *& D. Thomas 2. 2. quæstion. 171. articulo quinto*, advertit Prophetas quando, non per expressas revelationes, sed per instinctum instruuntur à Deo aliquando non plene discernere, an Divino, an verò proprio spiritu loquantur.

Quare valde suspicor, quod quæ in hoc octavo raptu Beatus Amadeus ab introducto Angelo dicta fuisse refert, de tempore Marianæ Conceptionis, & aliorum hominum sint per proprium instinctum cognita, & non per Angelum verum, sed putativum, & imaginarium revelata. Nam si volente Deo, & 3
Angelis ministrantibus spatio sex horarum perfecta est Deiparæ Conceptio, aliarum Conceptionum, longiori tempore non expectato: iam, non per naturalem Dei concursum, sed per Divinam Omnipotentiam supra naturalem exigentiam operantem, factum est opus nimirum materia præparata est ad minus accidentaliter, & forte etiam substantialiter; & postea eius anima vnita, & creata: vel ab ipsa anima creata, & unita mate- 4
riæ accidentaliter, tantum organizatæ eadem organa substantialia producta sunt iuxta varias sententias *disp. 1.* relatas. Uerum cum Omnipotentia Dei, sit agens infinitæ virtutis, ac proinde potens operari in instanti, & Angeli ministri, qui faciunt voluntatem eius, per potentiam obedientialem potuerint elevari ad operandum in momento, & in ictu oculi cur post motum illum præcedentem, quo sanguis maternus per venas profluens in uterum, miscetur cum viri semine, & fit utriusque

ſeminis fermentatio non eſt facta in inſtanti : ſicut Theologi cum *Suarez tom.2.in 3.p. diſp.11.ſect.2.* communiter ſentiunt de formatione Chriſti corporis, & Beato Amadeo revelavit Angelus:Certè nulla naturalis contrarietas poterat impedire, aut vel minimùm retardare actionem infiniti agentis cuius perfecta ſunt opera.Cur ergo ſi non in inſtãti ſaltem poſt horæ quadrantem, aut ſemihoram, aut duas horas, completa eſt huiuſmodi conceptio:ſed ad tempus ſex horarum circiter producta?

5 Uideo poſſe reſponderi, quia Deus ita voluit: *Deo*, inquit *volente & Angelis ſubminiſtrantibus.* Sed quia non caſu, vel ſine aliquo altiſſimo myſterio voluit Deus expectare totum illud tempus ſex horarum,remanet adhuc reddenda ratio huiuſmodi dilationis.

Sed hæc omnia ad hominem dicta ſint,& admittendo quod Conceptio B.Uirginis facta ſit intra dictum ſex horarum ſpatium per concurſum ſupernaturalem Diuinæ Omnipotentiæ, & Angelorum miniſterium pariter ſupernaturale. At revera concurſum, quo Deus ad aliorum hominum communem conceptionem,operatur,intra tempus ſimile, vel ad ſum-
6 mum intra ſpatium trium dierum, computandum à tempore Medicæ conceptionis eſſe omnino naturalem, & Hippocratis, & aliorum Medicorum regulis conformem,ſupra *ſect.3.4. &* 5.ſatis oſtendi.

Præterea dum conſidero id quod in tali revelatione ſuperadditur,videlicet,quod licet conceptio Mariani Corporis,non dicatur facta in inſtanti, ſicut Chriſti corpus; non tamen inquit *tantum temporis expectavit ſicut aliorum corpora expectant, quæ perficiuntur in diebus multis.* Ualde etiam ſuſpicor,quòd B.Amadeus adhærens iam prius illi ſententiæ,quæ Ariſtoteli falſo adſcribitur,& communis tunc,verior exiſtimabatur, maſculum ſcilicet quadraginta,fœminam vero octoginta, vel nonaginta dies expectare;ideo non inſtinctu divino, ſed humano,& pro-
7 prio ſibi ignoto,id crediderit eſſe revelatum ; atque ideo non revelatio divina, ſed humana fuerit excogitatio.

8 Secundo,non deſunt Doctores, *vt Caiet.2.2. q.174. artic.6 Abraham Bzovius tom.18. ſuæ Hiſt. Eccleſ.à folio 28. vſq. ad 30*

&

& alij qui revelationem hujuſmodi Beati Amadei impugnent,& falſitatis condemnent.

Tertio.Regula eſt ordinata à *D.Paulo ad Hæb.cap.*1.14.quod revelatio boni Angeli non eſt vana, & inutilis ; ſed ſemper ordinatur ad noſtrum particularem , vel univerſalem Eccleſiæ profectum.*Omnes*, ait, *ſunt adminiſtratorij Spiritus in miniſterium miſſi propter eos,qui hæreditatem capiunt ſalutis. Et ſecunda ad Timotheum c.* 3. 16. *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum,&c.*& talis ſine dubio fuit revelatio de die 8.Decembris Conceptioni Deiparæ addicta;quæ facta fuit Elſino Abbati, vel aliis ut ſupra dixi *ſect.*2. *n.*5. & Baronius notat *in annot. martyrol.*die 8.Dec. 9

Quia in aliqua Eccleſia.v.g.Anglicana primum,de ann.1070, & Gallicana,deindè de Anno 1171.Occaſione hujus revelationis à D.Anſelmo publicatæ,Conceptionis Deiparæ feſtum cæpit coli ut notavit Scortia in Selectas Pontificum Theoremate 301.& deindè in univerſa Eccleſia Latina;eadem die 8.Decembris celebrari , ut Patres Concilij Baſileenſis à me relati *dicta ſect.*2.*num.*4.affrmant;id quod negari non poteſt ceſſiſſe in utilitatem Eccleſiæ,& evidentiſſimum animarum profectum:hoc enim motivo à D. Anſelmo in Epiſtola ad Angliæ Epiſcopos ſcripto , quia nimirum non eſt verus amator Beatæ Uirginis, qui eius Conceptionem non colit, omnes paulatim excitati ſunt ad maiorem pietatem erga Deiparam , & à Fidelibus dies illa octava Decembris cæpit eſſe ſolemnis.Et inde Societates, & Eccleſiæ dedicari in eius honorem.Indulgentiæ concedi, & publicæ Academiæ Immaculatam Deiparæ Conceptionem defendere,cæperunt.

Cæterum quod horarum duarum ſpatio,vel quatuor, vel ſex illius diei,facta fuerit Conceptio B.Uirginis, non video quam utilitatem exinde Fideles retraxerint,qui tempore Beati Amadei,iam erant devotione accenſi erga Deiparæ Conceptionem, & Feſtum: Niſi forte quis talem revelationem defendens , dixerit,ideo magis ad pietatem excitari Fideles,quia cognoſcunt ſupernaturali concurſu,& per miraculum conceptam fuiſſe. 10

Sed jam hæc reſponſio ceſſat ex dictis ; & Eccleſia Romana nunquam talem temporis circunſtantiam , in qua ſola miraculum conſiſteret , propoſuit fidelibus venerandam. Etenim decernit, quidem Sixtus IV. celebrandum eſſe Feſtum Conceptionis , & recitandum eius officium. Patres Tridentini declarant B. Uirginem non comprehendi ſub Decreto peccati Originalis, Paulus V. prohibet in publicis actibus aſſeri eſſe in peccato originali conceptam;quam prohibitionem Greg. XV. extendit ad actus privatos,& ſtatuit,quod in Officio,& Miſſa nemo utatur nomine Sanctificationis,ſed Conceptionis, SS.D.N. Alex. PP. VII. quod non afferantur argumenta contra piam ſententiam,ita ut remaneant inſoluta:quod nullus directe,vel indirecte feſtum Conceptionis fruſtretur;quod vetus fuit Chriſti fidelium pietas,ſentire B. Uirginem in primo inſtanti ſuæ Creationis præſervatam fuiſſe à peccato originali,& in hoc ſenſu eius Conceptionis Feſtivitatem celebrari. Hæc omnia Divinus inſtinctus in Sum. Pontificibus, Conſtitutionibus , & Decretis ordinari fecit,& inſpiravit:& à Chriſti fidelibus devotè , & exactè obſervantur. Cæterum nulli unquam ex iſtis,huc uſque inſpiravit , ut declararet ipſam Deiparam ſpatio ſex horarum fuiſſe conceptam.

Quare quia ſicubi datur Divinus inſtinctus,hic ſine dubio eſt in Eccleſia Dei,quæ eſt ex *D. Paulo Ep. 1. ad Thim. c. 3. 15. Columna, & firmamentum veritatis.* Mihi omnino videtur difficile, quod B. Amadeus per Angelum talem differentiam Marianæ Conceptionis ab aliis conceptionibus cognoverit. Sed primam eius revelationis partem fuiſſe piiſſimæ eius mentis meditationem: ſecundam vero partem,quod ſcilicet poſt multos dies animentur humani fœtus, fuiſſe ſententiam jam pridem in ejus intellectu firmatam,mihi facile perſuadeo.

Quarto tandem reſpondeo ; quod licet hujuſmodi Reve-
10 lationes B. Amadei Romæ exiſtant in celebrioribus Bibliothecis manuſcriptæ;nempe,in Uaticana, Altempſiana,Sforziana,Sirletina;Lugduni in Dominicana,Barchinone in Franciſcana, & Romæ apud P. noſtrum Hippolytum Marraccium in Bibliotheca S. Mariæ in Porticu Campitelli : Tamen huc uſque,

nunquem

nunquam ab Apostolica Sede fuerunt approbatæ. Jdeo salva debita reverentia Authori tam Sancto,& docto,non est cur illis adhærere,& fidere debeamus:præsertim,cum nemo Sanctorum Patrum, usque adhuc affirmaverit, Conceptionem B. Mariæ in acceleratione temporis fuisse singularem, miraculosam, & ab aliis hominum Conceptionibus dissimilem;& rationes ex Medicina,& Philosophia petitæ contrarium suadeant. Quare optima est ab eius Conceptione,ad alias illatio.

SECTIO III.

An cohæreat cum doctrina Catholica, quod ante formationem membrorum Anima rationalis sit in corpore?

SVMMARIVM.

1 *Error in Concilio Viennensi damnatus est,quod Anima rationalis sit forma extrinseca,& assistens humano corpori.*

2 *Anima rationalis est per se, & essentialiter corporis humani forma.*

3 *Corpus Christi tempore Incarnationis,an fuerit formatum, Concilium non definit.*

4 *Fuit corpus organicum,cuius, Anima rationalis,est actus.*

5 *An autem per organizationem substantialem,an verò per accidentalem,disputatur.*

6 *Communior Sententia est,quod sit per substantialem organizationem,quæ tamen animam non præcedat.*

IN Concilio Uiennensi Clemens V. ut refertur in *Clement. unic. de Summ: Trinit.& fid.* §. *Perrò,&c.* contra Petrum Joannem,& alios,qui asserebant Divinum Uerbum in Incarnatione, assumpsisse quidem hypostatice Corpus, sed non Animam rationalem Christi; quia dicebant, Animam nostram 1

esse

esse extrinsece tantùm unitam, seu assistentem corpori; sicut Motor Mobili,& sicut Nauta Navi;determinat,Animam ratio-
2 nalem, esse formam vere per se, & essentialiter corporis humani,& contrariam propositionem esse *Fidei,& veritati Catholicæ inimicam,veluti erroneam,& qui illam pertinaciter tenere præsumpserit,tanquam hæreticum esse censendum*; quæ omnia patent, tum ex textu,tum etiam *ex glossa verb.intellectivæ. ex Eymerico in direct.inquisit.part. pr. comm.3. & Spondano anno Christi* 1311. *num.*10.Sed hæc doctrina non potest verificari,si dicamus,fœtum primis diebus esse animatum; cum enim materia tunc tenuis sit,& fluxibilis,non potest habere organa,& partes etherogeneas, & dissimilares, quæ constituunt corpus humanum Ergo non potest cum doctrina catholica cohærere, quod ante istam formationem,fœtus sit animatus,

Respondeo primo,satis fuisse Summo Pontifici,& Concilio declarare,Animam Christi, esse formam essentialiter humano eius corpori unitam,ut doctrina Catholica constaret,quod non solùm corpus,sed Animam,etiam illi unitam,& totum compositum humanum hypostatice assumpserit;Id quod expressis verbis, deinde definivit in Concilio Lateranensi Innocentius III. ut refertur *in cap. firmiter de Sum. Trin. & fid.Cath.* & patet ex illis verbis,quibus Filius Dei dicitur,*verus Homo factus ex Anima rationali,& humana carne compositus*,

Quale autem esset huiusmodi corpus, tempore ipsius Incar-
3 nationis,Concilium noluit definire; neque ad prædictum errorem profligandum erat necessarium;ideo neganda est minor argumenti,& tota eius probatio,& consequentia,iuxta probabiles sententias à me relatas,& suppositas.

Sed,ut abundantius explicem solutionem,& ostendam quantum deviet à communi doctrina argumentum factum.

Respondeo secundo,corpus humanum,de quo utrumque Concilium loquitur,esse intelligéndum corpus hominis,verum Animæ subiectum,ex quo,& Anima rationali, Sanctissima illa humanitas, & verus homo Filius Dei factus est:quare libentissime admitto,esse illud corpus,de quo in famosa,& ab omnibus rece-
4 pta definitione Animæ,Philosophi cum Arist. *lib.2. de Anima text.6.*

text.6. asserunt, esse corpus organicum, dum dicunt. *Anima est actus primus corporis organici potentia vitam habentis:* At vero magna est inter Philosophos controversia, ut videre est apud *Suarez. de Anim. lib.1. cap.2.num.7. Arriaga de Anim.disp.pr.num.3. & Oviedo de Anim. contr. pr. punct.pr.à num.6. & deinceps.* An istud corpus organicum debeat esse tale per organizationem substantialem, an vero per solam accidentalem, & sufficienter intelligi corpus esse ipsam materiam cum accidentalibus dispositionibus, per quas satis præparatur, & est in potentia proxima ad vitam substantialem recipiendam, & constituendum humanum compositum, censet idem Suarez. *ibidem num* 30. & Arriaga *loc.cit.num.*10. quamvis Suarez *num.*31. magis propendeat in organizationem substantialem; sed hanc asserit esse ab Anima iam informante in eodem instanti, & momento, quo corpus incipit esse animatum; & est communior sententia Thomistarum, & aliorum apud *Avers. tom.2. phil.q.*45. *sect.*1. 5

Itaque sive organizatio accidentalis requiratur sive substantialis ad constituendum corpus organicum, non est necesse, quod substantialis organizatio, seu prima fœtus formatio, tempore præcedat animationem; cum in ipso instanti creationis Animæ rationalis, eiusque unionis cum materia, diversæ, & dissimilares partes unionis producantur, ut ibidem explicat Suar. num.22. consentiunt sancti Patres relati *disp.*3.*S.*6 atque ideo satis constituitur corpus organicum, & humanum, quod sufficit ad excludendos illos errores, qui erant contra unionem Animæ Christi cum Verbo; & consequenter contra veram Animæ informationem in illa materia, licet tenui, & fluida. 6

SECTIO IV.

Declaratur quomodo Animam rationalem esse in fœtu primis diebus, non sit error Traducianorũ.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit Animam fieri ex Tradute.*

2 *D. Augustinus semper dubius fuit, an Anima rationalis esset ex traduce.*

3 *Conceptio humana distinguitur à prima seminis, tum receptione, tum fermentatione.*

4 *Sententia asserens Embryonem præcedere Animam rationalem cum substantiali organizatione, iam recessit à scholis.*

5 *Et magis communiter recipitur, quod præcedat cum sola accidentali organizatione.*

6 *Conceptio hominis est in illo brevissimo tempore, vel instanti, quo nunc primo, forma seminis non est in materia.*

SEmen fermentatum, esse animatum Anima rationali Hæretici asserunt, quatenus dicunt, Animas rationales, non minus trahi à Parentibus, quàm corpora; ergo statim, postquam semen fermentatum est, dicere, quod sit pobabile, Animam rationalem esse in fœtu humano, ac proinde esse baptizandum sub condi-
1 tione, est sentire cum Hæreticis.

Respondeo; Animam rationalem fieri ex Traduce, seu traduci, & seminari cum corpore voluerunt Hæretici, quatenus dixerunt, non minus à Parentibus trahi Animas, quam corpora: Itaut Anima filij propagetur, & fiat ex Anima Patris, quomodo ex corpore Patris seminatur, propagatur, & traducitur corpus filij. Et si D. Hieronymo credamus in *Epist. ad Marcellinum, & Anapsichiam*, quæ est 27. inter Epistolas D. Augustini, & 82. inter Epistolas D. Hieronymi, & in *libr. 2. contra Ruffinum, & epist. 61.* ad Pamachium. Hic error fuit primùm inter Christianos Tertulliani, quem sequutus est Apollinarius, & plures Occidentales. Et *D. Augustinus lib. de hæresibus. cap. 81.* dicit, fuisse Luciferianorum, à Lucifero Calaritano Episcopo; Et constat etiam
2 fuisse Pelagij; Nam ejus argumenti excogitans solutionem, idem D. Augustinus, ut explicaret contra Pelagium, quomodo contraheretur peccatum originale in Anima, semper dubie loquutus est de Animæ origine, ut notavit Fromondus *de Anim. lib. 1. c. 2. art. 2.* Et quidem D. Hieronymum non semel rogavit D. Augustinus, ut solveret difficultatem; id quod etiam ex eiusdem D. Augustini Epistola 28. satis constat.

At

At vero quando sententias illas asserentes, Animam rationalem primis diebus esse in corpore, dixi probabiles, nunquam dixi, esse in semine fermentato; sed solum, quod fœtus abortivus elapso quocumque tempore à conceptione, probabile est quod vivat Anima rationali, & ideo non licere illi Baptisma denegare. Sed, ut video, verba ista, *elapso quocumque tempore à conceptione*, quibusdam scandalo fuerunt: Oportet itaque illa magis explicare.

Quare cum eruditissimo Fromondo *lib.2.de Anim.cap.6. art.14.in princ.* adverto seminis in utero receptionem, non esse hominis, sed materiæ ad hominem gignendum conceptionem; 3 quomodo dicebat Fernelius *lib.7.c.8.de hom.procr. Neque seminis attractio, neque retentio, conceptio est. Tametsi id ratio nominis videatur indicare. Sed conceptio est*, inquit idem Author, *propria, & peculiaris uteri actio, qua seminis potestas excitatur, & insitum sibi munus, re ipsa obit, & exequitur.* Hanc autem actionem, quam Medici conceptionem vocant, licet ante septimam diem Aristoteles non videatur concedere. *lib.7.de hist. Anim.c.3. quia effluxiones*, inquit, *vocantur quæ intra septimum diem incidunt.* Tamen iuxta probabilem sententiam Galeni, & aliorum, quos *disp.3.sect.5. citavi.* post aliquas horas à viri, & fœminæ congressu, semina in 4 utero confusa, & permixta calore, & occultis uteri facultatibus, incipiunt in unam massam fermentari, & coagulari, & ne defluant, membrana quadam involui. Et ideo Bersabea, ut notavi supra *disp.1.sect.7.n.7.* non statim habita copula dixit Regi, se ex eo concepisse, sed post elapsam noctem, in mane, domum reversa, idest post aliquot horas, Nuncium ad eum remisit, qui diceret, concepisse. Itaq; ab huiusmodi conceptione elapso quocumque tempore dixi, & iterum repeto, probabile valde esse, quod Anima rationalis sit in fœtu.

Et ut clarius pateat, omissa sententia à me relata *disp. pr. sect.2.num.3.* de forma embryonis, quæ jam fere recessit à cholis Philosophorum, & contraria prævaluit, ut notavit Arriaga, de Anima *disp.1. sect.12. num.318.* Existimo, quod permixtis, ut jam dixi, maris, & fœminæ seminibus fiat accidentalis organizatio, quam me non excogitasse. (ut dicit Neotericus) sed

didiciſſe à *Scoto*, *Suar.* & *Hurtad.* patet ex adnotatis à me *ſect.* 1. *n.* 9. quibus addo *Caiet. in pr. part. q.* 118. *art.* 2. *in reſponſ. ad quartum verſus finem*, & alios communiter relatos paulo ante *ſect.* 3. *n.* 5. *huius tertiæ diſputationis.* Et tenentur admittere etiam illi, qui formam embryonis, & formas quas dicunt partiales, præcedere affirmant: Omnes enim fateri debent, & concedere, ut antequam educantur huiuſmodi formæ ſubſtantiales de potentia materiæ, vel antequam corrumpatur forma ſeminis præcedant diſpoſitiones aliquæ accidentales, quæ ad prioris formæ ſeminis corruptionem, & novæ formæ generationem, illam materiam diſponant. Quare illud inſtans, ſeu breviſſimum tempus, in quo virtute præcedentis alterationis corruptum eſt ſemen, vt verum eſt dicere, nunc primo non eſt ſemen: Verum eſt etiam dicere, nunc primo eſt unio, & unita eſt anima rationalis cum materia. Conceſſo igitur antecedente, negatur conſequentia.

SECTIO V.

An argumentum ductum ab animatione Pulli Gallinacei per regulam auream probet Animationem fœtus non fieri niſi poſt 40. aut 80. dies.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur argumentum deductum ex regula trium.*

2 *Abſurdum eſt argumentum in præſenti materia.*

3 *Inter pullificationis, & humanæ generationis tempus nulla datur proportio.*

4 *Inter animationem maſculi, & fœminæ non datur differentia temporis duplicati.*

5 *Diſformis eſt actio generativa, & à pluribus pendet.*

6 *Pullus*

6 *Pullus Gallinaceus non excluditur abouo die 21. præcisè, sed aliquando 18. aliquando 20. die.*

7 *Regula trium fundatur in proportione, quam habent vnitates ad inuicem.*

8 *Hæc autem inuariabilitas non datur in actione generatiua.*

9 *Maior efficacia virtutis actiuæ animationem anticipat, & ideo dubium est animationis tempus.*

EXistimant, aliqui, me valde inconsequenter sentire cum Fieno. Cum enim *disp. 1. sect. 1. num. 15.* præmittam in ovo gallinaceo ad finem tertiæ diei ab incubitatione, ex observatione Gulielmi Harvei, reperiri punctum saliens, signum videlicet animationis; & cum *Hippocrate lib. de nat. puer.* dixerim, quod in illo sex dierum abortu mulieris saltatricis, detracto ovi putamine, *esset corpusculum rubrum; Et circa ipsum fibræ, & venulæ sanguineæ, & in medio tenue quid, quod ipsi vmbelicus videbatur*, quo respiraret. Et ego addiderim, quod ita prorsus contingit in prima hominis generatione: contra me sic argumentantur vt probent, non primis diebus, sed quadragesima tantùm die vivere humanum fœtum. Pullus Gallinaceus 1
non nascitur, inquiunt, nisi vigesima prima die ab incubatione, vt nostræ mulieres quotidie experiuntur; sed tres dies, quorum finis est principium animationis habent ad viginti, & vnum, proportionem septuplam: Nam ter septies faciunt 21. Ergo si ita prorsus contingit in prima hominis generatione, quia homo nascitur, post nonum mensem, id est vt ipsi assumunt pro certo, 280. die; erunt, iuxta regulam auream, quam trium appellant, ut 21. ad 3. ita 280. ad aliud. Et facta calculatione invenitur numerus 42. dierum ergo non primis diebus, sed quadragesima tantum die erit animatus humanus fœtus. Addunt tamen propter maiorem efficaciam virtutis formatricis, anticipari aliquando formationem.

Respondeo primo, si hoc argumentum aliquid probaret 2
etiam omnes homines debere esse Gigantes probaret, quod sic ostendo: Homines quando legitimo tempore veniunt ad lucem, id est nono mẽse, licet non omnes sint eiusdem magni-

tudinis ut videre eſt etiã in adultis: tamẽ regulariter maior pars eſt longitudinis unius cubiti Italici, ſeu duorũ palmorũ vulgarium; ita peritiſſimæ obſtetrices à me interrogatæ teſtantur: Argumentum autem factum, nullo habito reſpectu ad virtutem plaſticam, & ad uteri maiorem, & minorem activitatem, fundatur in proportione quantitativa, ſive in habitudine quantitatis ſucceſſivæ temporis videlicet, quo homo concipitur, & uterum egreditur; ad illud, in quo pullus naſcitur, & excluditur ab ovo; ſi ergo ſola hæc habitudo conſideranda eſt, ſic argumentor. Ut primi novem menſes ſe habent ad magnitudinem infantium tempore Nativitatis, ita tempus conſiſtentiæ, quo ſolet homo ceſſare ab augmento ſui corporis, ad magnitudinem tali tempore acquiſitam: quia tempus conſiſtentiæ ſolet eſſe ætas 22. annorũ, vel, ut Ariſtoteles aſſerit *ſect.* 20. *prob. prob.* 7. ætas 30. annorum: aſſumpta etiam minori ætate 22. annorum, ſive menſium 264. erit tunc regula, ut menſes novem ad duos Palmos, ita menſes 264. ad aliud, & invenitur quartus numerus per calculum palmorum 48. totidem igitur palmorum deberet eſſe ordinaria hominum ſtatura; cum de facto, ut videmus, ſit ſolum novem palmorum circiter, ergo deberent eſſe Gigantes.

Præterea oſtendo alio diſcurſu, habitudinem, ſeu proportionem ſolam quantitatis, non poſſe hic eſſe regulam ad indagandum tempus, quo animatur humanus fœtus, ſed conſiderandam eſſe Analogiam actionis generativæ. Habeo apud me corpuſculum humanum Abortivi fœtus, quod certiſſimè ſcio à matre fuiſſe unico concubitu conceptum, & die 80. præciſe effuſum, & abſolute baptizatum; Tunc enim habebat motum: & nunc apparent omnia membra formata, pedes manus, digiti, thorax, coſtulæ, oculi, & omnia membra, quæ adhuc excitata conſervantur ita diſtincta, ut commodiſſime videantur. Iſtud corpuſculum non excedit longitudine tres digitos communes, ſecundum latitudinem inter ſe coniunctos. Si ſupradictus computus procedit; probo Infantem tempore nativitatis non debere eſſe longiorem digitis decem cum dimidio; Nam erit regula ea ſic: ſi dies 80. dant longitudinem trium digitorũ,

quam

quam dabunt dies 280. & inveniuntur digiti decem cum dimidio. At ex testimonio supradicto obstetricum, & patet ad oculum longitudo ordinaria est duorum palmorum, ergo com- 3
putus, & regula trium in præsenti non valent. Rationem reddam paulo infra.

Respondeo secundo, vanum esse, & inutile, quod argumentum vim faciat in verbis à me positis *d. sect.* 1. *n.* 15. Nam aliud est humanum fœtum esse intra tunicas inclusum, animatum primis diebus, ac proinde intra ovum contineri: quod solùm volui, cum dixi, *ita prorsus contingit in prima hominis generatione*: & aliud est, inter animationem, & nativitatem hominis, quæ exclusioni pulli correspondet, servari eandem temporis proportionem, quod nunquam dixi, nec dicere potui, ut manifestum est ex eo, quod *d. n.* 15. post allatã observationem Haruei, statim attuli experientiam ab Hippocr. relatam de ovo humanæ conceptionis; in quo sexta die à conceptione non solum punctum sanguineum saliens, sed alia deprehendit Hippocr. quæ ibi existentem Animam indicabant. Itaque argumentum tenetur probare, quod supponit, nempe solam proportionem temporis, esse attendendam, ut calculatio procedere possit.

Sed esto permittamus illis, quod deberent probare, cum adhuc illorum aliquis persistat in hoc, ut fœtus humanus masculinus non animetur ante 40 diem, & fœmininus ante 80. tempore nimirum, quod respectu illius est duplicatum, rogo, fœtus 4
gallinaceus fœmininus ut animetur expectatne tempus duplicatum sex dierum, sicuti fœtus humanus fœmininus expectat tempus duplicatum octoginta dierum? Sed Harueus hanc duplicatam temporis dilationem in pullificatione non observavit, & contra illã nostræ mulieres, quæ gallinarum incubationi student vociferantes reclamant; Asserunt enim, se ita expertas fuisse, vt si ova, quæ gallinæ supponuntur, essent omnia pariter recentia, & eodem tempore nata, ab iis pulli tam masculi, quàm fœminæ indiscriminatim eadem die simul ab ovo prodirent; sicuti vere in humanis fœtibus, tã masculus, quàm fœmina circa nonum mensem ab utero Matris sine differentia temporis egrediuntur; quod plane indicat eodem tẽpore animari, atque ideo illam dierum quadraginta, & octoginta differentiam nõ

esse principium animationis, sed esse excogitatam à Criminalistis, & communiter receptam; ne causantes abortum insontes punirentur; ut dixi *disp. pr. sect. 5. per tot.*

Respondeo tertio, quòd difformis est actio generativa: sed
5 hæc difformitas ex aliis, & pluribus capitibus pendet; puta ex majore, vel minore calore utriusque seminis; ex diversa activitate uteri materni; ex maiori vel minori crassitie humorũ, & aliorum etiam accidentium, quæ humanam generationem, ratione loci, temporis, qualitatis ciborum & aliorum huiusmodi afficere possunt: quare etiam admisso, quod gratis assumitur, nempe quod pullus excludatur ab ovo die 21. præcise, cuius oppositum docet *Vlysses Aldrouan. in ornithol lib. 14. de gallin. incubat. & exclus. fol. mihi* 224. Et advertit cum Petro Gregorio die 19. pipire pullum, & exire ab ovi putamine, *& Arist. lib. 6. hist. anim. cap. 2.* his verbis docet, quod *Gallinæ excludunt celerius æstate, quam hyeme, ideo in æstate duo de vigesimo die fœtum excludunt hyeme aliquando vigesimo die.* Et admisso etiam, quod
6 præcise spatio dierum 280. mulier gestet uterũ, quod *vt disp. 3. sect. 4. n. 10.* vidimus, non semper contingit; adhuc negatur illata consequentia, quod solùm post quadraginta dies, humanus fœtus sit animatus, cum ex tot capitibus actio generatiua possit esse difformis.

Respondeo quarto; directè ad argumentum, non posse in rem nostrã adhiberi regulã trium; Nos enim agimus de animatione, quæ procedit ab agente naturali per actionem generativam. Et regula illa fundata est in commensuratione invariabili quam habent numeri ad invicem, quatenus totidem determinatis, & indiuisis unitatibus, non pluribus constant, Nam ut bene cum Euclide demonstrat *Clavius in Epit. arith c. 17.* per tres numeros notos invenitur quartus proportionalis ignotus; quia debet toties continere tertium, vel contineri ab ipso, quoties secundus continet primum, vel ab eo continetur: id est tot unitates sunt de tertio numero in quarto, vel è contra quot sunt
7 de primo numero in secundo &c.

At vero ista commensurabilitas nullo modo potest considerari in actione generativa, & animatione humani fœtus;

Nam

Nam virtus plaſtica,ſeu generativa,non ſemper operatur eadem velocitate in principio,medio,& fine;ideſt verſus vltimum terminum,qui eſt animatio.Et ratio eſt evidens, quia in principio 8
operatur ad expellendas diſpoſitiones conſervativas formæ incompoſſibilis V.G.ſeminis,vel embryonis,cum Anima rationali;& ad introducendas illas,quæ ſunt productivæ unionis:Cum ergo inveniat in materia dum eſt ſub forma ſeminis majorem reſiſtentiam in principio,minorem in medio, nullam in fine; ideo magis tardat in principio,minus in medio, & inſtantaneè operatur in fine. Quare illa argumentandi ratio per regulam Trium,non valet in præſenti.

Quinto, & ultimo dico, quod Author argumenti eſt, qui (ut mihi videtur) parum conſequenter loquitur; Nam fatetur, quod aliquando animatio anticipatur propter majorem virtutis formatricis efficaciam.Hoc poſito,tunc inquiro,quid in tali ca- 9
ſu faciet pius Neotericus? inveſtigabitne quanta ſit major efficacia virtutis formatricis? an verò in dubio iſto baptizabit ſub conditione? Non primum, quam enim menſuram quæſo adhibebit tunc,ut cognoſcat,quanto tempore anticipaverit,& quot lapſi ſint dies à conceptione,ut certo poſſit dijudicare,an fœtus ſit animatus?Puto,quod diù hæſitans, multoque tempore inutiliter conſumpto,& fortè pluribus interim mortuis fœtibus, & damnatis Animabus,tenebitur fateri,id eſſe moraliter impoſſibile.Ergo tenetur, & ipſe in hujuſmodi caſu dubio concedere, quod ſub conditione fœtibus abortivis miniſtrandum ſit Baptiſma.

SECTIO VI.

An poſſeſſio,quæ videtur eſſe pro fœtu non animato obſtet quominus baptizandi ſint abortivi.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur regula Iuris pro eo,qui eſt in poſſeßione.*

2 *Regula fundatur in ratione, quia possidens habet duos titulos.*

3 *Regula hujusmodi videtur aliquibus habere locum dumtaxat in materia Iustitiæ: Alij verò extendunt ad omnem materiam.*

4 *Soluitur argumentum juxta primam sententiam.*

5 *Soluitur etiam juxta sententiam aliorum.*

6 *In materia Sacramentorum, & quando agitur de Animæ periculo, quomodo valeat ista regula.*

7 *Tutior pars est sequenda, quia possessio est pro Deo; & pro eodem stat regula.*

8 *In dubio etsi non constet de intentione Conjugum, judicatur ad favorem Matrimonij.*

9 *In dubio an res legata debeatur, quæ est melioris conditionis debetur.*

10 *Si dubium sit, an petens Baptismum habeat vsum rationis, baptizandus est.*

11 *Inungendus est ægrotus, si dubium sit, an morbus sit periculosus.*

12 *In dubio, an monstrum sit homo, Rituale Romanum præcipit sub conditione baptizari.*

ESto, & propter discursum factum, & propter probabiles illas sententias dubium sit, an fœtus humanus primis diebus vivat Anima rationali. Probo nullo modo etiam sub conditione ministrandum esse Baptismum in tali dubio. Nam prius est, fœ-
1 tum non esse Animatum, quàm esse animatum, sed in dubio iuxta regulam vulgatam, quæ est 65. *l. in pari ff. de reg. jur. in 6. In pari causa melior est conditio possidentis.* Ergo judicandum est pro fœtu non animato: & ideò nullo modo est baptizandus, etiam sub conditione.

Hujus argumenti, ut responsio magis pateat, præmittendum est, regulam esse quidem in ratione fundatam; Nam ut bene
2 Sanch. *libro primo in decal. cap.* 10. *num.* 11. & Tambur. *in decal. libro primo cap.* 3. §. 6. *numero quinto* possidens habet duos titulos, unum dubium an scilicet res, de qua agitur ad se pertineat; & in hoc convenit cum alia parte non possidente; Alterum vero, & est certitudo, qua de facto possidet, & hoc titulo caret pars altera. Ergo possidens cum habeat duos titulos prævalere debet

debet,& præferri:Et hanc regulam fuisse traditam à duobus Jureconsultis Juliano,& Paulo:& à Jure Civili receptam:ut constat ex *l.si seruus ff.de verb.signif.* ibi,*dum quæritur de damno, & par utriusque causa sit:quare non potentior sit qui tenet, quàm qui prosequitur?* Ex hac lege desumpta est supradicta regula,quæ est 170.in Jure Civili *ff. de reg. jur.* & in Jure Canonico *reg.65.de reg Iur.in 6.*

His præmissis sciendum est, aliquos Theologos *Majol. Perez. Azor Vasq Salas.Sayr Turr.& Comit.* apud *Dian p.4.tract.3. resol.2.* voluisse,Regulam habere locum solummodo in materia Justitiæ,ad quam pertinet titulus possessionis. Aliosvero,ut *Suarez.Sanch.Coninch.Henriq.Filiuce.Sanct.Villalob.Sanctarell.Tanner. Malder.Mercl.& Castro pal.apud.Dian.* ibi quibus addo *Tambur. d.§.6. num.10.Basse.in flor verbo dubium n.pr.& Busemb. lib.pr. tract. pr. cap.2. dub.3.* extendere supradictam regulam etiam ad materias aliarum virtutum; sed juxta utriusque sententiæ fundamenta facile soluitur argumentum, & primo juxta primam sententiam.

Respondeo fœtui non vivo,de quo tamen dubitatur, an vivat, nullam fieri iniustitiam, si baptizetur sub conditione, tum quia si non est vivus, est in justitiæ incapax, cum non sit iustitiæ, aut dominij alicuius capax, quod supponit regula citata: Neque aliquod damnum ipsius potest considerari in hoc dubio,ut voluerunt Jurisconsulti Authores huius regulæ esse considerandum:& patet ex illis verbis, *dum quæritur de damno, &c.*

Respondeo secundo, juxta alteram sententiam dicentem, quod etiam in materia charitatis valeat regula,esse quidem pro utraque parte rationes dubitandi, sed pro lege charitatis, esse certum titulum possessionis,quod nimirum, proximo extremè indigenti sit adhibendum remedium, adeo facile, & Ministro non oneroſum. Uerùm quia non est certum, sed dubium,quod in fœtu illo sit Proximus,propterea non obligat ad absolutam, sed ad conditionatam baptismi collationem. Hæc responsio quo ad Parochum probat, ipsum teneri etiam ex justitia, quia lex justitiæ quæ ipsum obligat,est in certa possessione suæ obligationis.

Respondeo tertio quæcumque sit illius regulæ vis, & efficacia, in ratione quidem, vt vidimus fundata; sed quæ pluri-
6 mum pendet ab vtroque Iure positivo; jam Ecclesiæ Authoritas, à qua, si opus esset, limitari deberet, est in contrarium; vt nimirum, quando agitur de vitando animæ periculo, & de valore Sacramenti, judicium sit ad favorem animarum, & Sacramenti, & partem tutiorem eligamus. Quam regulam, eligendi nimirum partem tutiorem, non tanquam novam, sed tanquam veram, & naturali Iure fundatàm, Sacri Canones non semel, sed sæpius repetunt, & approbant. *c. ad audientiam, & cap. significasti 2. de homicidio, & cap. Iuvenis de sponsa.* & late prosequi-
7 tur Vasq. 1. 2. *disp. 65. n. 9. & deinceps.* Cum enim tam in dubio facti, quàm Iuris sint pro vtraque parte rationes dubitandi, & possessio sit pro Deo, qui vult, *omnes homines salvos fieri*, & ad hunc effectum, iuxta *cogitationes suas antiquas, & fideles agnum occisum ab origine mundi filium suum vnigenitum dedit*, quis potest opponere contra illum, quod melior sit conditio possidentis? Vt bene Illustr. Dominus Fagnanus considerauit *comment. ad c. Ne innitaris de const. num.* 194. Nemo sane est, qui possit cum Deo, de anterioritate temporis contendere, & ante Sacramentorum institutionem suam possessionem tueri. Ideò Sum. Pontifex, & Doctores hanc certissimam doctrinam sequuti, à vulgata illius regulæ intelligentia recesserunt; Et quoties de animarum periculo agitur, toties pro Deo salutem animarum procurante, intellexerunt: vt patet ex sequentibus.

Primo quia *in cap. fin. de condit. appos.* Gregorius IX. di-
8 cit, quod si propter aliquam conditionem appositam in contractu matrimonij dubitetur de valore eiusdem matrimonij, & non satis constet de intentione vtriusque contrahentis, judicandum est ad favorem matrimonij, quod valeat; quia licet in alijs contractibus si qua conditio, vel impossibilis, vel etiam turpis apposita fuerit, vitiaret contractum, & ipsa conditio non vitiaretur, vt §. *si impossibilis Institut. de inutil. stipulat. & leg. non solum ff. de action. & obligat.* Esset enim argumento, quod contrahentes non habuerunt intentionem

se

se invicem obligandi. Attamen in contractu matrimonij, prædictæ conditiones non vitiant, sed vitiantur, & habentur pro non adjectis. Et hoc propter favorem matrimonij est specialiter introductum, ut dicit textus, & notant Sanch. *l.5 de matr. disp.3. n.7.* Card. de Iugo *de Iust. disp.22.n.342.* & Dom. Fagnanus *ad dictum c fin.n.10.*

Secundo in *c. cum dilectus de donat.* In dubio, an hæres debeat rem, quæ erat majoris valoris, an verò quæ erat minoris, & eodem nomine vocabatur, respondet Sum. Pontifex, hæredem debere rem majoris valoris; quia *in contractibus plena, in testamentis plenior, & in beneficiis plenissima interpretatio adhibenda est.* Nomine autem beneficiorum pias donationes, seu legata pia intelligit Glossa, & Sanch. *de matrim. lib.2 disp.41. n.33.* quia nimirum res jam erat ab hæredis proprietatte abdicata, per donationem; & quia non poterat, sine injustitia, ab eodem, contra Ecclesiam donatariam, vel quemcumque alium donatarium, retineri; ideò in hoc dubio contra hæredis possessionem judicat Jus Canonicum à regula illa recedens, ne hæres sit in periculo peccandi. 9

Tertio Filius Patris Gentilis petens Baptismum in ætate, qua dubitatur de usu rationis, & Parentes resistunt; etiamsi aliqui putent, non esse baptizandum, quia carentia usus rationis est in possessione, & etiam Parentum Authoritas; præsertim ante septennium; tamen esse baptizandum censet Soto 4. *distinct.5. art.10.§. sed alteram.* Suar. *in 3. part. tom.3. disp.25. sect.3.* Uasquez *in 3. partem tom 2. disp.115.* Layman. *lib.1. tract.1. c.5.§.4. n.41.* & Tambur. *d. cap.3.§.7. lit. B. n.3.* quia in dubio judicandum est ad favorem Animæ, Sacramenti, & Fidei. 10

Quarto si dubitetur, an ægrotus laboret morbo periculoso, extra quem non potest ministrari Sacra unctio, & Medici dubium non tollant, neque per tempus liceat dignoscere; Etiamsi in hoc casu possideat morbus non periculosus, qui prior est, quàm periculosus; tamen ungi debere sub conditione docet *Chapeauil. de ministr. unct. c.5.q.11.* Tamb. *d.§.7. Verbo Oleum n.1. ibidem.* quia bonum ægroti præponderare debet, ut non privetur tali auxilio, quando nullum sequitur inconveniens.

Quinto; quia *in Rituali Romano sub Paulo V.* cuius authoritas quanta sit, & quantum excedat limites opinionis probabilis, videatur Card. de Lugo, qui id efficaciter probat *de pœn. disp. 17. sect. 2. à n. 45.* dicitur, quod si dubitatur, an infans monstrum, sit homo baptizetur sub conditione.

Patet igitur illam regulam esse approbatam, & receptam à Doctoribus, vt quando animarum salus, etiam dubia periclitatur, iudicium sit pro animarum salute, & ideo tollitur obiectio.

SECTIO VII.

An doctrina probabilis S. Thomæ de præcessione Animæ vegetativæ, & sensitivæ in humanis fœtibus ostendat, quod primis diebus fœtus non sit animatns anima rationali?

SVMMARIVM.

1 *Repetitur sententia S. Thomæ de pluribus animabus.*
2 *Huic doctrinæ inhærens si non baptizaret, an peccaret.*
3 *Productiones huiusmodi animæ vegetativæ, & sensitivæ fiunt quam citissime in sententia S. Thomæ.*
4 *Et videtur consentire Aristoteles.*
5 *Non est sententia S. Thomæ quod abortiui non baptizentur ante mensem.*
6 *Qui sentit primis diebus non adesse animam rationalem in fœtu non est certus, sed dubitat de opposita veritate.*
7 *Medium probabile non adeo determinat intellectum, vt faciat firmiter adhærere.*

1 S. Thomas supra *Disp. 1. sect. 2. num. 3.* relatus cum suis, constanter asserit in humano fœtu prius generari animam vegetativam, deinde sensitivam, vegatativæ corruptæ succedere, & tandem sensitivæ pariter desinenti advenire per

per creationem animam rationalem; qui modus loquendi tam certus, & non semel à S.Doctore vsitatus, reddit eius sententiam, adeo firmam, ut non possit commode intelligi, interpretando de prioritate, seu de posterioritate naturæ; sed uti simpliciter dicit, & repetit unam animam alteram anteire, ita simpliciter, & humano more de temporanea ad invicem successione debet intelligi.

Nec videtur obstare, quod ibidem. *n.*4. notavi S.Thomam dixisse quidem, unam animam alteram præcedere, nullam tamen temporis distantiam inter illarum successionem præscripsisse, & ideo ipsum non bene fieri Authorem illius sententiæ, quæ dicit fœtum non esse ante primum mensem baptizandũ.

Nam respondent aliqui, hoc argumentum esse ab authoritate negativum, quod sine dubio nihil probat; si quis ergo sequutus sententiam S. Doctoris, & aliorum fœtum abortivum ante mensem editum non baptizaret, non peccaret: posset enim huic opinioni probabili adhærens non formidare de oppositæ sententiæ probabilitate. Siquidem est probabilissima illa doctrina, quam sequitur Arriaga *in sua logic. sect. vlt. n.*80. quod assensus opinatiuus non sit ista formido de oppositio, neque formidinem habeat annexam.

Respondeo S Thomam, non posse quidem intelligi de prioritate naturæ, sed necessario de temporis successione esse accipiendum siquidem post generationem Animæ illius vegetativæ duas alias mutationes substantiales affirmat succedere; generationem scilicet sensitivæ, & rationalis animæ creationem, quæ à parte rei sibi succedunt, ac proinde temporariam durationem exigunt. Sed quod S.Doctor nullum temporis spatium determinaverit, ante animæ rationalis creationem, non attuli ego tanquam argumentum, ex quo inferrem, sententiam esse probabilem: Huius enim probabilitas suis rationibus & argumentis innititur: Sed solum, ut ostenderem illam sententiam, quæ dicit, non esse baptizandum fœtum ante mensem, non fuisse à S.Thoma expressam, neque illi esse adscribendam.

Imo credo, S.Thomam longè ab huiusmodi sententia abesse,

esse, nam *pr. part. q.* 118. *art.* 2. *ad secundum*, suam hujusmodi de generatione hominis doctrinam explicans, dicit quidem *per multas generationes perveniri ad vltimam formam substantialem, tam in homine, quàm in aliis Animalibus*: Sed quod hujusmodi generationes requirant tempus menstruum, neque dicit, neque ex eius discursu colligitur. Imò totum oppositum, quod nimirum brevissimo tempore fiant, videtur sentire: Nam vt probet suam sententiam de pluribus illis in humano fœtu generationibus, statim subdit. *Et hoc ad sensum apparet in animalibus ex putrefactione generatis.* At nihil magis constat, quàm Ranas
3 verbi gratia tempore æstivo, guttis pluvialibus, vix in terrenum pulverem cadentibus, mira celeritate ad multas myriades nasci, & subito gregatim exilire: In quarum generatione, iuxta hanc doctrinam, antequam anima sensitiva Ranæ educatur de potentia materiæ, debet tempore præcedere anima vegetativa, & ante illam prævia dispositio accidentalis, ad ejusdem animæ vegetativæ productionem: Et tamen non est qui non videat, quanta festinatione exurgant illicò, & saltent in solo animalia hujusmodi, statim ac pulveris & aquæ pluvialis mixtura fermentata est, vt idem omninò videatur esse lutum fieri, & ranas nasci; quod etiam S. Augustinus admiratus dicebat *lib. 6. cap. 8. contra Faustum, Ranas repente ex vna pluvia terra generat, &c.*

Et idem S. Thom. 2. *contra gentes c.* 89. *vers. Nec est inconveniens, &c.* expressè fatetur, non esse inconveniens, hujusmodi animam vegetativam, & sensitivam, quæ rationalis animæ creationem præcedunt, statim genitas corrumpi, quia non sunt à natura genitæ, vt permaneant, sed vt sint via, & transitus ad vltimam formam rationalem. Quare manifestè patet, sententiam S. Doctoris esse, quod istæ tres productiones animæ vegetativæ, sensitivæ, & rationalis brevi tempore fiant, & mensem non exigant, ut videre est in generationibus animalium ex putri.

Consonat S. Thom. Philosophia cum Aristotele *in l. de caus. propriet. element. & plant. c.* 1. quem ipse S. Doctor citat *opus.* 28.
4 *art.* 5. dicit enim Arist. *cum cadit semen viri in matricem mulieris, decoquitur in ea decoctione forti, & fit frustum carnis, & creatur in*

ea

ea anima iussu Dei, &c. quæ omnia non longo, sed brevi tempore fieri, cum scilicet cadit semen viri in vterum mulieris, testatur Aristot. & recipit S. Thomas. Et quamvis secundum aliam translationem, postquam factum est fructum carnis, addat Arist. *deinde formatur, & sic fit spiritus vitæ in ea iussu Dei*; per quæ verba actio formativa superadditur, non tamen hæc actio longi temporis spatium exigit, vt in exemplo allato à S. Thoma de generatione animalium ex putri, apparet ad sensum. Ranæ enim, & Vermes à muscis seminati æstivo tempore super carnibus, & aliæ hujusmodi bestiolæ, quàm citissimè producuntur.

Quare constat, non esse sententiam S. Thomæ, quod expectandus sit terminus vnius mensis ab baptizandum fœtum abortivum; cum ex eius doctrina, brevissimo tempore inferatur fieri animationem. 5

Cæterum, vt omninò solvatur argumentum, admitto ego esse sententiam probabilem quorundam, quod fœtus non sit ante mensem anima rationali vivus; Nego tamen in eo, qui illam sequitur non adesse semper formidinem de oppositò: Nam etiamsi philosophemur cum illis, qui asserunt actus fidei, scientiæ, & opinionis circa idem objectum, esse posse in eodem intellectu; Existimo tamen tunc actum opinativum esse sine formidine, quando in tali intellectu, de eodem objecto sit actus fidei, vel scientiæ; qui loquendo de tempore, quo fœtus humanus vivit anima rationali, de facto in nullo homine naturaliter reperiuntur; Existimo, inquam, quod assensus opinativus licet essentialiter non includat formidinem, istam tamen habeat connexam; Neque id negat citatus Arriaga; Jmò disertis verbis monet *d. num.* 80. *opinionem non esse ipsam formidinem, neque illam semper habere connexam, nisi quando in intellectu non est alia cognitio certa de eodem objecto.* Et ratio est, quia motivum illud, quod causat assensum, qui est tantùm probabilis, non operatur, vt intellectus tanta firmitate adhæreat objecto, vt de oppositâ veritate interim non dubitet, aut dubitare saltem possit; & quia in casu nostro occurrit res gravis, & valde periculosa, salus nimirum animæ existentis 6

in abortiuo fœtu, excitari etiam debet ad considerandas rationes probabiles partis oppositæ.

SECTIO VIII.

Defenditur argumentum ex S. Thoma superiori sectione allatum,

SVMMARIVM.

1 *Inter Ranas ex putri genitas, aliæ sunt, aliis adultiores.*
2 *Huiusmodi perfectè formatæ apparent, imperfectè autem quæ gignuntur in stagnis.*
3 *Generantur in aëre ex semine cum vaporibus eleuato.*
4 *Non solæ Ranæ, sed etiam vermiculi repentè gignuntur,*
5 *Ranas ex putri nasci, sacrarum literarum testimonio probatur.*
6 *Quomodo productæ fuerint à Magis, ex S. Thoma.*
7 *Cum S. Thoma, D. Augustinus, Theodoretus, & alij idem sentiunt.*
8 *Et ratione probatur.*
9 *Dantur animalia ephemera, & quæ breuissimo tempore gignuntur.*
10 *Etiam ex Ranis perpluto solo genitis, aliquæ sunt semiformatæ.*
11 *Ranas aliquando cum pluuia cecidisse testantur aliqui, & non negatur.*
12 *Gigni in nubibus ex vaporibus præseminatis, refellitur.*

OPponit doctissimus ille P.G.H. Theologiæ, & Philosophiæ Professor, me non benè exemplum attulisse Ranarum, quæ æstiuo tempore ex putri cum aqua pluuia, puluere fermentato repente generantur; vt probarem esse ad mentem S. Thomæ quod anima rationalis primis diebus sit in fœtu, vide *sect. præced. n.* 3. Nam inquit, Ranas illas neque in terra, neque subito generari. Et quod subito non gerentur probat.

Primò

Primo quia quæ apparent ibi grandiuſculæ, minoribus ad- 1
mixtæ, notabiliter differunt inter ſe, hoc eſt dupla, imo tripla differentia; quod ſignum eſt alias, alijs eſſe adultiores.

Secundo non apparent ibi Ranunculæ illæ, embryones tantùm, hoc eſt clauſæ adhuc ovo per caudulam mobili: ſicut decocto Ranarum ſemine, ſemper apparent in ſtagnis: ſed expeditæ ſecundinis illis omninò, & exterius organizatæ, ac mobiles, ad modum adultiorum: ſi autem ſubito ad mixturam æſtivæ pluviæ cum perpluto ſolo generarentur, deberent non perfectius primò apparere illis quæ prodeunt ex Ranarum ſemine ipſo, & quidem tandiu à Sole decocto. Cum ſi qua ineſſet ſe- 2
mentina vis, aut ſolo, aut æſtivæ pluviæ Ranarum generativa, certè non eſſet illa perfectior, promptiorque ad generationem, quàm inſit Ranarum ipſi ſemini. Et patet ſanè animalcula ex putrefactione nata, paſſim omnia longè diutius fermentari, ac tardius prodire in vitam, quàm ea, quæ naturalibus via, ac ſemine naſcuntur.

Deindè probat, ſeu potius explicat, quod non ibi generentur pluviales Ranunculæ ab æſtiva pluvia in ſolo perpluto, ſed alibi, & aliunde; Nimirum ex ipſo Ranarum ſemine, quod in ſtagnis effuſum, à Sole, cum vaporibus aliis, elevatur in nubes, 3
etiam illas denſiores, ſupra noſtrum aërem, vtrinque aquis clauſum; vbi in Ranas, decocto ſemine, ibidem illæ vagãtur, tum embryones, tum ſecundinis exutæ, & formatæ Ranunculæ: Ac denique vnà cum imbre valido ſoluta, & effuſa nube, deferuntur in terram; in qua excitatæ impulſu, impatientius ſubſultant. Hæc ingenioſiſſimus Pater.

Ad primam partem argumenti, in qua conatur probare, Ranas non ſubitò naſci, ex fermentato pulvere, & æſtiva pluvia, reſpondeo; me non ſolùm attuliſſe exemplum Ranarum, ſed etiam Uermiculorum, qui apparent ſuper carnibus exſectis, & æſtivo tempore à Muſcis prolifico contactu fæcundatis: Hos 4
enim Vermes; horario tempore generari, vivere, & organizatos ibi repere, & moveri, experientiâ notiſſimâ compertum eſt. Ranas autem, cum D. Auguſt. dixi repente generari, & nunc iterum repeto, & confirmo ex Sacris literis; Etenim c. 8. *Exodi*

5 à Magis Pharaonis veras Ranas procreatas fuisse certum est apud S. Thomam, cuius de prima hominis vita doctrinam defendo; ipse enim *p. part. q.* 14. *art.* 4. docens, Magos non per oculorum præstigiosam illusionem, fecisse Ranas, neque aliunde illas, ope Dæmonnm velocissime adduxisse, vt aliqui gratis opinantur, sed veras, & reales Ranas in conspectu Moysis, & Pharaonis procreari fecisse, ait. *Magi Pharaonis per virtutem Dæmonum, veros serpentes, & veras Ranas fecerunt, quæ Phantasmata non fuerunt, vt Augustin. dicit* 20. *de Civit. &c.* & 2. 2. *q.* 178.
6 *art.* 1. *ad* 1. dicit, quod, *Magi Pharaonis fecerunt veras Ranas, & veros Serpentes, &c.* & *q.* 6. *de potentia art.* 5. *ad* 8. explicans modum huiusmodi conversionis ait; *Hoc fecerũt Dæmones per aliqua semina collecta, quæ habebant vim putrefaciendi virgas, & in Serpentes convertendi, &c.* & ibidem *q.* 16. *art.* 9. *ad* 10. *Magi Pharaonis fecerunt Ranas adhibendo quædam activa naturalia, quæ August.* 3. *l. de Trin. c.* 7. *&* 8. *nominat semina ex occultis elementorum finibus accepta, &c.*

Constat igitur S. Doctor. in ea esse sententia, vt credat, etiam in rerum natura, esse virtutem, per quam activa passivis applicata, animalia, Ranæ scilicet, & Serpentes veri efficiantur, & huiusmodi effectus brevissimo tempore producantur: Sicut enim Magi tanto tempore, quantum insumpsit Aaron in proiectione suæ virgæ in terram, vt supernaturali virtute converteret in Serpentem, proiiciendo suas virgas pariter in tetram, vt *Exod. c.* 7. 12. naturali virtute verterunt in colubros; & sicut idem Aarone extendente virgam suam super aquas Ægypti, infinitæ Ranæ sunt exortæ, ita illi *per incantationes suas*, ideſt coniurando Dæmones, *fecerunt similiter, & eduxerunt Ranas super terram Ægypti Exod. c.* 8. 7.

7 Et non solùm *S. Thomas cum D. Augustino, sed etiam Theodor. Lyran. Abulens. Burgens. Cajet. Petr. Com. in Gen. cap.* 8. *Glycas* 2. *part. annal. Martin. Delrius lib. secund. disquis. magic. quæst.* 6. *Cornel. à Lapid. Bulal. de Angel. quæst.* 12. *artic.* 1. *difficult.* 2. §. 6. sunt in hac sententia, vt credant Serpentes & Ranas veras fuisse repente productas: Nam certum est, Aaronis virgam in verum Serpentem fuisse mutatam, & veras

Ranas

Ranas ad ejuſdem imperium fuiſſe procreatas;Sed Sacra ſcriptura eodem modo loquitur de iſtis,ac de Serpentibus,& Ranis 8
Magorum. Secundo quia ſi quæ illuſiones fuiſſent à Magis factæ,vel phantaſticæ apparentiæ,cauſantibus Dæmoniis;vel hujuſmodi animalia vera, illuc velociſſimè aſportantibus , Moyſes illuminatus à Deo cognoviſſet,& detexiſſet; ne Pharao excuſationem haberet. Tertio quia Dæmon larvas Serpentum , & Ranarum non adduxiſſet ; ſiquidem vereri poterat, ne Moyſes fraudem detegeret, magna ſua , & Magorum ignominia.

Et de animalculo,ſeu parva Muſca,latine Ephemera , quæ ex vini exhalationibus generatur,dicit *Petr.Com.c.*8 *in Geneſ.*quod 9
ante clepſydram naſcitur,hoc eſt intra unius horæ ſpatium. Dari etiam animalculum quadruplex, quod volat, & vivit, uſque in pomeridianum diei tempus,& Diarium appellatur, quia occidente Sole emoritur,teſtis eſt *Ariſtoteles lib.*5.*de hiſt.Anim.*c.19. Et de pinguedine Blattæ vermiculi , docet *Plinius lib.*29. *c.*6. lanæ infuſam,cum roſaceo auribus prodeſſe:Sed hujuſmodi lanam poſt paululum extrahendam,monet.*Celerrimè enim*,inquit, *id pingue tranſire in Animal,& fieri vermiculum*.Et de quodam viro, qui ubi excreaſſet , intra horæ dimidiæ ſpatium , Ranam exiguam pro ſputo oſtendebat , refert *Cardan. lib.* 16. *de ſubtilit. Aldrovand.& Ambroſium de quadrup.dignitat.libro primo cap.*4.

Tandem *D.Baſilius in Hexam.*ad verba Geneſis , *& fecit Deus omne reptile terræ &c.c.*1.24. dicit, *Præceptum hoc, ſic impreſſum eſt Terræ elemento,ut ne hodie quidem deſinat ſubſervire ſuo Creatori, &c. Non ſolùm enim Cicadas,humus.pluvio tempore edit , & innumeras alias beſtiolas in Aëre pervolantes,quarum plurimæ præ tenuitate nullam ſortitæ ſunt nomenclaturam:quin & mures,Ranaſque ex ſeipſa jam profert,&c.*Certiſſimum igitur eſt,& communiter receptum,Ranas,non ſolum ex naturali ſeminatione;ſed etiam ex putrefactione generari in perpluto terræ pulvere.

Nec obeſt , quod Ranę pluviales non omnes ſint ejuſdem magnitudinis : Nam hęc differentia non provenit,ex eo quod, 10
omnes eodem breviſſimo tempore , non ſint productę ; Sed

ex majori, vel minori terræ cum imbre fermentatione. Sicuti non obſtat, quod non appareant ibi Ranunculæ; ut in ſtagnis ſemiproductæ: Nam ego ipſe non ſemel vidi, aliquas ex illis in ſolo ſubſultantes, partem extremam ſui corpuſculi, adhuc lutoſam, & informem trahere.

Jam ad ſecundam argumenti partem, prompta eſt ſolutio; Et in primis non nego, Ranas aliquando cum pluvia cecidiſſe; id enim *Athenæus, Heraclides, Ælianus, Diodorus, Beda, Plinius, Car-*
11 *danus, & Io. Baptiſta Porta de aër. tranſmut. lib. 1. cap. 20.* & alij affirmant; & Heraclides teſtatur, circa Dardaniam, & Pæoniam, tam copiosè Ranis pluiſſe, ut Incolæ non haberent, ubi pedem figerent, & poſtquam multas occiderunt, demortuarum odore ad extremum vexati, Patriam deſerere coacti ſunt. Sed, quod in nubibus ex elevatis à Sole vaporibus, iiſque ex lacubus, & ſtagnis Ranarum ovis præſeminatis, gignantur, commentum eſt; quod Porta, non leviter redarguit, & irridet.

Et quis non videt, quod ſi Raninis ovis in aërem elevatis, ait Porta, genitæ fuiſſent ibi tot Ranæ, debuiſſent regiones illæ, ne dum in ſtagnis, & lacunis, ſed in omni loco eſſe ovis præſemi-
12 natæ, & opertæ? Deinde cur æſtivæ guttæ in ſolo pulverulento, non autem cadentes in tectis, & lapidibus ſtratis, qui pulvere carent, Ranas gignunt? Tertio cur non in vere, quo tempore, jam aquæ ſtagnantes hujuſmodi ovis abundant, & vapores plurimi aſcendunt in aëra; ac proinde frequentiores, quàm in æſtate ſunt imbres, Ranæ cum pluvia cadunt è nubibus; ſed in æſtate tantum? Niſi quia hoc tempore ab æſtivo calore fit fermentatio pulveris cum aqua. Tandem quia mirum eſt, Itinerantes hoc tempore pluviam, tum pallio, tum pileo excepiſſe ſæpius, Ranas vero nunquam.

SECTIO

SECTIO IX.

Proponitur argumentum Guillielmi Harvæi, quo ipſe probare intendit, ante menſem exactum nihil ad fætum pertinens, eſſe in utero mulierum.

SVMMARIVM.

1 *Guillielmi Harvæi refertur ſententia de tempore quo mulier incipit vterum geſtare; argumento ſumpto à Cervis & Damis.*
2 *Andreas Veſalius notat Galenum, quod numquam ſecuerit hominum corpora, eumque reprehendit.*
3 *Eadem diligentia videtur deſiderabilis in Harvæo.*
4 *P. Honoratus Fabri reprehendit Harvæum dicentem, primis diebus nihil inveniri in utero mulieris.*
5 *Maior in argumento Harvæi non eſt vniverſaliter vera.*
6 *Equa, & Aſina geſtant uterum menſes duodecim, Et tamen Aſina tardius format.*
7 *Idem de Camelo fœmina reſpectu Equæ.*
8 *Cerva eſt muliere frigidior.*
9 *Mulier concipit fœtum in cavitate uteri: non autem Cerva, & Dama.*
10 *Etiam Minor in argumento Harvæi falſa eſt.*
11 *Guillielmus Harvæus de re anathomica ſumma dignus laude.*

INſtat contra meam propoſitionem Præſtantiſſimus D. Gulielmus Harvæus inter noſtri temporis primarios Anathomicos, nemini ſecundus, in ſuo *tract. de generat. anim.* & quia ex accurata ſectione Cervarum, & Damarum obſervavit poſt concubitum maris, & feminæ, & poſt lapſum integrum menſem, nihil omnino ſeminis, aut cujuſvis humoris ad conceptum ſpectantis in utero hujuſmodi animalium inveniri, intulit ad uterum

rum mulieris;ea ſuaſus ratione quod tam mulier,quam Damæ, & Cervi eodem novem menſium tempore geſtant uterum, Concubitum horum animalium incepiſſe à medio ſeptembre uſque ad medium Octobrem aſſerit,exercit.66 inſtituta quotidie eorumdem animalium ſectione. At vero Exercit.68. fatetur die 18. aut etiam die 21. Novembris inveniſſe non quidem intra cavitatem uteri; ſed in ſiniſtro vel dextro aut utroque uteri cornu,materiam colliquatam,quam in Ovo gallinaceo,oculum, ſive colliquamentum appellaverat: & hanc eamdem materiam intra tunicam orbicularem vidit contineri;in medio hujus colliquamenti fibras ſanguineas, & punctum ſaliens apparere; quod eſſe futuri fætus primordium Ariſtoteles, & omnes alij conveniunt. Eſt autem argumentum Harvæianum in forma,ut ſequitur.

Animalia vivipara, quæ æquali tempore geſtant uterum, æquali etiam tempore incipiunt in utero formare fœtum.

Sed mulieres, Damæ,& Cervæ æquali tempore geſtant uterum.Ergo,æquali tempore incipiunt in utero formare fœtum.

Et ſubſumens,ait,ſed non inveniuntur prima fœtus rudimēta in uteris horum animalium niſi tranſactis à congreſſu diebus 58.aut etiam 64.hoc eſt, integro circiter bimeſtre: Ergo non primis diebus à conceptione ſeminali, ſed ad ſummum, poſt elapſum bimeſtre tempus affirmari cum fundamento poteſt,fœtum humanum, eſſe animatum. Ita diſcurrit Harvæus cum ſuis.

Sed ego vereor,ne quod Andreas Ueſalius, inſignis in ſuperiori ſeculo Anatomicus, contra Galenum dixit initio præ-
2 fationis ſui operis cui nomen dedit, *De Fabrica hum.corp.* idem contra Harveum dici merito poſſit.Galenus enim ex anatomia, & ſectione ſimiarum ad humani corporis fabricam,paſſim argumentatus, illa neglexit ad oſſium inſpectionem parata hominum cadauera,quæ ſibi frequenter occurrebant; & hac de cauſa, illam contra ſe infamiam,ab eodem Ueſalio creari promeruit lib 3. c.8. ut numquam hominum corpora ſecuiſſe videretur.Eodem modo peritiſſimus Harveus tanto ſtudio ad Damarum & Cervarum ſectionem incubuit ut quia hæc animantia in

geſtatione

geſtatione uteri, cum mulieribus conveniunt, ſuperfluum ſibi viſum fuerit, muliebres, nedum abortiones obſervare, id quod antiquiores, & noviores Medici præſtiterunt, ſed neque uterum 3
mulierum unquam forte ſecuerit; ratus quod argumentum à pari bene procederet.

Sed ne quis mihi audaciæ notam imponat, quod primus contra præclariſſimum virum auſim ſcribere, quem ex medicorum ſchola plurimi magni faciunt, præmitto adm. R. Patrem & Dominum meum P. Honoratum Fabri inſignem Theologum ſoc. Jeſu, & in Romana Curia Apoſtolicæ Baſilicæ SS. Petri & Pauli Penitentiarum in ſuo eruditiſſimo Opere de plantis, & gener. anim. tract. 1. lib. 6. propoſ. 65. Harvæum efficaciter arguere, quia ſcripſerit maſculi genituram non retineri in utero à fœmina, hac nimirũ ratione ductus, quia primis diebus elapſis, à concubitu, talis materia non invenitur, neque in uteri cavitate, neque 4
in tubulis, aut cornibus eius; immemor fortè illius, quod exercit. 56. ſcripſerat, *multa inſunt, quæ non apparent*: nam attrahitur ſtatim, & imbibitur genitura intra ſubſtantiam uteri, & hoc modo fœcundat uterum, ut Pater Honoratus efficaciter, & ſolide diſcurrit numero ſexto, & ſeptimo ubi, hæc *falſiſſima & meræ figmenta* dicit.

Dico igitur majorem propoſitionem argumenti, non eſſe 5
univerſaliter veram; cum enim virtus, & facultas formativa ſive ſit ipſa animalis ſubſtantia, quæ immediatè ageret ut ex Philoſophis, nonnulli ſentiunt ſive mediatè, & per facultatem quamdam ab ipſa ſubſtantia, ad inſtar proprietatis derivatam, euidens eſt quod juxta talis animantis naturam, & ſubſtantiam, non præter aut ſupra ipſam operari debet Quis autem credet quod in leena verbi gratia quæ audaciſſimum, robuſtiſſimum, & calidiſſimum eſt animal, ſpiritibus ignitis, & ferventibus munitum, hæc facultas formativa, ſeu plaſtica, non ſuperet in activitate virtutem formativam quam natura conceſſit Cuniculis & leporibus, quæ ſicut ſunt animalia timidiſſima, ita ſpiritus valde frigidos, languidos, & remiſſos habent: ergo ex parte virtutis formativæ quæ vel provenit à ſubſtantia ſpecie diverſa, vel eſt ipſa ſubſtantia, ſeu anima ſpecie differens ab altera alterius ani-

malis,non poteſt eſſe idem,& æquale tempus formandi fœtum, ſed vnum animal celerius,& aliud tardius formabit.

Deinde,etiam ſi ex parte virtutis activæ,ſeu cauſæ efficientis huiuſmodi tempus eſſe poſſit æquale: ex parte tamen diſpoſitionum materialium, ſeu cauſæ materialis, multa, & notabilia concurrere poſſunt impedimenta,quæ formationem retardent. Ergo non erit ſemper verum,quod animalia, quæ conveniunt in tempore geſtandi uterum,conveniant etiam in tempore formandi fœtum: ſed age quæ modo tanquam poſſibilia ſpeculamur,videamus an practice ſint vera, & quæ in Philoſophia, ut poſſibilia contemplamur, ex hiſtoria animalium de facto ita contingant.

Primo ſint duo animalia ſpecie diverſa, que conveniant in tempore geſtandi uterum, Equa verbi gratia & Aſina:utraque
6 enim ex Ariſtotele *lib.2.de gen.ani. c.*8. geſtant uterum menſes duodecim, & omnes noſtri vectores bene norunt:eodem enim tempore poſt annum pariunt,quò conceperunt,ut ibi.argumentatur Ariſtoteles: ſed Aſina reſpectu Equæ frigidum eſt animal cujus ſignum eſt, quod in frigidis regionibus non naſcitur; & frigidum etiam habet ſemen,ut ibi.probat Aritoteles.Ergo formatio fœtus in utero Aſinæ,fit multo tardius,quamvis ſimul,& æquali tempore cum Equa geſtet uterum. Secundo ſint alia duo animalia,Equa nimirum, & Camelus fœmina,quæ pariter geſtant uterum menſes duodecim; de Equa Author eſt Ariſtoteles *lib.4.de generat. anim c.*10 Varro Columella,& Aldrovan. *de Quadrup. lib.*1. de Camelo idem Ariſtoteles *lib.5. hiſtor. anim.cap.*14.Plin.*lib.*10.*cap.*63.Conrad.Geſner,& Aldrovan. *de biſulcis.*At vero quod Equa Camelo tardius formet fœtum, duo ſufficienter probant. Primum eſt quod Equa non ſolum menſtruoſa non eſt ut tradit Ariſt. *lib.2. de gener anim. cap.*8.ſed, ut ib.addit, quandocumque purgatur à ſuperfluo ſanguine, inter quadrupedia minimum ſolet emittere id quod *de hiſtor. anim. lib.6.cap.*18.declarat eſſe minimum reſpective ad corporis magnitudinem. At vero ſupra *ſectio quinta numero quinto* vidimus plurimum conducere ad celerem, & expeditam fœtus formationem

tionem, quod per uteri acetabula, seu venarum, quæ sunt in utero capita, sanguis in uterum derivatus misceatur cum maris genitura, jam in uterum iniecta: statim enim membranæ fiunt & intra illas mox incipit fœtus prima formatio. Cum ergo in Equa sanguis respectu cæterorum quadrupedium, & consequenter, etiam Cameli sanguis sit minimus, sequitur respectu formationis fœtus in utero Cameli, formationem in utero Equæ esse tardiorem Secundum est quod pariter necessarium est in Equa retardare primam fœtus formationem, quod ut ait *Arist.* 10. *sect. prob.* 10. Equa uterum habet valde durum: & *quo modo ait ager sitiens haud cito suas stirpes enutrit, sic durior vulva Equarum in formando, nutriendoque suo fœtu, remorat.* subscribunt Aristoteli Gesner. *de Equo fol. mihi* 487. & Aldrovandus *lib.* 1. *de quadrupedibus*

Constat igitur in genere & universaliter loquendo veram non esse majorem illam in argumento Harvæjano positam. Videamus nunc, an saltem verificetur in casu particulari, de conceptione mulierum comparata cum conceptione Cervarum & Damarum: & quamvis etiamsi verificaretur, non satis esset verificari in casu particulari ad probandam universalem propositionem, quod quæ æquali tempore gestant uterum æquali tempore formant fœtum; tamen existimo, neque in casu particulari esse veram.

Primo quia, si Cervarum, & mulierum qualitates inter se comparentur, quis dixerit eas notabiliter non differe. Illud apud omnes, certum est, Cervas à natura complexionem frigidissimam fuisse sortitas. Ita docet Arist *lib.* 4. *de part. anim. cap.* 4. Plutharc. *in Quæst. natur.* & Aldrov. *de Bisulc. lib.* 1. *cap.* 27. & ideo 8 earum sanguis, ut Arist. ib. docet fibras non habet. Ergo non bene infertur, eò quod animalia frigidiora differant formationem fœtus, usque ad diem verbi gratia quadragesimam, quod ad æquale tempus differant etiam animalia calidiora, ut sunt mulieres, quæ inter omnes fœminas, calidiores sunt, ut sanguis fibrosus, & eiusdem menstruum profluuium demonstrant; ut notavit *Arist. lib.* 2. *de part. anim. c* 2.

Secundo; quia uteri cavitas in Cervis & Damis minima est,

& exigua, & ideo in istis animantibus locus gene rationis non uterus sed uteri cornua sunt, in quibus fœtus concipitur, ut idem Harvæus docet *exercit.* 64. ubi idem contingere in aliis viviparis,
9 præterquã in muliere, & in simia opinatur. At in muliere præcipua pars uteri est ejus cavitas, in qua, nõ autem in cornibus cõceptus incohatur, fœtusque formatur, & perficitur, teste eodem Harvæo ib. ergo in muliere formatio fœtus, quò minus impedimenti habet ab utero, eò celerius à virtute plastica sollicitabitur.

Tertio; quia fibræ sanguineæ, in sententia Harvæi, & punctum saliens in ovo Damarum non apparent nisi post mensem & amplius elapsum, à conjunctione, ut *in d. exercit.* 68. ipse testatur & non nisi post alios sex, aut septem dies fœtus illarum appareret formatus. At vero conceptus humanus apparet inchoatus, & formatus post primos tres dies, ut diligentissima experientia notatum reliquit Theodorus Kerkringius à me citatus *Disp.* 2. *sect.* 1. *num.* 9. aut saltem septimadie à conjunctione ut ex Hippocrate, & Platerio *Disp.* 1. *sect.* 10. *par.* 3. *n.* 3. 4. 5. & habet nedum fibras sanguineas, sed in tenello corpusculo, omnia membra quæ corpus habere potest.

Quarto quia ex Hippocrate citato sup. *Disp.* 3. *sect.* 5. *num.* 13. signum conceptionis in muliere est si ex utero intra septem dies nihil exciderit. At verò Damas, nihil habere in utero per mensem & ultra quod posset excidere affirmat ille constantissimè. Quare nihil mirum si mulieres citius concipiant, & membranas subito gignant.

10 Quintò, quia quicquid sit de Cervis Anglicanis Arist. *lib.* 6. *Histor. anim. c.* 29. Cervas ab arcturo, mense Augusto, & septembri coire, & uterum non menses novem gestare, sed octo, disertis verbis testatur. Atque ideo in prædicto argumento, etiam minor propositio, si negetur tamquam falsa, erit totum argumentum, non syllogismus, sed Paralogismus. Illud hic pro colophone superaddo; excellentissimum Anathomistam Haruæum tamquam de re anathomica bene merentem, summis laudibus dignum esse; & maxime commendandum quod exactissimam diligentiam, & summum studium in Cervis, Damisque secandis, adhibuerit: cæterum in re philosophica, ejus authoritatem

non

non esse tanti faciendam, ut vidimus, quod propter illam, ab antiquis facile recedamus; præsertim ab Hippocrate & Galeno; Fieno etiam, Platerio, & alijs recentioribus, qui vestigijs priorum inhærentes, in hac via adeo invia, non sine magno labore, & industria in sudarunt, vt nobis accensa face præirent, & variis observationibus veritatem demonstrarent, in tenebricosis licet muliebris vteri sinibus deliteſcentem.

SECTIO X.

An Fœtus humanus primis diebus existens in vtero matris mox morituræ, sit baptizandus.

SVMMARIVM.

1 *Quod nondum natum est, non videtur posse baptizari.*
2 *Sed re vera fœtus, qui est in utero, natus est.*
3 *Impractiçabile tamen est hujusmodi Baptisma;*
4 *Si posset practicari non esset absurdum.*

PRæterea addunt aliqui, quod si rationes, & authoritates pro mea conclusione adductæ aliquid probant; probant etiam baptizandos esse in vtero matris Parvulos recentes, & nondum editos, quando periculum est, quòd moriente matre, verbi gratia propter imminens naufragium, pereat etiam filius inclusus in vtero: sed id videtur absurdum, quia quod nondum natum est, renasci non potest, & per baptismum regenerari; Ergo absurdum est etiam id vnde sequitur, & prosequitur Comitolus *l.* 1. *q.* 13 *n.* 2. 1

Respondeo non esse absurdum baptizare fœtum in vtero propter rationem illam allatam de regeneratione, quæ fit per Baptismum: Nam tunc re vera natus est homo, cum vivit in utero, & constat ex Anima, & corpore seorsim à corpore, & anima 2

Matris, licet nondum sit egressus ad lucem, vt bene advertunt *Valent. Suar. Coninch.* & ante ipsos, alii antiquiores, quos citat, & sequitur *Diana part. 2. tract. 15. resolut. 43. & part. 5. tract. 3. resolut. 12.* Et supponit Concilium Carthaginiense à me relatum *disp. 1. sect. 13. num. 3.* tunc enim ex non homine genitus est homo, & verè contraxit peccatum originale. Vide infra sect. 15. num. 2.

Sed est alia ratio, propter quam convincitur Baptismi functionem esse in tali casu regulariter impracticabilem: Nam ut testatur Arist. *de hist. anim. c 4. cum semen conceperit, vterus, statim contrahitur, donec ad septimum mensem ventum sit, &c.* & Galen. *l. 15. de vsu. part. c. 7. Os matricis, quo tempore mulier fert vterum, est omninò constrictum, & conglutinatum, vt nec spiculli quidem cuspidem queas in matricis collum immittere, &c. qui autem id fiat, superat humanam ingenium, &c.*

Cum igitur neque per fistulam, neque alio simili modo possit actio ministrantis Baptismum ad fœtum adeo recentem in vtero inclusum pervenire, illumque aqua Baptismali abluere, redditur regulariter impracticabilis mea conclusio, quò ad hujusmodi fœtum in vtero baptizandum, ideò de illo non sum ex professo loquutus, sed si esset practicabilis, admitto esse baptizandum in prædicto, vel simili casu, & nego absurdum, vt patet ex ratione jam allata, & Doctoribus citatis.

SECTIO XI.

Rursus examinatur difficultas, an praxis Baptizandi Abortivos tanquam nova, sit ab universali Ecclesia eliminanda?

SVMMARIVM.

1 *Nihil innovandum in Ecclesiæ ritibus.*

2 *S. Cyprianus hæreticos conversos rebaptizabat.*

3 *Solùm*

3 *Solùm in Ecclesia Catholica est verum baptisma, quod tamen etiam ab Infidelibus potest ministrari.*

4 *Propositio de Baptizandis sub conditione Abortivis non est contra fidem, neque contra aliquam Ecclesiæ consuetudinem.*

5 *Ex eo quod huc vsque non fuerit vsitata, non potest inferri, quod opposita propositio sit contra legem, vel consuetudinem Ecclesiæ.*

6 *A D. Gregorio prævisa est, & ordinata.*

7 *Sed etiamsi per impossbile daretur consuetudo contraria, illa non esset attendenda, quia esset contra Ius Divinum.*

8 *Non semper Ecclesia novitatem abhorruit, sed solùm quando inutilem, & illicitam consideravit.*

9 *Ecclesia, & Apostoli ab initio novitatem utilem prævidentes amplexi sunt.*

10 *Animalia strangulata, & suffocata Iudæi manducare sunt prohibiti; quæ etiam Gentiles non manducabant ex causa superstitionis.*

11 *In re levissima D. Petrus, Spiritu Sancto dictante, ordinavit aliquid legale esse observandum à primis Christianis.*

12 *Licet pro brevi tempore, & postea abrogandum.*

13 *Innovavit S. Mater Ecclesia de anno 329. contra Pauliniſtas.*

14 *Innovavit anno 680. contra Monothelitas.*

15 *Innovavit anno 1336. contra plures Theologos, circa Animas Sanctorum.*

16 *Innovavit anno 1547. declarando gratiam inhærentem.*

17 *Innovavit anno eodem declarando SS. Virginem nunquam actualiter peccasse.*

18 *Innovavit anno 1562. decernens Laicorum Communionem sub una tantùm specie.*

19 *Innovavit definiens in SS. Sacramento nullam remanere substantiam panis, & vini.*

20 *Praxis contraria non est vniversalis in Ecclesia.*

OPponitur rursus Argumentũ alias propositum *disp. 1. sect. 12. & sect. 14.* resolutum, quod nimirum cum in re tanti momenti, nunquam antea S. Mater Ecclesia aliquid definierit, quando

quando Sacros de Baptismo ritus præscripsit, nunc noviſſimis
1 his temporibus non expediat, quod aliquid ab eadem innovetur, ſed præſtet in antiqua conſuetudine, ut abortivi non baptizentur, permanere; quod olim benè in ſimili contra S. Cyprianum, S. Stephanus Primus Papa de anno 158. decrevit. Aſſerenti enim S. Cypriano rebaptizandos eſſe hæreticos, qui ad Eccleſiam revertebantur; Reſpondit, & reſponſio eſt in fragmento Epiſtolæ ab eodem S. Stephano ſcriptæ, ad S. Cyprianum illam referentem in ſua *epiſt.* 74. reſpondit, inquam, his verbis. *Nihil innovandum, niſi quod traditum eſt ſervetur.* Cum igitur S. Romana Eccleſia huc uſque nihil de Abortivis decreverit, & per ſeptuaginta & ſexcentos ſuper mille annos Spiritu Sanct. illuſtrata, ſemper ſatis, ſuperque animarum ſaluti providerit; Non decet modo aliquid innovando decernere contra illud, quod traditum eſſe videtur ex tam longa conſuetudine.

Cæterum, ut hoc argumentum; quod videtur inter omnia
2 graviſſimum, ſolvatur; animadvertendum eſt, S. Cyprianum una cũ pluribus Epiſcopis Eccleſiæ, tum Orientalis tum etiã Occidentalis in Concilio Iconienſi, Carthaginenſi, & Africano, hac de re non ſemel habitis, voluiſſe, & ſæpius definiri feciſſe, ut Hæretici ad Eccleſiam Catholicam venientes rebaptizarentur; eo permotum fundamento, alioquin veriſſimo, quod ſolùm in Eccleſia Catholica eſſet verum Baptiſma; Sed quia ipſe non adverterat, quod poſtea à SS. Pontificibus Leone, & Gelaſio relatis *in c. hi de quibus*; *& in c. ſi re vera de conſecr. diſt.* 4. & à Ni-
3 colao I. *in c. à quodam Iudæo, & in c. Romanus. dicta diſt.* 4. & tandem in Concil. Florent. *ſeſſ. vlt. in decreto pro Armenis.* Statutum eſt, quod etiam Pagani, Iudæi, & Hæretici baptizare validè poſſunt, & ſunt in Eccleſia Catholica Miniſtri dummodo formam, & materiam ab Eccleſia probatas adhibeant, & intendant facere, quod ipſa facit; Ideo S. Stephanus Pontifex, & ſi non Eccleſiæ decretis, quæ nondum condita erant; ſed antiſquiſſima ejuſdem traditione ductus, quam ſemper Eccleſia ſervaverat, conſtantiſſimè reſcripſit illis verbis. *Nihil innovandum, &c.* Innovabant enim contra fidei veritatem, & antiquam Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, de non rebaptizandis Hæ-

reticis

reticis ad Ecclesiam reversis, ut videre est apud D. August. *lib. 3. de Baptism. contra Donat. à cap. 4. & deinceps, & lib. 7. à cap. 5.* qui illos acriter reprehendit & singulorum argumenta redarguit.

At verò mea propositio de Baptizandis Abortivis sub conditione, nihil continet contra fidem, aut antiquæ Ecclesiæ consuetudinem cum vt dixi supra *Disp. 3. sect. 1. n. 6.* contineatur ipsa 4
sub universali illa propositione in Tridentino definita. *Parvuli recentes ab vtero matris sunt baptizandi.*

Nec dici potest esse contra antiquam Ecclesiæ consuetudinem, vt gratis supponitur; Primo, quia si hujusmodi consuetudo daretur, esset introducta solùm à mulierculis obstetricibus, & à vilioribus, & indoctis personis, quæ solæ ut plurimum intersunt, dum fœminæ abortiuntur: quare ex ignorantia, vel inadvertentia talium personarum processit, ac proinde non cum animo, & intentione requisita ad abrogandam legem contrariam: Nam ad hunc effectum, requiritur non solùm in subditis animus, & voluntas eximendi se ipsos ab observantia talis legis. Suar. *de leg. lib. 7. c. 18. n. 4. ad 9.* Sed etiam in Principe requiritur consensus, & voluntas illam abrogandi; vel saltem 5
conniventia, & taciturnitas Sum. Pontificis, qui in hac materia est Princeps, & legislator; Sed neutrum in præsenti potest dici: Non animus Populi Christiani; quia omissiones, quæ huc vsque contigerunt in isto casu, non ex malitia, quæ cum non constet, non præsumitur: sed provenerunt ex ignorantia, & inadvertentia rudium personarum: Non conniventia, Sum. Pontificis: quia quod in privatis ædibus omissũ est, ex inconsideratione eorum, qui aderant, non potuit vllo tempore ad Sum. Pontificis notitiam pervenire. Sed vigilantissimus Pastor D. Gregor. Papa à me relatus *disp. 1. sect. 13. n. 8.* videtur id satis prævidisse, & propterea, monet & mandat, *vel ipsa hora, qua mater gignit vel hoc quod gignitur eadem qua natum est, si mortis periculo vrgetur, esse baptizandum, ne interveniente paululum mora, inveniri non valeat, qui redimatur.* Quibus verbis clarè describitur 6
nativitas, & periculum Abortivorum.

Quod autem siue inadvertentia, sive ignorantia in hujusmodi personis concedenda sit, patet; quia præsens difficultas, neque à Theologis scholasticis, neque à Casuistis fuit vnquam, vel discussa, vel indicata; Si ergo à Uiris doctis, & Professoribus fuit dissimulata, multo magis idiotas, & indoctos potuit inculpabiliter latere.

Secundo quia etiamsi hujusmodi consuetudo esset possibilis aut de facto daretur, nullo pacto esset attendenda. Cum enim de Jure Divino, & de fide sit certa ista propositio *Infantes Abortivi si vivant, sunt baptizandi.* Jam consuetudo hujusmo-
7 di esset contra Jus Divinum, & contra fidem; ergo non consuetudo, sed hominum traditio dicenda esset; vt notavit *Suarez de legib. lib. 7. cap. 6. n. 13.* & sicuti verè à Christo Domino dicta fuit *Matth. cap. 15.* illis verbis. *Quare, & vos transgredimini Præceptum Dei propter traditiones vestras?* Hæc autem traditio nullum effectum moralem potest producere, cum tota sit ab homine; ut notavit S. Thom. 1. 2. q. 97. art. 3. & Suar. *d. lib. 7. cap. 4. n. 13.* Et homo non possit contra Divinam legem prævalere. Quare meritò *in cap. fin. de consuet.* appellatur *corruptela*, & quantum vis vetusta sit, & vulgata, est abolenda. Quia vt dicitur *in c. si consuetudinem dist. 8.* Dominus dicit. *Ego sum Veritas, & non dicit ego sum consuetudo*; Ergo veritas non consuetudo contraria est attendenda in casu nostro.

Dices Ecclesia semper abhorruit novitatem. Ergo cum Ecclesia, sine hac lege tanto tempore permanserit, non debet novam legem publicare de Baptizandis fœtibus abortivis.

8 Respondeo negando, talem legem sub generali lege de Baptizandis parvulis recenter ab vtero matrum egressis contentam, non esse publicatam. Nego etiam S. Matrem Ecclesiam semper abhorruisse novitatem, sed tunc solùm, quando nedum inutilem: sed omninò illicitam esse judicavit: vt in prædicto casu contra S. Cyprianum. At verò quando vel utilitatem, vel necessitatem agnovit, veras & catholicas doctrinas declarandi, tam promptè quàm constanter innovavit. Sufficeret sola S. Augustini authoritas ad hoc probandum qui *lib. 2. de Bapt. con. Don. c. 3.* dixit *quod ipsa plenaria Concilia sæpe priora à posterioribus emenda-*

emendant. Sed juvat hic aliquos casus præter eos quos *disp. 2 sect. 9.* adduxi, etiam ex ecclesiastica super addere historia sufficeret.

Et primo in Concilio Hierosolymis celebrato, quod fuit primum omnium in Ecclesia Dei congregatum, convenientibus 9
sub D. Petro Primo Sum. Pontifice quibusdam ex Apostolis, & discipulis, ut legitur *in Act. Apost. c.* 15. hujus innovationis occasio voluntaria præcessit, & exemplar. Siquidem cum magna esset contentio, & controversia, an Gentiles, qui ad Evangelium convertebantur, deberent circumcidi, & servare legem Moysi: id quod Iudæi nuper conversi volebant. D. Petrus omnibus in Concilio auditis, tandem decreuit in hæc verba. *Visum est Spiritui Sancto, & Nobis nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria; vt abstineatis vos ab Immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione: A quibus custodientes vos, benè agetis. Valete.*

Ad hoc Decretum intelligendum, oportet supponere, quod tam Iudæi, quàm Gentiles, non comedebant carnem Animalium, quæ mortua essent, sine effusione sanguinis: strangulata videlicet, aut suffocata. Iudæi quidem juxta præceptum Domini traditum olim Noè *Gen. c.* 9. 4. *carnem cum sanguine non comedetis*: At verò Gentiles, vt ait Origen. *lib.* 8 *contra Celsum*, nolebant hujusmodi carnes suffocatas comedere, propter aliam rationem: scilicet quia superstitiosè credebant, esse cibum Dæmonum. Volens igitur D. Petrus, & totum Concilium, hujusmodi dissensionem de Circumcisione tollere, & non imponere Gentibus graviſſimum iugum Circumcisionis, decrevit, ut in hoc convenirent, nimirum, ut tam Gentiles, quàm Iudæi nuper conversi abstinerent *ab immolatis Simulacrorum, & sanguine, & suffocato*. Et ideo ordinavit, ut in re licet leviſſima, remaneret aliquis usus legalium observationum, in Iudæis: ut adnotavit ex communi SS. Patrum Baron. *ad ann. Christ.* 51. *n.* 20. Ad hoc 11
ut Gentiles facilius cum eis convenirent, & duo isti parietes, in Christo lapide angulari, compaginarentur in ædificationem Ecclesiæ: quamvis tam D. Petrus, quàm cæteri Apostoli, qui aderant, distinctè, & explicitè spiritu Sancto illuminante, ut Theologi fatentur, cognoscerent, hanc observantiam

non esse diuturno tempore duraturam. Sed cessante causa, nempe illa controversia, abolendam esse, & antiquandam: uti de facto totius Ecclesiæ Occidentalis consensu, quicquid Græci submurmurent, abrogata est. Ideo D. August. contra Faustum *lib.* 32. *c.* 13. *ait*. *At vbi Ecclesia gentiũ talis effecta est, vt nullus carnalis Israëlita appareat; quis jam hoc Christianus observat, ut turdos, vel minutiores aviculas non attingat, nisi quorum sanguis effusus est?*

12 Constat igitur, jam à principio nascentis Ecclesiæ, Spiritum Sanctum una cum D. Petro tanquam primo Christi Vicario, & alijs in Concilio Assessoribus, ad utilitatem Ecclesiæ, talem legem condidisse, à qua postea futuris temporibus; per innovationem esset utilius recedendum; etiam ut Apostolorum successores, quandocumque daretur occasio, ad imitationem haberent exemplum.

13 Innovavit quando in *Trid. ead. sess.* 6. *can.* 23. nullo actuali peccato, vel etiam veniali, peccasse unquam Beatissimam Dei Matrem, pronunciavit.

14 Innovavit *ead. sess.* 13. *cap.* 4. *& can.* 2. quando in SS. Eucharistiæ Sacramento post consecrationem, nullam panis, & vini, substantiam remanere determinavit, & suo tempore speramus fore, vt cum universali Orbis Christiani gratulatione & plausu innovet, Immaculatam Deiparæ Conceptionem definiendo.

15 Itaque si modo Ecclesia decerneret, Abortivos esse sub conditione saltem baptizandos, quod hucusque non fecit, non propterea sequeretur, quod à seipsa differret; cum semper in novitate spiritus progredi consueverit; si tamen propterea innovasse alicui videretur; tunc, potius antiquam doctrinam magis extendere, vt paulò infra constabit, quàm innovasse dicenda esset.

16 Tandem, vt huic sectioni Colophonem imponam: adverto: non esse absolutè concedendum, quod praxis contraria non baptizandi recentes Abortivos in Ecclesia fuerit, huc usque universaliter observata: Nam ego cum superioribus annis in Visitatione hujus Lucanæ Diœcesis Eminentissimo,

&

& Reverendiss. Domino meo, D. Hieronymo Cardinali Bonvisio Episcopo, in muneribus ejusdem Visitationis assiduus inservirem, & rusticas Obstetrices, diligenter ubique locorum interrogarem, de iis præsertim, quæ ad privatam Baptismi collationem spectant, nonnullas inveni tam accuratè à Parochis instructas, ut hanc doctrinã de Abortivis sub conditione Baptizandis, ne dum probe tenerent, sed eam aliquando ad praxim reduxisse firmiter asserverint. Quare merito Doctissimus, & oculatissimus Theologus Adm. R. P. Nicolaus Martinez Societatis Jesu Doctor Theologus, & nunc in Collegio Romano S. Thheologiæ Lector Primarius, in sua Censura, qua meam Protheſim illustrare dignatus est, dixit, Praxim, hac de re, in Ecclesia, *ancipitem esse, & variam, secundum opinionem Medicorum, & obstetricum; nec posse probari in Vniversa Ecclesia viguisse, aut etiam nunc vigere, praxim uniformem omninò contrariam, &c.*

SECTIO XII.

Hujusmodi praxis baptizandi recentes Abortivos, non est inconveniens.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia pro temporum opportunitate innovavit, ne dum declarando doctrinas, sed etiam definiendo modum administrandi Sacramenta.*

2 *Olim Problema erat, an absolvendus esset Infirmus, quem per extrinsecum testimonium Confessor noverat confessionem postulasse*

3 *Sed modo in Rituali Romano, Paulus V. affirmatiuam sententiam decrevit.*

4 *Confessionem per Epistolam, & Absolutionem in absentia ex probabili sententia jam defendebant aliqui.*

5 *Nunc a Clemente VIII. damnata eſt tanquam falſa, & ſcandaloſa.*

6 *Non propterea infertur, quòd Eccleſia antea defecerit in neceſſariis, cum generalem Doctrinam jam tradidiſſet.*

7 *Idem infertur de Baptiſmo Abortivorum.*

8 *Et ideò lex de illorum baptiſmo, poſt novam ex humanis doctrinis notitiam, conveniens eſſet.*

ESto innovaverit Eccleſia, & innovatura ſit, quò ad Fidei Dogmata, & doctrinas, quæ progreſſu temporis magis clareſcunt, & contra hæreſes de novo exortas, & exorituras neceſſariæ, aut fuerunt, aut futuræ ſunt. Sed cum iis mediis, quæ ad Animarum ſalutem ſunt omninò neceſſaria, cujuſmodi ſine dubio eſt Sacramentum Baptiſmi, Eccleſia ſemper habuerit illam Divini Spiritus aſſiſtentiam, & illuminationem, qua omnia media providerit, ut illis adhibitis, quilibet ſalvari poſſet, incredibile prorſus videtur, ut omiſerit publicare legem de Baptizandis hujuſmodi Abortivis ſi hæc fuiſſet neceſſaria. Vel ergo univerſalis Eccleſia in hoc defecit, quod nullo modo eſt aſſerendum; vel non eſt conveniens hujus legis publicatio.

Reſpondeo, hoc argumentum parum à præcedente differre, niſi quòd magis urget repetendo, vel quod defecit Eccleſia in neceſſariis, vel quod hujuſmodi lex non ſit de novo publicanda. Et utrumque falſum exiſtimo. Et primo oſtendo quod Eccleſia, quando neceſſitas poſtulavit non ſolùm doctrinas, & articulos, ad hæreſes profligandas neceſſarios definivit; ſed etiam circa adminiſtrationem Sacramentorum, quam ad ſalutem Animarum neceſſariam judicavit, quid à Miniſtris eſſet obſervandum, decrevit, & publicavit, quæ hactenus antea non publicaverat; ut conſtat ex duobus infraſcriptis caſibus.

Jacebat V. G. infirmus aliquis repentino morbo correptus, qui vel nunquam, vel rarò per Sacramentalem Confeſſionem ſuorum peccatorum remiſſionem receperat; & videns ſe ipſum in extremo vitæ periculo conſtitutum, Confeſſionem poſtulabat,

bat, & Confessarium vocari clamabat: Tunc ex astantibus, aliquis accurrere ad Confessarium quærendum, inveniendum, & deducendum. Interim Infirmus linguæ, & auditûs usum pœnitus amisit. Quid faceret tunc Confessarius jam adductus, qui ab hujusmodi pœnitente nullam per se ipsum, vel immediatè 2
Confessionem peccati excepit, sed solùm quasi per Interpretem, & mediante illo, à quo fuit vocatus? an absolvere Sacramentaliter posset Infirmum? Negabant plures Theologi, & numero, & authoritate non infimi, qui Canones, & Concilia in contrarium sibi objecta, commodè explicare putabant. Affirmabant è contra alij plures, quos omnes *Diana part.3. tract.3. resol.4.* & Eminentiss. de Lugo *de pœnit. disput.17. sect.4.* enumerant. Resolutio igitur erat problematica, & in utramque partem versatilis.

Sed Fel. record. Paulus V. omnem de medio sustulit difficultatem; quando in Rituali Romano sua authoritate, & diligentia restaurato, & per Bullam particularem confirmato, hujusmodi ægrotum mandat absolui; & quidem non tanquam privatus 3
Doctor, sicuti fecerat olim *S. Leo Magnus epist.91. ad Theod.* sed tanquam Pontifex, & Supremus Pastor; ut advertit, & probat Card. de Lugo supra citatus; ita ut sententia negativa, jam non sit amplius probabilis.

Tandem S. memoriæ Alex. VII. de anno 1665. propositiones 28. & rursus de anno 1666. alias propositiones n.17. quas prius 4
multi authores existimabant probabiles, prohibuit & damnavit, ut minimum tanquam scandalosas, & inter istas non nullæ erant de sacramentali absolutione impendenda.

En igitur plures casus, in quibus S. Romana Ecclesia nuper innovavit contra sententias ab aliquibus antea probabiles reputatas, circa administrationem Sacramenti pœnitentiæ, tam in casibus necessitatis extremæ, & in articulo mortis administrandi, quam in aliis casibus.

Quod autem Ecclesia non defecerit in necessariis constat ex iis, quæ *disp.1.* in citata *sect.14. à num.6 vsque ad* 18. dicebam. Quod in hac materia Dei providentia intelligenda est, juxta sententiam illam D. Pauli *pr. ad Timot. c.2. Deus vult omnes homines*

mines salvos fieri. quæ quidem ut ibi notavi, & docent Suarez. *in pr.part.tract.2.lib.4.cap.4.num.16.* Nuñnus *in addit.ad 3.partem q.9.art.3.difficult.2.ad 4.* solùm ostendit. Deum providere hujusmodi media in generali; quare non fuit necessarium, ut Ecclesia cujus lumen, est irradiatio Divina, seu participatio Divinæ Providentiæ, ordinaret in particulari hujusmodi fœtus abortivos esse baptizandos; sed sicut Divinæ providentiæ satisfuit instituere media in generali, quibus omnes salvari possent, ita Ecclesiæ satisfuit ordinare in genere, ut omnes parvuli, quorum vita periclitatur, statim baptizarentur, licet de tali parvulo, puta de abortivo primis diebus nato, nihil ordinaverit. Illud autem fecit omni diligentia, ut constat ex Decretis, & Conciliis à me citatis *disp.pr.sect.13.*

SECTIO XIII.

Etiamsi humanum Iudicium non sit sensibiliter certum, sed dubium, an in recentibus Abortivis sit Anima rationalis, baptizandi sunt sub conditione,

SVMMARIVM.

1 *Aqua, si per revelationem tantùm constaret, & non per sensum esse aquam naturalem, esset materia sufficiens Baptismi.*

2 *In materia dubia potest conferi Baptisma sub conditione.*

3 *Etiam in aqua stillatitia, Iure, Cervisia, & in succo herbarum, & frondium.*

4 *In casu necessitatis non requiritur, quod materia Baptismi humano modo cognoscatur, aqua naturalis.*

5 *Dubium, an jus, vel lixivium, sit aqua naturalis; an verò quid mixtum, non potest humano modo superari.*

Si

SI quis haberet aquam, quæ verè, & in ſubſtantia eſſet aqua naturalis, idque tanquam certum ſciret V.G. ab Angelo; ſed ex apparentia ſenſibili, & humano modo judicando, non appareret aqua, iſte non poſſet validè cum tali aqua baptizare; Nam materia Sacramenti debet eſſe ſenſibilis, quia debet humano judicio ſubeſſe; ita fœtus, ſi in ordine ad noſtram cognitionem non judicatur homo, eſt capax baptiſmi.

Reſpondeo, quod Aqua, quam ego ſcio per teſtimonium extrinſecum certum, eſſe veram, & naturalem aquam, eſſe etiam materiam ſufficientem ad validè baptizandum; Uerè enim illa materia eſt aqua naturalis, & eſt ſenſibilis, ſaltem in dubio. Eſto imprudenter operaretur ille, ſi extra caſum neceſſitatis uteretur tali aqua, quæ ſibi non conſtaret certò, & humana certitudine, eſſe aquam naturalem, & ideò dubitaret, an talis eſſet: At in caſu neceſſitatis, & quod alia aqua non adeſſet, non ſolùm poſſet ſed deberet baptizare. Cum enim Eccleſia ex eo quod, Baptiſma eſt Sacramentum maximæ neceſſitatis, nunquam definierit, quod aqua, quæ non eſt naturalis, non ſit in caſu neceſſitatis materia ſufficiens, ſequitur quod poſſit Baptiſma ſub conditione conferri in materia dubia, ut benè notavit *Tutean.* & *Baſſa. in flor. verb. Baptiſmus 2. numero tertio,* deficiente ſcilicet materia indubitata, & certa; quia in tali caſu, ſuccurritur Animarum periculo, & nulla fit injuria Sacramento. vide *Dian. part. 5. tract. 3. reſolut. pr.* vbi cum *Præpoſit. Tanner & Card. de Lugo* poſſe in aqua ſtillatitia, Jure, & Cerviſia, baptizari; & *Camerota* ibi cum *Tanner.* in ſucco herbarum, & frondium, quod etiam admittunt *Coninch. Caſtr. Tal. Granad. & Franc. de Lugo apud Coton.* Cur igitur in illa aqua, quam ego certiſimè ſcio, eſſe aquam naturalem, non potero abſolutè, & ſine conditione baptizare? Neque eſt neceſſarium, urgente aliqua proximi neceſſitate, ut Sacramentum licitè adminiſtretur, quod materia illius debeat humano modo cognoſci, & judicari aqua naturalis, ut benè Card. de Lugo *de Sacr. diſput. 8. ſect. 9. num. 140.* ubi ſi quis, ait, in neceſſitate non inventa certa materia, ſed liquore aliquo, de quo negativè dubitaret, an eſſet aqua, non poſſet examinare viſu, quia locus eſſet obſcurus, nec odore, aut guſtu percipere: Tunc

propter neceſſitatem proximi,poſſet ſub conditione baptizare & tamen poſitis illis circumſtantiis,non poteſt homo judicare, an illa ſit vera aqua; Ergo ſimiliter, poſita illa extrinſeca apparentia, licet non poſſit humano modo reputari aqua, quia tamen ille ſcit,eſſe aquam,poteſt illam adhibere in caſu neceſſitatis; Tandem quia in brodio valet miniſtrari Baptiſma ſub conditione; ergo etiam baptizari poteſt in dubio, an fœtus ſit animatus ſub conditione.Neque enim video differentiam, cur liceat in materia dubia, & non liceat circa ſubjectum dubium miniſtrare hoc Sacramentum ſub conditione.

Dices, impedimentum, quod prohibet Judicium ferre de illo liquore ſuperari poteſt humano modo adhibendo lumen candelæ,vel feneſtræ,aut hominem eſſe occulorum acie, & olfactu benè inſtructum;at verò de illa aqua,& de incertitudine, an vivat fœtus,non poteſt ſuperari.

Reſpondeo neque dubium,an Jus ſit aqua vera,& naturalis, an verò tertium mixtum, poteſt humano modo ſuperari, qua enim arte poſſunt ab eo ſeparari particulæ pinguedinis,& carnis, quæ per coctionem ſimul mixtæ ſunt,& incorporatæ; ita ut ſola,& pura aqua remaneat;qua induſtria à lixivio particulæ cineris concocti poſſunt ita diſiungi,ut omninò ceſſet dubium, an lixivium ſit, aqua naturalis?Et tamen in Jure baptizari poſſe multi concedunt, ut vidimus; & de lixivio docet abſolutè S. Thom.3.*part.quæſt.66.art.4.ad* 4. Ergo, etiam ſi illa aqua non poſſit humano modo judicari aqua:quia tamen ſcio ab Angelo eſſe veram aquam,poſſum,& debeo illa uti ad baptizandum in caſu neceſſitatis, ergo non obſtat argumentum,quin baptizandus ſit fœtus quia de eo non poſſit judicium certum formari humano modo:quia ad baptizandum ſub conditione ſufficit judicium dubium poſitivum,humano modo fundatum.

SECTIO

SECTIO XIV.

An obligatio babtizandi cesset, ex eo, quod aliquæ rationes probabiles suadeant primis diebus Animam non esse in fœtu ?

SVMMARIVM.

1 *Proponuntur rationes, quibus Theologi Pragenses putant quod primis diebus non sit gravis obligatio baptizandi Abortivos.*
2 *Si primis diebus fœtus esset in quantitate æqualis ovo Columbino deberet baptizari.*
3 *Non sola quorumdam auctoritas, sed etiam rationes suadent positive fœtum humanum primis diebus vivere.*
4 *Asserere in humanis fœtibus, primis diebus esse unam tantum animam sensitivam, & illi postea supervenire rationalem, error est damnatus in Synodo Constantinopolitana.*
5 *Post accidentalem organizationem creatur Anima rationalis.*
6 *Secundinis involutum baptizari posse fœtum humanum admittunt Theologi Pragenses.*
7 *Fœtus humanus, etiamsi recentissimus, resistit contrariis tempore aliquo.*
8 *Punctum saliens est pusillum animal.*
9 *In hoc animalculo pulsatio impedita à contrario, aliquando omnino quiescit.*
10 *Et naturali tepore digiti adjutum recuperat motum.*
11 *Hoc punctum quam sit exiguum.*
12 *Ex quo infertur Animæ perseverantia in fœtu ad aliquod tempus*
13 *Licet plures rationes probabiles opponantur propositioni probabili hujus tamen probabilitatem non tollunt.*
14 *Corpus Christi in Incarnatione, quàm parvum.*

15 *Humanus fœtus licet minimus, resistit tamen aliquandiu contrariis.*

16 *Prima humani fœtus magnitudo est grani hordeacei.*

17 *Magnitudo ovi Columbini, si satis sit ad baptizandum fœtum humanum, infert esse baptizandum etiam primis diebus.*

18 *Prima membrorum generatio est ab anima: & probatur Authoritate Aristotelis, & ratione.*

19 *Membranæ statim generantur, & materia disponitur.*

20 *Calor, qui est in semine, cælestis est, & citissimè operatur.*

21 *Anima statim ac est in materia, membra sibi producit.*

22 *Quod anima primis diebus sit in fœtu, probabilius est, & in praxi sequendum.*

23 *Confirmantur supradicta ex Testimonio S. Scripturæ.*

24 *Refertur historia Davidis, & Bersabeæ.*

25 *Referuntur diversæ explicationes pro intelligentia Textus.*

26 *Omnes conveniunt, quod mulier statim concipit fœtum.*

27 *Et ratione probatur.*

28 *Nec de medica, sed de Theologica, & animata conceptione debet intelligi.*

ILlustrissimi Domini mei, & Patres Theologi Pragensis vniversitatis, mihi supplicanti humanissimè annuentes, Censuram sub die 3. Martij 1663. & Judicium meæ supradictæ Propositionis pronunciarunt: Et postquam nihil in meo prædicto libello, quod vel leviter Catholicæ doctrinæ opponi videatur, opiniones omnes circa fœtus animationem à me conquisitas, propositas, examinatas, & ad intentum operis oportunè inductas, & Libellum ipsum, qui iterum Lucem aspiciat, dignum esse, honorificis verbis declararunt. Tandem conclusionem à me *disp.* 1. *sect.* 11. ex prædictis opinionibus illatam, aliquam difficultatem pati existimarunt, ex eo, quod ego non obscurè indicaverim obligationem baptizandi sub conditione fœtus abortivos, esse gravem, & peccare mortaliter eos, qui occurrente casu alicujus abortus, primis præsertim diebus in lucem editi, quando grani hordeacei magnitudinem humanus fœtus non excedit ministerium hujusmodi denegaverint.

Probant

Probant autem, non adeſſe hujuſmodi gravem obligationem 1
ita baptizandi biduanum, vel etiam triduanum fœtum.

Primò quia, excepta quorundam authoritate, nullum aliud à ratione poſitivum fundamentum huic ſententiæ de animatione fœtus primis diebus anticipata patrocinari videatur, niſi quod ejus falſitas efficaciter demonſtrari non poteſt.

Secundò, quia cum fœtus primis illis diebus ſit ſecundinarum impeditus involucro, non videtur eſſe baptiſmi capax.

Tertio, quod maximè urgere fatentur, eſt, quia adeò dubia eſt Animæ rationalis perſeverantia in tam exigua, ac tenera materia, ut non niſi veluti leviſſima ignis ſcintilla, quæ ſola relicta, quaſi inſtantaneè extinguitur, debeat iudicari; Nam vel ex materni uteri alteratione, ob quam fœtus expellitur, vel ex alicujus extrinſeci agentis injuria, à quibus recens, ille homunculus nequeat ob ſui teneritudinem ſe defendere, putant nullam prorſus de inexiſtentis Animæ in illo corpuſculo perſeverantia, adeſſe probabilitatem: quia inquiunt tot, & tam gravia ex variis capitibus de capacitate Baptiſmi dubia, certam in contrarium oſtendunt in capacitatem, vt ex illis inferant, nullam eſſe obligationem gravem eo tempore; vel ſub conditione fœtus hujuſmodi baptizandi.

Addunt verò hanc obligationem admitti probabiliter poſſe, 2
ſi fœtus in majori aliqua quantitate; puta ovi Columbini egrediatur ab utero, quia tertium inquiunt, & maximum periculum, de ſubitanea fœtus extinctione, ceſſare videtur.

Hæc ſunt quæ Doctiſſimi Patres ingenuè contra meam Propoſuerunt. Sed ego, ſalva ſemper eorum, & aliorum quorumcumque ſapientiſſimorum cenſura, & reverentia, reſponderi poſſe in contrarium, niſi fallar, exiſtimo, ut ſequitur.

Sed Prius proteſtandum mihi eſt numquam etiam in impreſſione prima Lugdunenſi, quæ in hac parte Lucenſi omnino correſpondet, me dixiſſe propoſitionem meam graviter obligare cum hujuſmodi obligationem imponere, & qualificare ad ſuperiores pertineat; ſed ſolum ad aliquam obligationem declarandam quæcumque ſit, rationes ſpeculativas propoſuiſſe; quibus etjam ſimiles proponere in præſenti aggredior.

Ad primũ igitur dico duo esse considerandа. Primum me non tantum Sennerti, Pemplij, & Fieni authoritates *disp. pr. sect 7. & 8.* attulisse; sed eorum etiam rationes; quæ in re ab oculis omnium adeò remota, & alioquin gravi, maximoque cum periculo conjuncta, visæ sunt probabiles, & non contemnendæ *d. sect. 7. à n. 7. & sect. 8. à n. pr.* in compendium redegisse. Neque dicat aliquis fœtum primis diebus animatum esse anima tantum sensitiva, cum semine traducta; animandum postea suo tempore
4 Anima rationali ibi à Deo creata.

Nam respondetur, positionem duarum Animarum in homine, inter se distinctarum, errorem fuisse olim cujusdam Jacobi, & Syrorum, qui vitam animalem in homine ab anima sensitiva rationalem à rationali dependentem asserebant, ut notavit *Auctor libri de Eccles. dogm. c. 15.* inter opera D. August. to. 3. relatus; & *S. Antonin. in sum. 1. p. tit. 2. c. 1.* Quem errorem extumulavit postea Photius Patriarcha Constantinopol. ut refert *Anast. Biblioth.* apud *Baron. an. Christi 863. n. 6. Sed in Synodo octava Constantinop.* Can. 11. ut notavi *Disp. 1. sect. 3. n. 7.* damnatus fuit, & tanquam pernicioſissimus, omnium voce à Patribus Concilij explosus.

Probavi etiam ex conceptione, & Nativitate S. Io. Baptistæ illas sententias: quare non videtur esse contra me objiciendum, quod præter quorundam Authoritatem, nullum aliud motivum adduxerim.

Alterum hìc meritò considerandum est; quod si, ut sapien-
5 tissimi Censores advertunt, contraria sententia, quæ asserit, non quidem primis diebus, sed post mensem Animam rationalem infundi, nulla efficaci ratione demonstratur; & alioquin in omnibus aliis generationibus, & corruptionibus, videmus quod statim, ac accidentalis prævia dispositio, quæ ad novam formam introducendam præmittitur, cum ad illum gradum venerit, cum quo formæ præcedentis, seminis nimirum in casu nostro conservativæ qualitates, non sunt compossibiles, formam illam corrumpi, & novam per naturalem exigentiam materiæ ita determinatæ in momento introduci; cur non idem sentire probabiliter possumus de Anima rationali omnium formarum

præstantissi

præſtantiſſima, quæ ex probabiliſſima ſententia à me *diſp. pr. ſect. 7. n. 6.* allegata, organa, & membra non ſtatim requirit; ſed ea paulatim accipit à ſuo ſibi agente, vel à ſe ſtatim producta. Huic ſententiæ favent ea, quæ de Anima ſenſitiva Pulli, & Damarum in puncto ſaliente, docuit *Gulielm. Harve. in ſuis exercit. de gener. anim.* & ego mox referam.

Ad ſecundum jam dixi *diſp. pr. ſect. 1. n. 4.* Non deeſſe graves Authores, qui humanum fœtum ſecundinis implicatum, & poſſe, & debere baptizari aſſerunt; qua in re ego non immoror, quia inſtituti mei non eſt, & ipſi DD. Cenſores admittunt, quando fœtus hujuſmodi ovi columbini magnitudinem attingit, & ovali figura conformatus tunicarum hujuſmodi ſine dubio eſt involucro veſtitus.

Ad tertium reſponderi poſſe credo, quod licet major, vel minor teneritudo arguat in fœtu majorem vel minorem virtutem reſiſtitivam; non tamen arguit nullam. Sicut licet minorem virtutem ad reſiſtendum contrarijs habeat infans, quam robuſtiſſimus Uir; non tamen ſequitur, quod ſtatim ac maligna 7
aliqua qualitate, puta veneno inficitur infans, moriatur, nulloq. vel brevi tempore reſiſtens ſupervivat, quamvis robuſtiſſimus ille multum, diuque reſiſtat, ac reluctetur: Fieri enim benè poteſt, ut violentia illa, ſive interna uteri, ſive externa agentis contrarij, ſufficiat ad præcidendum & expellendum ab utero fœtum, non tamen ſufficiat ad illum omninò necandum: Cum enim aliquibus tunicis quaſi totidē clypeis contectus, & ab Authore Naturæ Deo contutatus, non aliquo fragili putamine circundatur ſicuti ova volucrum, quæ facilè confracta, diſpereunt; ſed replicatis membrani; armatur, neque etiam illis immediatè adhæret, ne vel leviter aliquando contuſæ, ad ipſius fœtum percuſſionem venire permittant; ſed in humore, quo tota ovalis concavitas, repletur innatans, quaqua verſum ab hujuſmodi violentiis ſatis commodè defenditur, vt omnes Anathomici obſervant.

Et ne videar ſolas rationes ſpeculativas adhibere ad probandum, quod in fœtu adeò immaturè excuſſo, Anima rationalis aliquo tempore perſeveret, & non ſtatim à ſuo naturali domicilio

domicilio extumbetur, juvat hic, quæ de puncto saliente in ovo gallinaceo observavit Harveus citatus, afferre. Hoc enim punctum animatum esse, & pusillum Animal, ex alternativis pulsationibus systoles, & diastoles, ad oculum apparentibus, manifestissimè constat. At verò aliquando quiescere hujusmodi pulsationes in hoc Animalculo, & postmodum easdem redire, diligentissimè investigavit, & deprehendit idem Harveus; Nam
9 *exercit. 16. fol. mihi 65. Sæpissimè*, inquit *comperi punctum saliens cum (ceu planè intermortuum) ab omni motu quiesceret, à novo fotu, motum denuò, & pulsationem recuperasse, &c.* & paulo infra *fol. 67.*
10 *quin etiam post quam punctum hoc sensim elanguisset, & sanguine plenum à motu omni cessans, nullumque vitæ specimen exhibens, morti penitus succubuisse visum esset, impositio digito meo tepente, spatio viginti arteriæ meæ pulsuum, ecce corculum denuò erectum revixit, & tanquam postliminio ab Orco redux, pristinam choream redintegravit, &c.* & quod est notandum, & ipse accuratissimus Indagator Regi suo demonstravit. Est adeo exiguum hoc punctum, quod Corculum ipse vocat, *ut in exercit. 68. fol. mihi 298. In utero*, inquit, *dissecto Damarum adhuc palpitans (nisi beneficio radiorum Solis oblique illustrantium) motum eius tremulum, cernere non potue-*
11 *rim, &c.* Imò ex Guarinonio infra *sect. 16. n. 18. & 19.* Corculum hujusmodi avulsum, & venis spoliatum per horam, & amplius vivit.

Itaque experientia teste Anima pullorum, seu Damarum in puncto saliente, quod ovali tunicarum involucro concluditur, inexistens, à contrario extrinseco impeditum, primævam nihi-
12 lominus pulsationem reassumit, & mox moriturum, tempore non brevissimo, morti resistit. Cur igitur Animæ rationali formæ nimirum, quæ omnes alias antecellit, & quæ non in puncto, sed in corpusculo longè grandiori, & grano hordeaceo ad minus æquali residet, omnem resistentiam & perseverantiam negabimus, quam corruptibiles formas habere etiam ad oculum videmus; Præterea, ex experientia quam infra *sect. 16. num. 18. 19. & 20.* affero de puncto saliente, constat facilius in illo vitam adversus contraria conservari, quo tenerius est, & recentius.

Quod vero additur ex pluribus rationibus, quibus dubitatur,

an

an Baptismi sit capax, certam ad idem incapacitatem ostendi, fateor, me non satis intelligere; Nam etiamsi vnam propositionem moralem plura, & innumera argumenta, quæ tantum sint 13
probalia, non autem evidentia, oppugnent; si talis propositio aliunde habeat suam probabilitatem, non faciunt ipsam omni probabilitate carere, quia cum illa argumenta supponantur esse tantum probalia, semper relinquunt intellectum in ancipiti & cum formidine oppositi saltem in actu primo; nunquam igitur propositio contradictoria erit certa.

Exemplo me declaro. Probabilis est ista propositio, ut notavi *disp. pr. sect.* 11. *n.* 6. *Infirmus moribundus, qui nulla dedit signa contritionis, nec desiderium Confessionis ostendit, si Christianè vixerit, sub conditione est absolvendus,* & est probabilis, saltem per principia extrinseca: Et tamen hæc propositio, nimirum *non est absolvendus*, quæ est ejus contradictoria, multis rationibus probabilibus innitur; non tamen ipsam certam reddunt, quia non sunt nisi probabiles; & ideo non tollunt alterius contradictoriæ probabilitatem: imò aliqui ex Authoribus, qui illam negativam defendunt, fatentur peccare mortaliter eum, qui in facti contingentia non absolveret.

Ita est in casu nostro: Nam etiamsi, ex multis rationibus in contrarium adductis dubitari possit, an tenellus fœtus verbi gratia trium dierum, sit capax Baptismi, non tamen desinunt contrariæ rationes, illum capacem ostendere; quia à contrariis rationibus evidenter, & efficaciter non sunt exclusæ; quare non sequitur, nullam prorsus adesse probabilitatem, vel omne dubium de perseverantia Animæ rationalis in recentissimo illo fœtu esse sublatum. Non ergo licebit Baptismum conditionalem denegare, etiamsi grani hordeacei magnitudinem non excedat, aut columbini ovi quantitatem fœtus non attingat.

Et confirmatur ex doctrina, quam S. Thom. 3. *p. q.* 33. *art.* 2. *ad* 2. tradit, de parvitate Christi Corporis in instanti Incarnationis: Licet enim exiguum valdè fuerit, & fortasse minus grano hordeaceo, ut nonnulli, quos ego *disp. pr.* retuli *sect.* 3. *n.* 13. affirmant: at non fuit adeo parvum, ut in eo *non potuerit ratio humani corporis conservari, cum in tali quantitate*, inquit 14

S.Doctor,*quorundam parvorum hominum corpora animentur*; sicut ergo homines parvi,quos nanos vocamus,licet multùm distent à communi aliorum hominum magnitudine,non tamen carent omni virtute resistitiva,qua se aliquatenus à contrarijs defendant; ita humanus fœtus, qui primis diebus, ut cum Riolano
15 dixi *disp. sect.*1.*n.*2. grani hordeacei magnitudinem non excedit,non debet dici omni resistitiva virtute privatus,præsertim cum Riolanus fœtum hominis pusilli,seu nani forsitan observaverit,vt facilè quis possit sibi suadere,si Pinæo crediderit, qui fœtum 12.dierum à se visum, cum ovali forma, iuxta quam illum exactissimè pictum describit, semipalmarem ferè magnitudinem attingentem,& non solùm columbini,sed etiam gallinacei ovi magnitudinem longè superantem. Ego tamen verius existimo, Riolanum loquutum fuisse de fœtu primis diebus conformato:Nam hordeacei grani magnitudinem, esse primam humani fœtus mensuram, notavit ex communi Anatomicorum *Fromond.l.*2.*de Anim.c.*15.*vers. Crescit.*

Demùm Sapientissimos,hic, Censores precor animadvertere,ne difficultas sit,in æquivoco;quod enim ex Varolio,& Riolano *disp.*1.*sect.*1.*n.*2. adnotavi, fœtum nimirum non excedere à principio grani hordeacei, vel minoris phaselli magnitudinem, non de toto tunicarum involucro, sed de ipso humano corpusculo, quod intra tunicas continetur,dictum est; At verò quod DD.mei Censores addunt,Animæ rationalis perseverantiam admitti probabiliter posse,si fœtus in majori aliqua quantitate, puta ovi columbini, ejiciatur, si ad totam tunicarum
17 complicationem,intra quam latet fœtus hujusmodi respexerunt; ut mihi apparet, jam admitterent, fœtum, qui grani hordeacei magnitudinem non excedit, intra tunicas inclusum, esse baptizandum:si verò magnitudinem ovi columbini præcisè ad humanum corpusculum, non verò ad ovum referunt, jam non loquuntur de fœtu paucorum dierum, sed integri mensis. Hanc enim ætatem habere fœtum talis magnitudinis constat ex adnotatis à Pinæo *l.*2.*c.*3.*in* 3.*figur.*& à Fromond.*de Anim.l.*2.*c.*6.& ex dictis à me sup.*sect.*4.*n.*2.de corpusculo 80. dierum.

Cum

Cum itaque de perſeverantia Animæ rationalis in tenero illo corpuſculo non ceſſet omnis probabilitas, non videtur denegandum Baptiſma Animæ illi dubiæ, præſertim quia, remedio tam facili à graviſſimo æternæ damnationis periculo, ſi eſt, certiſſimè liberatur: etenim non obſtantibus ſupradictis in contrarium allatis, vrget adhuc argumentum, quod primis diebus fœtus ſit baptizandus.

Quia fœtus humanus de quo probabiliter dubitari poteſt, quod vivat eſt baptizandus ſub conditione.

Sed fœtus tertia die effuſus probabiliter dubitari poteſt, quod vivat.

Ergo eſt baptizandus.

Major eſt certa: minorem probat ipſa probabilitas earum rationum, quas P. Arriaga affert ad probandum ibi non conſervari vitam: cum enim eius rationes non ſint evidentes, & demonſtrativæ, ſed tantum probabiles ut conſtat ex Logica; & benè vrget D. Franciſcus Verde in ſuo Opere inſcripto *Theologiæ fundamentalis Caramuëlis Poſitiones ſelecta in Proëmio verſ. multa poſſem, &c.*

Sed quia adhuc aliquis poſſet vrgere, quod neque *ex Hippocrate l.de nat. puer.* ubi ſex dierum; *& lib.de carn.* ubi ſeptem dierum Abortus deſcribitur, neque ex Plater. neque ex Riolano à me relatis *Diſp.1. ſect.10. par.3. n.3. & 5.* poteſt cum fundamento aſſeri primis diebus, hoc eſt tertio, ſecundo, vel etiam primo die fœtum eſſe animatum; tum quia in illo libro *de nat. pner.* Hippocrates dicit illum Abortum ſex dierum, habuiſſe quidem fibras, & venulas: non autem membra; & quod intra membranas continebatur, erat quidem rubrum, ſed liquidum. At vero alius Abortus de quo *in l.de carn.* quia habebat omnia membra, quæ corpus habere poteſt, oſtendit quidem ſeptima die, fœtum eſſe animatum, ſed ante ſextam, & multò magis prima die, id non probat, & ex illa Platerij obſervatione de Abortu pariter ſeptemdiali, nihil amplius poteſt concludi; ſed imo quod ante ſex dies, intra membranas nihil omnino diſſimilare ſit, vel eterogeneum, ex quo poſſit cum fundamento dubitari de Animæ exiſtentia.

Hæc est maxima in præsenti difficultas;sed quia rationes hujusmodi non sunt, nisi conjecturales, ut rectè monuit Riolanus loc citat.non determinant,intellectum ad hanc partem ; & plures rationes pro contraria parte, hanc positivè suadent, ideò huic propter animarum salutem libentius adhæreo.

Primò,quia *Arist l.de spir.c.3. Attractio, inquit menstrui humoris ad formationem fœtus,& partium delineatarum auctio, nutricis facultatis est opus,&c.* ex quibus constat, Aristotelem docere,quod
18 antequam fœtus formetur,& formatus augeatur, virtus nutritiva,& per consequens anima est in materia,ex qua fœtus debet componi,hoc est in materia sanguinis,& seminis : & ne plures formæ completæ simul sint in eadem parte materiæ, oportet intelligere Aristotelem ita,ut significet, quod ubi per prævia utriusque fermentationem, & accidentalem organizatationem utraq. forma corrumpitur, & nunc primò non est;nunc primò existat anima à Deo creata , & à naturali Agente illi materiæ unita, & quæ per viam nutritivam, attrahat, & perficiat per formativam.

Neque ad explicandam hanc actionem primam oportet recurrere ad animam matris , cum Excellentissimo D.Jo.Marco Marci Medico Pragensi:non solum quia ipse à me non dissentit, dum in literis ad me datis, fatetur anima propria informari fœtum,quando per abortum exciditur à matrice ; & ideo mecum sentit esse baptizandum:sed quia talis positio est contra doctrinam Ecclesiæ de baptizando filio à ventre matris jam demortuæ cautè extracto , si vivus sit. *vid.disp.1.sect 4.n.12.*non ergo ut ipse putat, fœtus quovsque est in utero , vivit anima matris.

Et explicatur hæc prima actio attractiva,& nutritiva,melius exemplo oviparorum, quam viviparorum : nam ex ovo anserino V.G. Gallinæ supposito,vel è converso; imò ex ovis Clibani calore incubatis generantur Pulli: ut testatur Aldrou. *l.14.Ornitol.fol.mihi 227.* ergo non virtus nutritiva , seu anima matris attrahit particulas ex vitello ovi, & convertit in alimentũ:sed virtus seminalis excitata à calore illo,licet ascititio, educit animam Pulli de potentia materiæ;& fit punctum saliens,&

anima

anima:& ista aggenerat,format,& producit sibi membra;statim ac organizatio accidentalis completa est:eodem modo de anima humana philosophandum est, quoad vnionem cum corpore : quoad creationem enim est à Deo,sed organizationem accidentalem in humana genitura fieri , velsaltem tertia die est valde probabile,ergo, & fœtum esse animatum. Hanc eandem doctrinam late tradit,& probat *Arist.lib.2.de gener.ani.c.*1.

Secundò,quia negari non potest,id quod à Primariis Medicis, Hippocrate,Galeno,& Avicenna alibi adductis præsertim *disp.* 2.*sect.*5. *à num.*1.*&* *deinceps* dicitur ; nimirùm quod statim re- 19
cepto & fermentato semine in utero,membranæ fœtum involuentes generantur prima die : ergo ex hoc fit evidens , naturam non esse otiosam ; sed sicut operatur ad partes exteriores seminis , membranas gignens ; ita & multo magis ad partes interiores statim materiam accidentaliter disponens, & determinans , ut vitam exigat ; quam quidem operationem. Hippocrates citatus *disp.*2. *sectione quinta num.*13. vocat *conceptionem.*

Tertio, quia videmus,calorem elementarem , vel etiam cælestem per reflexionem , aut refractionem solarium radiorum, illicò intendi:adeò ut quam citissime,in ligno,vel alia materia combustibili, ignem generet.Ergo calor,qui est in semine, vel in utero,& quem *Aristoteles lib.*2.*de gener.anim.cap.*3.dicit non esse ignem,neque abigne exortum, sed calorem , seu *spiritum respondentem elemento stellarum,* poterit citissimè disponere materiam,illamq.accidentaliter præparare,ut de eius potentia,educi naturaliter exigat non quidem humanam formam , quæ non est materialis,sed fit ab Authore naturæ Deo,per actionem creativam:sed vnionem ipsius Animæ cum materia : & quidem hic mihi videtur esse intellectus ab Aristotele intentus, dum *lib. de caus.&* *propr.element.c.*1.dicit,ut habet translatio,quam affert,& sequitur *S. Thom. opus.*28. *articul.*5. quod , *cum cadit semen viri in matricem mulieris , decoquitur in ea decoctione forti , &c. cum cadit* , idest subitò ; quia dicit , tunc decoqui semen , cum cadit. *decoctione forti* , idest valido , & vehementi calore ; nam alia translatio habet , *decoquit ipsum matrix caliditate sua.*

Cum igitur actio calefactiva matricis calidæ, non calore ignis, sed Cœli, sit actio adeo fortis, ut statim ex medicorum sententia, producat membranas fœtum involuentes, quis non facilè credet in inclusa genitura, propter quam permutandam, est à natura principaliter intenta talis actio calefactiva, statim fieri, vel prima filamenta vitæ, vel ad minus, quæ expeditior est, organizationem accidentalem; qua posita statim creatur Anima à Deo?

Quarto, quia probabilissima est illa sententia, quæ asserit ani-
21 mam rationalem statim, ac est in corpore efficere sibi in materia, partes dissimilares, & membra. *vid. disp. pr. sect. 3. n. 12. & sect. 7. num. 6. & disp. 2. sect. 6. n. 1. & disp. 3. n. 1.*

Ex dictis igitur colligo, quod licet sit probabilis contraria sententia, quæ asserit primis diebus, fœtum non esse animatum; quia tamen etiam alia opposita, quam ego tanquam fundamentum meæ Prothesis suppono, non solum est probabilis, sed probabilior, quia solidioribus rationibus, & magis communiter receptis innititur; & quod maximè observandum est, quia magis in tuto reponit animarum salutem; illa verò easdem periculo damnationis exponit: ideò existimo ab ista, quæ asserit, fœtum
22 humanum, primis diebus probabiliter esse animatum, non esse in actu practico de ministrando Baptismo recedendum; ne si forte anima rationalis adesset, & ab illa sententia persuasus aliquis, quod non adesset, omitteret baptizare, talis anima propter scrupulosam speculationem, damnationi æternæ remaneret addicta.

Et hæc omnia magis confirmantur quia mulier, ex sacrarum litteratum testimonio, de quo plenius in sequenti Digressione, concipit fœtum intra primum diem à præcedente congressu inchoatum.

Itaque non obstantibus iis, quæ pro contraria sententia op-
23 ponuntur, cum facile dissolvantur, semper adest fundamentum opinandi, & probabiliter dubitandi de existentia animæ in fœtu, etiam primis diebus; atque ideo nullo modo Baptisma conditionatum est denegandum.

De

De fœtu à Berſabea concepto, ex adulterio cum Davide. Digreſſio.

HÆc ſupradicta, dum interim eſſent ſub prælo; Amicum audivi mihi ad aures ſuggerentem, quod contingere aliquando poterat, ut nonnemo ſententiam Thomæ Fieni, Danielis Sennerti, & Uopiſci Fortunati Pemplij, dicentium primis diebus, fœtum humanum eſſe animatum, ex eo quod mulier hoc tempore illum in utero concipiat, aut negaret omninò, aut parvipenderet: ideò, ut conſtet, quanto veritatis fundamento ſententia hujuſmodi ſubſiſtat, etiam ſi illorum Doctorum Suffragium non aſſiſteret: (quod tamen non admitto;) placuit, præterea, quæ ex Immaculata B. Mariæ Uirginis Conceptione, & Alexandrina Conſtitutione conſideravi, *diſp. 3. per totam*, hoc loco præſentem Digreſſionem inſtituere, & Hiſtoriam illam, quam ex ſacris literis petitam *& diſp. 1. ſect. 7. num. 7.* omnino ſemel adduxi, diligentius expendere, ut luce meridiana clarius pateat, quam ſolidum ſit fundamentum opiniandi animam primis diebus eſſe in fœtu; cum fœtus hoc tempore ſit in utero.

Hiſtoria hujus facti *lib. 2. Reg. c. 11. 4.* à Sacro ſcriptore, ita deſcribitur. *Miſſis itaque David nunciis, tulit eam: quæ cum ingreſſa eſſet ad illum, dormivit cum ea: ſtatimq. ſanctificata eſt ab immunditia ſua; & reverſa eſt in domum ſuam, concepto fœtu: mittenſque nunciavit David, & ait, concepi, &c.* 24

Itaque ex certiſſima auctoritate Divini teſtimonij, tria hic ſunt expreſsè certa: Primo, congreſſus Regis cum muliere, ibi *dormivit cum ea*; Secundo quod ſtatim, & immediate poſt acceſſum, & adulterium, *ſanctificata eſt mulier ab immunditia ſua*: & Tertiò, quod quando mulier reverſa eſt in domum ſuam, Spiritus Sanctus atteſtatur, quod jam habebat in utero fœtum conceptum: ibi, *& reverſa eſt in domum ſuam, concepto fœtu.*

Id, quod non eſt certum ex expreſſo Sacræ Scripturæ Teſtimonio, eſt; quod non ſit reverſa in domum ſuam ſtatim, ac abſolutum, & conſummatum fuit adulterium; atque ideò poſſit

eſſe

esse locus ad dubitandum, an per aliquot horas, & fortè etiam dies, remorata sit in Palatio Regis; & tunc jam ex ventris tumore cognita, quod haberet in utero, à Rege remissa sit in domum suam. Ideo considerandum est diligenter, an ex interpretatione illius sanctificationis secundo loco expressæ, & ex conjecturis resultet hujusmodi intelligentia: an vero, è contra, quod statim, & immediatè post perpetratum adulterium, domum sit reversa, concepto fœtu.

Prima interpretatio est illorum, qui putant, quod quando mulier vocata adivit Regem, menstruam illuviem jam pateretur: & ideò David ex propriæ habitationis solario prospiciens, vidit illam se lavantem à tali sorde: Sed statim ac fuit à Rege cognita, cessavit illud profluvium, ex eò, quod natura sentiens in vtero conceptum, sanguinem retinet, tum ad formandum, tum ad nutriendum novum fœtum. Hanc interpretationem dicit non esse contemnendam, *Gaspar Sanctius* quia consonat cum textu dicente, quod rediit domum mulier *concepto fœtu*; sed quicquid sit, an Sanguis quo alitur, & formatur fœtus, sit ille, à quo mulieres purgantur, an vero alius purior, & sanior; displicet hæc prima interpretatio Lyrano, & Carthusiano: quia mulier quando est in profluvio sanguinis, pallida est, turpis, & abhominabilis; at verò eodem tempore; quo David illam prospexit lavantem se, erat, inquit textus, *pulchra valde*: & ideo illam Rex concupivit.

Secunda interpretatio est aliorum, qui dicunt, quod mulier cum esset sterilis, & infœcunda ab hujusmodi sterilitatis opprobrio per Regis accessum liberata est: quia statim concepit: & ideo statim dicitur sanctificata, & domum reversa *concepto fœtu* ita refert Abulensis, Authorum suppresso nomine.

Tertia, quia semel tantum cum Rege adulterata est, ideo statim dicitur *sanctificata*, id est sancte se deinceps, & caste gessit: non enim Rex permisit illam aliquo, vel brevi tempore in suo Palatio permanere, ne amplius cum ea peccaret; sed statim illam dimisit; ita referunt, tacito Doctorum nomine *Abul. Carthus. & Sanctius.*

Quarta est, quod mulier statim post carnalem consuetu-

dinem

dinem cum Rege, purgavit se ipsam à super fluo sui seminis, lavando ; & hanc explicationem probant , & sequuntur *Abul. & Chartus.* qui dicit esse brevem, & certam *Hugo Card. Tined. in Salom. l. 1. c. 7. num. 5. & Sanctius.* & ideo *Pagninus , & Tigurina* illud *sanctificata est* transferunt *& purificavit se ipsam.* Quamvis autem admissa hac interpretatione , non necessario sequatur, quod statim reversa sit domum , vel quod particula *statim*, conjungenda sit, & referenda etiam ad conceptum fœtum ; quia adhibita hujusmodi lotione , aliquo tempore in Regio Palatio adhuc permanere poterat: tamen subita ista lotio, arguit subitum discessum , & iter ad propriam domum : nam ita immunda, & sordida , fœmina à Palatio non facile fuisset egressa , sed compta, & composita, ne occurrentes Aulici, aliique per viam, ex perturbato habitu, & aspectu facinus cognoscerent. *Vgo Card.* dicit, *statim sanctificata est, idest statim lavit se : vel statim concepit. & Abulens. quæst. 7. in cap. 11.* dicit, *idest immediatè post primum accessum David ad eam , reversa est in domum suam. Tineda statim concepisse* , admittit cum *Nicolao , Dionisio , & Hugone.*

Quinta, & ultima interpretatio explicat, quod purgata sit mulier subito à menstruis, non quidem præcedentibus, aut præsentibus , sed à futuris usque ad partum: ita *Lyranus: quia*, inquit, *in illo congressu concepit, ut patet in textu: post conceptionem autem cessat fluxus menstruorum, quia sanguis ille cedit, in formationem fœtus, & eius alimentum, &c.*

Omnes igitur Interpretationes conveniunt in hoc, quod particula illa *statim*, non solùm referatur ad sanctificationem aliquo ex superadictis modis intellectam; sed etiam ad conceptum fœtum; ita ut sensus Sacræ Scripturæ juxta communem interpretationem sit, ut Bersabea, in hoc accessu, & adultera commixtio- 16
ne, statim conceperit fœtum.

Et hanc communem intelligentiam, non solum probat Interpretum authoritas ; sed etiam suadet ratio : ex eo enim, quod domum reversa Bersabea observavit fortè per aliquot dies , aut etiam subito se concepisse ; nè si multo tempore tardasset hoc Regi significare , putare potuisset David ; quod

ex alio concepisset, misit nuncium, qui suo nomine statum in
27 quo erat, aperiret; conjectant Auctores, convenisse illam cum Davide, ut statim, ac se gravidam deprehenderet, renunciaret, ut posset Rex opportunè providere, ne adulterium in utriusque adulteri opprobrium, & diffamationem innotesceret. Et ideo David statim, ut mulierem concepisse audivit, adulterio jam patrato, novum scelus addere cogitavit, homicidium scilicet Uriæ Uiri Bersabeæ, quem de facto fecit occidi, & Bersabeam duxit in uxorem, Ex hujusmodi discursu, valde fundato, & verisimili *Abul. q. 7. in cap. 11. lib. 2. Regum* dicit. *noluit ergo Rex, quod Bersabea remaneret amplius in domo sua, ne ex hoc cognosceretur factum, & infamaretur, &c.* quare *statim mulier reversa est in domum suam concepto fœtu.*

Constat igitur, tam ex communi interpretatione, quàm ex ratione mulierem ex adultero concubitu, statim, & non post aliquot dies, fœtum concepisse, naturali via, absque miraculo, aut extraordinario concursu.

Neque tam communi, & sinceræ interpretationi, potest obstare, si aliquis dixerit, in textu S. Scripturæ, sermonẽ esse de conceptione Medica tantum, seu de genitura in qua non est anima. Nam respondetur primo, ibi à Divino Historico expressè dici, quod concepit fœtum: conceptio autem medica, ut dixi sup. *sect. 4. nu. 3.* est attractio, seu receptio materiæ in utero; ex qua fœtus generatur: sed ipsa genitura, vel actio ipsam attrahens fœtus non est. Secundo jam *disp. 1. sect. 7. n. 7. &* 8. ostendi usitatum Sacræ Scripturæ stylum esse, quod nomine fœtus, filius intelligatur. Tertio, vanum esset, ut ibi dixi, quod quando mulier Davidi per nuncium significavit, se concepisse, intellexisset de conceptione Medica, seu de genitura, non vero de filio; cum multo antea per se ipsam, & antequam de Palatio discessisset, potuisset de illa Regem admonere.

Demum minus obstat, si quis ad embryonismum recurrens diceret, fœtum huiusmodi, habuisse quidem subito vitam; sed vegetativam tantum, non rationalem. Nam centies dixi, & millies repetam, sententiam illam de vita em-
28 bryonica, jam à Scholis exulasse, & solum in Schola Thomistarum

starum gaudere aliqua immunitate;& quidem pro brevissimo tempore,ut dixi supra *sect.7*,Et quod primis diebus Anima non embryonis,sed animalis propria sit in fœtu,docet *Arist.cit.l.1. de Gen.ani.c.1*.ubi:postquam solido,& longo discursu,dixit primum membrum, quod à Generante media virtute seminali producitur in animali perfecto est Cor, dicit vivere anima propria, quæ principium est, quo augetur,& alia membra acquirit.Igitur,quia sententia,quod prima humani fœtus vita sit ab anima rationali, communior est & probabilior, ex hoc Sacræ Historiæ testimonio efficaciter confirmatur, vrget aliqua obligatio baptizandi humanum fœtum, etiam primis diebus ab utero excussum.

SECTIO XVI.

Expenditur iterum argumentum ex puncto saliente petitum,ex cujus solutione confirmatur Animæ præsentia in fœtu.

SVMMARIVM.

1 *Motum pulsationis in puncto saliente non esse ab Anima præsente, sed à spiritibus circumfusis.*
2 *Pulmonis actio supponit cordis pulsationem,& vitam.*
3 *Pulmo ex natura sua immobilis,motum habet à Diaphragmate.*
4 *Pulsatio cordis præcedit tempore pulmonis respirationem.*
5 *Humani fœtus primam productionem probat Aristoteles ex puncto saliente in ovo Gallinarum.*
6 *In animalibus non dum editis seu in fœtibus pulsatio cordis præcedit pulmonis motum.*
7 *Pulmo post ipsum cor apparet in fœtu.*
8 *Pulmo in fœtibus est rubri coloris.*
9 *Alimentatio præcedens pulmonis respirationem, arguit animæ præsentiam.*

10 *Pulmo quando in fœtu incipiat moveri.*
11 *Motus pulmonis pendet à pulsatione cordis.*
12 *Pulsatio, & respiratio sunt actiones valdè diversæ.*
13 *Tertia die, ab ovo incubato apparet pullus totus factus.*
14 *Primo fit fœtus, & postea membranæ, ex Guarinone.*
15 *Die octava si sanguis totus hauriatur à venis, ipsæ venæ calorem sanguineum amittunt; solum cor pulsat, & sanguineum remanet.*
16 *Septima die nulla adhuc Iecoris species apparet.*
17 *In ovo gallinaceo pulsatio puncti salientis non potest esse à gallina incubante.*
18 *Cor ab animali avulsum eo diutius vivit, quo recentius est.*
19 *Corculum istud extractum, & venis spoliatum per horam, & amplius vivit.*
20 *Nona die à fœtu avulsum vitam non retinet, & quare.*
21 *In illo corculo eadem vitæ signa sunt primis diebus, ac in processu temporis*
22 *A puncto saliente incipit vita humani fœtus.*

COntinuat R, P.G. H. vrgere contra me, quod expuncto saliente ab Harvæo prænotato, probare voluerim, Animam primis diebus existere in fœtu, quia in illo puncto datur tunc motus dilatationis, & constrictionis: At ipse constanter negat, hujusmodi motum esse ab Anima fœtus, quia inquit, omnis motus animalis, sive in stomaco, sivè in intestinis, sive venis, sive arterijs, seu nervis, seu corde, fit à respiratione, & impulsu pulmonis; Quibus omnibus carere supponitur illud Corculum, seu
1 punctum saliens: Et interrogatus, vndè nam illa pulsatio proveniat? respondet, vel à spiritibus se versantibus intra ovi putamen in oviparis; vel à respiratione Matris in Viviparis: Quare infert ex ovini puncti operatione, & saltu, vitam animalibus non benè inferri.

Confirmat vero discursum, quia sicut vita hominis non permanet sublato penitus, vel diù impedito respitationis organo: sic non infunditur Anima, nisi prius organis conformatis.

Respondeo, hanc instantiam supponere, quod probare debuisset,

debuisset, nimirum à pulmone in fœtu dependere illam cordis pulsationem, ab Harvæo observatam, & ante ipsum etiam diligenter notatam à Christophoro Guarinonio Rodulphi II. Imperatoris Medico *in opusc. de natur. human. serm.* 2. Hic liber nuper ad manus meas pervenit, in quo Author multa, quæ Harvæus prætermisit, de puncto saliente, admonet oportunè, ut mox referam.

At verò contra talem suppositionem, quod nimirum omnis motus in Animali fiat à respiratione pulmonis, tota Medicorum Schola reclamat, cum Galeno; imò etiam cum Aristotele, qui 2 *lib* 3. *de partib. Anim.* cap. 6. ait, *pulmo igitur spirandi officio delegatus est, qui originem quidem sui motus accipit à corde, &c.* Et Galenus, quod Pulmo non per se, à thorace moveatur, asserit *lib. 6. de usu partium cap. x.* his verbis *Demonstratum enim in libro de* 3 *Pulmonibus est, Pulmonem ipsum ex se motus omnis expertem, à thorace moveri continenter, &c.* Verùm hæc de animalibus adultis, non verò de fœtu primis diebus genito procedunt; quare addendum est ex Aristotele *in lib. de spiritu cap.* 3. quod considerans ibi Philosophus tres operationes de facto inveniri in fœtu, quarum prima est pulsatio, Secunda alimenti attractio, seu nutritio, & Tertia respiratio, inquirit; an motiones hujusmodi sint coævæ: & respondet affirmativè: *Nam alitio* inquit, *priusquam totum animal sit perfectum, est; & postquam perfectum est Animal. Attractio enim menstrui humoris ad formationem fœtus, & partium delineatarum auctio, Nutritis facultatis opus est; quemadmodum designatio partium ex semine, formatricis. juxta quem ordinem respirationis motus postremus fuerit. Nam tum primum respirat, ubi in lucem editus fuerit, partus; eaque propter postremus hic motus est; Nam alimenti* 4 *attractio elaboratioquè, non solùm post, sed & priusquam integris suis partibus Animal sit absolutum, in utero peragitur. Respirationem itaque hic motus præcedit. At pulsus per initia, in constitu-* 5 *tione cordis emergit, id quod in sectione vivorum, & pulli formatione ex ovo deprehendere liceat, &c.* hæc Arist. ibi, *& libro secundo, de gener. anim. cap.* 2. probat primum, quod generatur, & vivit, esse Cor.

Ex quibus clarè constat, sententiam Aristotelis esse, nu-

tritionem tempore præcedere reſpirationem, cum hæc in illius ſententia non ſit niſi *tunc primum, ubi in lucem editus fuerit partus*; At pulſum cordis ipſa alimenti attractione eſſe priorem, quia per initia *ſtatim in conſtitutione cordis emergit*: *Id, quod*, ait, *ex ſectione vivorum, & pulli formatione ex ovo deprehendere*
6 *licet, &c.*

Notanda hic duo ſunt. Primum, Ariſtotelem ex ſectione vivi fœtus probaſſe pulſum cordis tempore præcedere nutritionem, Secundum, humani fœtus primam formationem ex pulli procreatione probari.

Conſonat Ariſtoteli obſervatio Galeni ex Anatomicis ſectionibus facta: Ipſe enim *lib.* 15. *de uſu partium cap.* 4. & 5. docet, arterias, & venas, quæ circa uterum Matris ſunt exiguæ, cujuſmodi ſunt arboris radices extremæ, fœtui per vmbilicum inſeri arteriis, & venis jam in fœtu procreatis: Et quidem non venas arteriis, & arterias venis; ſed venas cum venis, & arterias cum arteriis in vnum coeuntibus, ſcilicet, duas arterias, & totidem venas, duabus arteriis, & duabus venis copulari, & commiſceri: Ita tamen ut neque venæ hepar prætergrediantur, & in aliud membrum infigantur; neque arteriæ, non niſi ad magnam arteriam, quæ à corde exoritur, ferantur. Hæc autem arteriarum, & venarum matris, cum arteriis, & venis fœtus conjunctio, à natura facta eſt, inquit *cap.* 5. ut fœtus trahat à matrice ſanguinem, & ſpiritum, & exindè alimentum, & vitam: ſed venarum, & arteriarum hujuſmodi procreatio, conjunctio, & alimenti attractio
7 non poteſt à pulmone, vel fieri, vel juvari, cum ſine reſpiratione aeris fiant, & Diaphragma, à quo ſolùm pulmo motum habet, nondum apparet, quod etiam docet *Ariſtoteles lib.* 1. *de gener. animal. cap.* 1. quatenus dicit, quod *pulmo poſterior corde in primo ortu conſpicitur, &c.* ergo alimenti hujuſmodi attractio, cum Animæ vegetativæ ſit actio, quæ à fœtu nondum animato fieri non poteſt, ſequitur eſſe Animæ in fœtu exiſtentis argu-
8 mentum.

Confirmatur, quia idem *Galenus. d. lib.* 15 *c.* 6. rationem reddens, quare fœtus in utero exiſtentis pulmo ſit rubri, non autem ſubalbi coloris; ut eſt in adultis animalibus, reſpondet, *quia tunc*

nutritur

nutritur (quemadmodum reliqua viscera) per vasa, vnicam tunicam, & eam tenuem habentia, ad quam per venam cavam sanguis pervenit, quo tempore fœtus in utero gestatur. In natis verò obcæcatur quidem vasorum perforatio; aer autem copiosissimus tunc incidit: Sanguis verò pauciſsimus, idemque tenuissimus. Quin etiam pulmo, 9 *tunc motu perpetuo agitatur animali nimirum respirante; quo fit, vt sanguis à spiritu incisus motu duplici, altero, quem ex arterijs habet; altero, quem ex pulmone acquirit, tenuior adhuc se ipso, & mollior, ac velut spumosus efficiatur; ob eamque causam substantia carnis pulmonis ex rubra, gravi, ac densa, in albam, levem, ac raram transfertur. Quam rem opinor, me dixisse, pulmoni esse* 10 *utilissimam, dum in motibus respirationis thoracem sequitur; ægrè enim præ pondere moveretur, si similem alijs visceribus carnem habuisset. Æquum igitur est hic quoque naturam admirari, quæ cum viscus augeri dumtaxat oporteret, sanguinem purum ei suppeditabat, cum verò ad motum fuit translatum, carnem levem instar alæ cujusdam fecit, vt facilè à thorace dilataretur, &c.*

Ita Galenus, ex quo constat, fœtum in utero jam animatum, & pulmone instructum, habere ipsum pulmonem gravem, ponderosum, & ad motum ineptum; ergo ex eo, quod aliqui motus vitales, scilicet pulsationis cordis sint in fœtu, non licet inferre, quod non sint ab Anima inexistente, quia pulmo antea, 1 aut non fuit, aut fuit immotus, sed nondum ad motum dispositus, Constat etiam tantùm abesse à vero, vt cordis pulsatio causetur à pulmone respirante, ut argumentum supponit; quod imò pulmo tunc incipiat posse moveri, seu respirare, cum sanguis à motu, quem ex arteriis habet, attenuatur, & rarescit, ut ita sanguinea illa ponderositate exoneretur.

Præterea, & ad hominem; Transeat suppositio, quod omnis motus animalis, & pulsatio illa vitalis in corculo pendeat ab animali expiratione, & respiratione pulmonis: Ex carentia motus animalis in pulmone, non benè infertur pulsationem illam non esse vitalem, ac proindè, neque Animæ inexistentis indicium. Pulsum enim, & respirationem, duas esse Animæ operationes valde distinctas, & diversas, dixi cum Aristotele, & asserunt Medici communiter cum Galeno: Et patet, quia

pulsus

pulsus est motus omninò naturalis determinatus à natura, & ideò necessarius, ut non possit à nobis pro libito impediri. Te-
12 statur *Aristotel. d. l. de spiritu c.* 3. & experimur nobis volentibus, respirationem, & contineri, & cohiberi, licet non impunè, ad longum tempus; Ideo ut refert *Mercurialis l.* 3. *art. Gymnast. c.* 6. de Milone illo, capite, fronte, costis, & pectore, solidissimis vittis ligato, tandiù spiritum retinuisse, donec venæ intumescentes vittas illas discinderent. Et de Servo illo barbaro testatur *Galenus l.* 6. *c.* 6. *de mot. musc.* quod cum irâ vehementer concitatus mortem sibi statuisset inferre, humi prostratus, respirationem longo tempore cohibens, stetit diù immobilis, tandem paulum volutatus, mortuus est.

Postremò confirmantur hæc omnia ex iis, quæ *Guarinon serm.* 2. *cit. fol. mihi* 58. notavit, & in observationibus à se diligenter de ovis à Gallina, incubante, animatis deprehendisse, testatur,
13 nimirum *tertia die, & ferè etiam secunda nondum finita, cor rubrum cernitur, emittere duas venas primum simplices, postea vix sex horis adjectis, eas protendere in ramos: Interea pullo jam toto facto, sed nõdum sensui conspicuo, quoniam pellucido admodum, & tenui corpore est, &c. membranis illis continentibus non dum expressis, aut factis, minus visui officientibus, ut neque pulli corpus, pellucidum officit, quin cor ipsum, & motus eius perspiciatur, &c. veniunt venæ tanquam umbilici, &c. ferè secunda, certè tertia die conspicuæ, hac*
14 *die jam membranam suam ramusculis à se emissis delineantes, &c. quarta die jam membranæ species discernitur totum continentis, non tamen adeò densa est, quin per ipsam fœtus intus inspiciatur, &c. ubi clarum est, quod primo fit fœtus ipse; non membranæ eum continentes, & in eo primum cor, &c. post fœtus speciem satis conspicuam venis rubentimis, pro magnitudine eius maximis, & plenissimis, adeò ut quartam partem ejus corpusculi crassitudine sua exequent rami venarum promittuntur, &c. ita post animantis formationem, & vitam, membranæ fiunt, &c.*

Die octava cor non solum constat ipsum, sed una cum venis colore cum illis simillimo, rubro nempe, aperte micat, seu movetur; ex quo si sanguis exhauriatur, cor & venæ valde minuuntur, & colore

amisso

amisso, aspectum fugiunt, &c. cor autem sola motione, & duobus punctis, minimis, rubris (credo ventriculos duos referentibus) deprehenditur, &c. septima autem die propter concretionem membranæ omnem ferè fœtum obscurant; cor verò unum, ob colorem densissimum, ut venæ etiam, atque ob motum, perspicitur; à quo si exhauriatur sanguis, relinquit tamen duo illa puncta rubra. Interea jecoris nondum ulla 16
species constat: Sed hac die septima liquor, seu mucor quidam luteus e cordi subjectus, attentè inspectantibus, deprehenditur, qui vix tactus, dissoluitur; quod jecoris initium concrescentis est, ut & sedes eius ostendit, & sequentibus diebus firmius in iecoris corpus consistere cernitur, &c.

Ex hac observatione, quicquid sit, quod membranæ non fiant ante fœtum, contra ea, quæ supra *disput. 1. sect. 5. num. 3. 4. 5. 6. & 7.* dixi, adnotandum esse puto in rem nostram, quod spiritus animales, seu vitales, quos P.G.H. ut Animam neget adesse, dicit, causare pulsationem in oviparis, & ventriparis, non 17
possunt esse à matre impressi, cum isti in hoc puncto Gallinaceo, toto ovi putamine, & loco etiam interjecto, sint à matre sejuncti: ergo neque in ventriparis, licet per venas, & arterias matris circa uteri cavitatem, radicatas, & erumpentes, venis, & arteriis fœtus sint conjuncti, Ergo totus ille, qui in corculo motus pulsationis apparet, est ab Anima existente.

Præterea singulare est, quod si ab illo corculo exhauriatur sanguis, venæ colorem adeo deperdunt, ut non appareant; licet antea essent ruberrimæ, solùm cor consistit, & movetur, & duo illa puncta, seu cordis ventriculi, neque sanguinem, neque colorem amittunt: ergo si in corde sicuti in venis essent, soli spiritus causantes pulsationem, deberent tam in venis, quàm in corde eodem modo languere, & desinere: ergo signum est, in illo corculo, principium illius pulsationis firmius existere, nempe animam.

Præterea addit Guarinonius, *fol. 61.* illud *indicio certissimum esse, quod vivat cor; quoniam avulsum à corpore, & ab omnibus venis* 18
abscissum, adhuc vivit, & pulsat; quod in adultis jam animalibus videmus, si viventia aperiantur, & cor eximatur, Et tamen diutius

vivit, quo teneriora recentiusque nata animalia fuerint, ut expertus sum; in pullis propriè avulsum cor, venis spoliatum, tota hora se se movet, inæqualibus pulsibus, modo rarioribus, modo crebrioribus, &c. Cum
19 *verò cor jam moriturum est, per quartam hora partem, solo altero laterum movetur, & ad finem vitæ solus ventriculus, non etiam cuspis contrahitur, dilatataturque. Nona die, qua jam corpusculum*
20 *pulli obfirmatum consistit, vel propter sectionem duriorem, graviorem que vel quamvis aliam causam, sæpè vidi, quod cor avulsum non retinet vitam: quin interdum, aperto thorace, motum amittat; quod certè eò minus diu vivat, quo grandius, & perfectius factum animal est, habeo exploratissimum: Et ratio ea esse potest, quoniam vitæ, & animantis vis primum in sui initio tota comprehenditur; in puncto enim temporis animantis generatio est, postea verò partibus reliquis expressis, ipsa in eas distributa, ut jam illis egens, & sanguine, jam se se in solo corde sustinere non potest, &c.*

21 Ex his quæ Guarinonius tam accurato studio, & tanta diligentia observavit, duo facile inferuntur in hoc argumento non contemnenda. Primum est quia hujusmodi corculum, seu punctum saliens à tenero illo, & vix formato corpusculo avulsum, eadem omnino signa vitæ exhibeat, & præseferat ac aliud quod ab animalis adulti, corpore extrahitur, sed hoc, certissimum est, antequam extrahatur vivere, ergo & illud. Secundum quod infertur est, quia ex testimonio præstantissimi hujus Medici exploratissimum est, esse proprietatem viventis, & animati cordis quo animal est recentius, & quo pauciores vitæ dies habet, eò longius in vita conservari: quo vero est adultius, & plures vitæ dies habet, eo brevius vitam protrahere: & ratio est, inquit, Guarinonius ibi fol. mihi 61. *quoniam vitæ, & animantis vis primum in sui initio tota comprehenditur; in puncto enim temporis animantis generatio est: postea vero partibus reliquis expressis ipsa in eas distributa, ut jam illis egens, & sanguine ipso jam se se in uno corde sustinere non potest. &c.* aliam rationem, & quæ mihi magis arridet, mox ex doctrina Galeni subiicio.

22 Ergo corculum illud vivit, Anima in eo existente. Et à simili puncto saliente vitam humani fœtus inchoari supponit Author, quatenus

quatenus ad explicandam hominis vitam, pulli vitam observat, & præter Aristotelem *supra num.* 5. recens, & eximius anatomicus *Ioan. Riolanus in lib. Enchirid. anat. lib. 2. cap. 37.* idem sentit,

Neque obstat, quod in fine argumenti pro confirmatione additur ad negandam Animæ præsentiam, quod nimirum sicut vita non potest conservari in animali, si vel auferatur omnino vel diu impediatur illi respiratio; sic non potest infundi, nisi organis jam penitus absolutis.

Respondetur enim ex Galeno *lib. de puls. vsu cap. 2.* in Animali jam nato impedita diu vel sublata respiratione, vitam per suffocationem desinere, *vt in cucurbitulis, quibus Medici vtuntur, flamma illico extinguitur.* Quia ex multo sanguine jam genito in animali, & ex augmentatione caloris in ipso, respiratio necessaria est *ad innati caloris conservationem*, inquit idem Galenus *lib. de vtilit. respirat. c. 5.* At vero, vt iam vidimus, antequam in animali detur necessitas respirandi, datur vita, & & vitalis pulsatio in corde, & arteriis, atque ita omnes recentiores Medici, & Anatomici vno ore fatentur.

Minus obstat, quod superiore anno 1672. dum Romæ essem obiiciebat mihi Eminentissimus & Doctissimus Cardinalis dicens, non recte me inferre animæ rationalis præsentiam in fœtibus paucorum dierum, ex huiusmodi motibus in pulsificatione deprehensis: nam quotidie videmus in Macellariorum officinis, occisis jam, & mortuis animalibus, partes eorum, & membra dissecta, in fibris & partibus nervosis conservare aliquos motus & tamen si animalia mortua sunt, certum est corruptam animam non adesse. Nec vitatur argumentum, dicebat Eminentissimus ille, si dicas animas brutorum cum sint divisibiles, remanere ad aliquod tempus, partialiter in illis membris. Nam urgebat dicens, quod nuper ex Belgio, litteris acceptis ex quoruudam latronum cadaveribus, quorum membra Prætor mandaverat in partes dissecari, & in apertum aërem ad ultionem justitiæ appendi, & exponi, in oculis omnium, eosdem motus post notabile tempus continuari, fuit observatum.

Nam quicquid ſit de hac latronum hiſtoria, in qua quod narratur, non ſine miraculo fortaſſe contigit, Reſpondebam, meam Propoſitionem, non habere pro fundamento hujuſmodi motus, ſed varias medicorum obſervationes tam veteres quam novas, circa corporis humani formationem primis diebus inchoatam: ſed nunc iterum reſpondeo hujuſmodi motus in partibus diſſectis tam brutorum quam hominum bene poſſe cauſari in abſentia animæ ad aliquod tempus: nam ſpiritus vitales qui ex Galeno *lib.7.c.3 de Hippocr. & Platon. decret. in arteriis continetur & ex D.Galeno lib.3 de nat.facul.* ſunt id quod fuerunt, remanent etiam abſente anima: at ideo non valet argumentum ab hujuſmodi motibus ad primos illos motus in puncto ſaliente vel in corpuſculo illo recenter animato in quo cum non præfuerit anima non poſſunt niſi ab anima tunc primo præexiſtente cauſari.

SECTIO XVI.

Occurritur argumento ex vermiculis in lacte repertis deducto.

SVMMARIVM.

1 *Fœtus humanus primis diebus effuſus, ob ſui maximam teneritudinem, vel breviſſimo tempore ſupervivere non poteſt.*
2 *Probatur exemplo vermiculorum in lacte recenter emuncto.*
3 *Horum vermiculorum experientia revocatur in dubium.*
4 *Sanguis febrientium ſcatet vermibus.*
5 *Etiamſi vermiculi darentur in lacte, inter illorum vitam, & vitam tenerrimi fœtus, eſt diſparitas, tum experientiæ tum rationis.*

OPponit idem P. G. H. quia etiamſi evinceretur, fœtum humanum primo ſtatim conceptionis die animari vita rationali

rationali, cum hæc consistat in corpusculo parvo, instar grani hordeacei, vel, ut alij dicunt, apiculæ: negat post effusionem ex utero, vel momento posse permanere: quia, inquit; statim tantilli fœtus organa, causa aëris ambientis extranei contrahuntur, læduntur, illudque corculum præfocatur, & moritur: Hoc autem probat à similj experientia à se facta per Microscopium de lacte 1
recens emuncto. Constat enim beneficio hujus instrumenti, lac aliud non esse, quàm conglomeratam congeriem vermiculorum, qui tamen, statim ac aërem attingunt, immobiles fiunt, & moriuntur. Ita, & fœtus humanus, si primis diebus esset animatus, & per abortum effunderetur, statim esset mortuus: ergo sub 2
conditione non est baptizandus, cum nullum suppetat vitæ tempus.

Respondeo; quidquid sit de experientia vermiculorum in lacte, quos ego, licet diligentissimè observaverim, nunquam tamen deprehendere potui; & Microscopium adhibui, quod in aceto vermiculos auget, ad magnitudinem formicarum majo- 3
rum, secundum longitudinem: fortè, quia non in omni lacte sunt vermes, sed solùm in eo, quod aliquo morbo fuit in uberibus, jam affectum: sicuti, non de omni sanguine, quod sit verminosus, sed solùm de sanguine febrientium scribit Pater Athanasius Kircherius *lib.* 10. *artis magnæ part.* 2. *cap.* 8. §. 5. *pragmat.* 2. Sed admittamus de omni lacte, & credamus expe- 4
rientiam experto.

At contra experientiam aliam experientiam adduco; de qua Harvæus à me relatus hac 3. *disp. sect.* 13. *num.* 7. & 8. punctum saliens, aliquando ita languet, ut videatur mortuum; sed impositio illi tepente hominis digito, & hujusmodi caloris fomento per breve spatium temporis adhibito, corculum quasi denuò reviviscens, resumit suam illam rithmicam pulsationem. Præterea Guarinon. citatus superiori *sect. num.* 19. testatur corculum hujusmodi ex ovo pulli *avulsum, & venis spoliatum, tota hora se se movere; cum verò jam moriturum est, per quartam horæ partem mo-* 5
veri, &c. & tandem monet diutius vivere, quo tenerius est. Ergo si vita illorum vermiculorum, ex quibus componitur lac, sit adeò brevis, ut statim ad aëris contactum extinguatur; cum non

idem contingat de hoc puncto ſaliente; à diverſis non valet illatio.

Tandem reſpondeo, me nunquam dixiſſe, fœtum baptizandum eſſe ſecundinis exutum, quando primis diebus mulier abortitur; Non quia ſi exiret vivus, non exiſtimem eſſe baptizandum, ſed quia primo illo tempore, non niſi ſecundinarum involucro munitum crederem poſſe vivum egredi ab utero, aut ſaltem majus eſſet, ſicut periculum, ita & dubium. Regulariter igitur fœtus primis diebus effuſus, ſi neceſſitas occurrat baptizandi, ſecundinis erit circumtectus, quare experientia vermiculorum non videtur urgere: Non enim fœtus humanus ſecundinis involutus ab ambiente aëre ſubito lædi poteſt, ſicuti illi vermiculi læduntur, & occidunt: quod ſi hujuſmodi fœtus veniret ad lucem tunicis exutus, & ſenſibiliter diſcerneretur, quod eſſet fœtus humanus, niſi evidenter conſtaret eſſe mortuum, exiſtimo, propter rationes probabiles vitæ, eſſe ſub conditione baptizandum.

SECTIO XVII.

An doctrina ſpeculativa probans Animam rationalem non eſſe in fœtu, ſatis ſit, vt quis non teneatur baptizare Abortivos.

SVMMARIVM.

1 *Dubitans ſpeculativè de conſecratione hujus hoſtiæ, vel de ſuo baptiſmo, tenetur illam hoſtiam adorare; nec poteſt ſe iterum exponere, ut baptizetur.*

2 *Animam rationalem non jam ſpeculativè, ſed practicè probatur eſſe in fœtu.*

3 *Et in hoc dubio baptizare debemus.*

Si

SI quis posset suspicari, quod celebrans non habuerit intentionem consecrandi hostiam, quam elevat in Missa; & quod baptizans non habuerit intentionem conficiendi Sacramentum, non propterea licet, non adorare illam hostiam, nec me iterum rebaptizare. Ergo licet speculativè probabilis sit illa sententia, quod statim à principio Anima rationalis sit in fœtu, non tamen satis est talis ratio ad me obligandum, ut hujusmodi fœtum baptizem.

Respondeo, quod dubitans de suo baptismo, vel de hac hostia, an sit consecrata, quia potest esse, quod Minister non habuerit intentionem; cum nullam habeat practicam rationem 1
dubitandi, dubitat solum speculativè; sed est certus moraliter; ergo tenetur non se rebaptizare, & adorare illam hostiam, ut benè *Suar. 3. tom. in 3. partem disput. 65. sect. 2.* Card. de Lugo *de incarnat. disp. 37. sect. 4* Si autem habeat aliquam rationem practicam dubitandi, tunc non dubitat ex sola rei possibilitate, seu speculativè, sed ex facto aliquo: Et tunc adorare debet sub conditione, & rebaptizari sub conditione. At verò nos non procedimus ex sola possibilitate Animæ inexistentis, sed ex testimoniis, & observationibus Peritorum, ex quibus habemus rationes 2
in facto ad dubitandum positive, seu probabiliter opinandum Animam inexistere.

Secundo respondeo, esse valdè disparem rationem: Nam fœtus abortivus, si est animatus, est in periculo mortis inevitabilis, & ideò damnationis æternæ; non sic ille, qui de suo baptismo, & de hostia dubitat. Quare juxta doctrinam Illustrissimi D. Fagnani *ad cap. Ne innitaris de constit. num.* 171. certè in hac materia verissimam, quod in casu dubio, in quo vertitur salutis periculum, non tantùm ex consilio, sed ex præcepto tenemur sequi partem tutiorem; & in puncto de administrando baptismate, est apertus textus *in c. Parvulos. de consecr. dist.* 4. in quo Greg. XIII. resoluit ut ait, *secundum Patrum traditionem*, Pueros à Parentibus subtractos, & quos ignoramus esse baptizatos, baptizari debere; *Ita enim*, inquit, *ratio poscit.* Quæ verba Glossa declarans *in talibus*, ait, *certius est tenendum.* Cum igitur in Pueris abortivis

abortivis sit majus periculum, imò certitudo, quod statim sint morituri, magis convincit dubium esse baptizandos.

SECTIO Vltima.

Principalis objectio ex Divina providentia erga universalem Ecclesiam iterum discutitur

SVMMARIVM.

1 *Pertinere videtur ad Dei providentiam indicare vitam illorum infantium, qui baptizandi sunt.*
2 *Obiicitur idem argumentum de infantibus septem, triginta, aut quadraginta dierum.*
3 *Deus ante prævisũ Adæ peccatũ vult omnes homines salvos fieri.*
4 *Hæc voluntas est generalis, & antecedens omnium operum prævisionem.*
5 *Non est simplex complacentia de objecto, ex se bono.*
6 *Sed intentio ex parte Dei omnes homines salvandi.*
7 *Intentio agentis circa finem, est aliquo modo intentio mediorum.*
8 *Hac intentione voluit Deus salutem Abortivorum, & media conducentia ad illam.*
9 *Sed quantum erat ex parte Dei.*
10 *Et sic illa sola quæ se tenent ex parte Dei.*
11 *Ideò non tenetur ex hac voluntate impedire cursum naturalem secundarum causarum.*
12 *Neque ad revelandum distinctè, quando fœtus humanus incipiat vivere.*
13 *Per istam voluntatem Christus est omnium Abortivorum Salvator.*
14 *Per eandem voluntatem non potuit Deus velle revelare tempus existentiæ Animæ in Abortivis.*
15 *Quomodo ista voluntas antecedens sit absoluta, & efficax; & quomodo possit dici conditionata, & inefficax.*

Tandem

TAndem præmissis supradictis argumentis in hac disputatione *sect.* 1. 7. 15. 16. allatis; P. G. H. contra meam Protheſim, de Baptiſmo Abortivis ſub conditione Miniſtrando, recollectis viribus argumentum ſic proponit.

Si rationaliter viveret, adeoque antehac ſemper vixiſſet humanus quivis fœtus editus in lucem, etiam primis diebus à conceptione: pertinuiſſet ad providentiam Dei Servatoris Noſtri, qui vult, omnes homines. maximè parvulos ad ſe venire, ſaltem per Baptiſma, cum aliter non poſſint, hanc animati, novelli fœtus veritatem indicare Eccleſiæ ſuæ, quacumque vel naturali Phyſicorum, vel Theologorum, vel ſupernaturali revelationis via: ne tot milliones parvulorum ſexdecim, & amplius ſeculis deſtituerentur debito, & parato Baptiſmate, præcipuè parvulorum, qui nullo alio remedio, neque contritionis, neque martyrij, quo poſſunt adulti, ſervari poterant.

Sed vivere rationaliter recenter conceptos, & effuſos fœtus nulla adhuc ratione indicavit Eccleſiæ ſuæ, ergo non vivunt.

Reſpondeo huius argumenti ſolutionem docebit me, vt ſpero, humaniſſimus ipſe P. G. H. Nam cum ab animatione primorum dierum, ſit valde alienus, fortè non repugnabit animationi poſt ſeptimum diem, teſtante Hippocrate illis verbis à me *diſput. 2. num.* 12. relatis: *Porrò vita hominis ſeptem dierum eſt.*

Idem igitur argumentum retorqueo ex abortivis, qui in vtero materno exactis ſeptem, vel etiam quindecim, infra menſem, ſeu etiam quadraginta diebus moriuntur; de his nimirum, qui iam animam rationalem ſunt adepti. Ideo ſic argumentor, & iiſdem pene verbis vtor. Si prædicti infantes, ſeptem, triginta, vel quadraginta dierum anima rationali viverent, & antehac ſemper vixiſſent; pertinuiſſet ad providentiam Dei Servatoris Noſtri, qui vult, omnes homines ſalvos fieri, & maximè parvulos ad ſe venire, ſaltem per Baptiſma, eum aliter non poſſint Ec-

clesiæ suæ indicare quacumque ; vel naturali Physicorum, vel Theologorum , vel supernaturali revelationis via ; ne tot parvulorum millionc̃s sexdecim , & amplius sæculis, imò à creatione Mundi destituerentur debito , necessario medio ad salutem. Hi enim infantes nullo remedio , neque contritionis , neque martyrij , quo possunt adulti, servari possunt.

Sed vivere anima rationali huiusmodi infantes nulla adhuc ratione clare , & distincte Deus indicavit Ecclesiæ.

Ergo non vivunt, Ergo non sunt baptizandi.

Maior propositio tota est ipsius Authoris. Minorem dicit esse certam. Consequentia verò est falsa ; nam est contradictoria illius , quam P. G. H. puto non negabit , scilicet abortivos formatos,quales sunt triginta,vel quadraginta dierum quia dant signa vitæ , sunt baptizandi. Ergo aliquod vitium latet in maiori.

Hoc autem vt detegamus , in primis considerandum est, voluntatem , quam Deus habuit de abortiuorum vivorum salute , esse illam eandem , quam Deus habuit ab æterno, erga vniuersam naturam humanam , & etiam Angelicam : vtramque enim creaturam voluit creare,& de facto creauit propter finem supernaturalem , siue Adam conseruaret , siue non conseruaret Iustitiam originalem , vt ex-
3 plicat Suarez. *tom.pr.in pr.part.de Prædestin.lib.4.cap.1 nu. 9.* Hæc autem non est , nisi voluntas quædam generalis, & antecedens omnium operum præuisionem,vt cum Chrisostomo Damasceno,& Angelico Doctore explicat Vasquez, *tom.1.in part.1. disput.83. cap 3. & 4.* quam Deus habet , vt omnes, quantum est ex parte sua , salutem c̃onsequantur.

4 Et ita S.Patres , tam Græci , quam Latini cum S. Thoma apud Suarez. *d. cap. 1. num. 5. & Cornel. à Lapide.* interpretantur D.Paulum 1 *ad Tim c.2.4.* dicentem,& admonentem, quod oremus Deum,& Christum pro omnium salute , quia *Deus*,inquit,*vult omnes homines salvos fieri.*

Considero secundo loco, hanc voluntatem , quam Deus habet de salute omnium , non esse solam simplicem quan-

dam

dam complacentiam de hominum, salute Deo proposita, 5
tanquam de obiecto in se bono, & apto terminare simplicem complacentiam: Nam si huiusmodi voluntas, iuxta quàm à D. Paulo, à SS. Patribus, & à Theologis communiter dicitur, quod orandus est Deus, quod omnes homines salvos faciat, tanquam eorum redemptor & Saluator, esset huiusmodi simplex complacentia, posset orari Deus & Christus, vt salvaret omnes Dæmones, & homines iam damnatos; quia scilicet posset proponi, & occurrere Divinæ voluntati illorum salus, & glorificatio possibilis; esset enim tale obiectum de se bonum, & aptum terminare actum simplicis complacentiæ: Similiter inquit Suarez ibid. *n.* 7. posset Deus per actum simplicis complacentiæ velle vnionem hypostaticam omnium naturarum hominum, & Angelorum, quia hoc obiectum est de se terminativum complacentiæ; cum sit melius, quàm universa salus omnium parvulorum imò in se optimum, & perfectissimum. Sed nemo dixit, aut dicet propter huiusmodi aptitudinem obiectivam, Deum velle salutem Dæmonum, & damnatorum, vel vnionem hypostaticam omnium hominum, & Angelorum, ergo huiusmodi voluntas non est simplex complacentia, seu actus respiciens bonitatem obiecti in se: sed præterea est intentio, & voluntas quantum est ex parte Dei de omnium, & parvulorum præsertim infantium, salute comparanda. 6

Tertio Considero, quod agens nobilissimum, quale sine dubio est Deus, cum prudenter operetur, vult simul finem & media necessaria ad illum consequendum, præsertim cum omnia simul, propter nobilissimum modum tendendi in obiectum cognoscat; quare eo saltem modo, quo talem finem intendit, vult etiam media: Nam vt benè *S. Thomas*, 1. 2. *q.* 12. *art. in* 4. *ad* 4. motus voluntatis, qui fertur in finem, secundum quod per media est comparabilis, est vera finis & mediorum intentio; Alioquin si media non vellet aut formaliter, aut virtualiter; vellet, & non vellet simul. Ergo si Deus voluntate illa, quam habuit, & 7

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

8 qua creavit omnes homines ad finem ſupernaturalem, voluit omnium parvulorum ſalutem, voluit etiam illis providere media ſufficientia ad talem finem ita intentum, & eo modo, quo fuit intentus; quia verò talis intentio, ſeu voluntas conſideratur in Deo antecedenter ad humanam
9 cooperationem, & curſum ſecundarum cauſarum; quia, ut dixi, ſolùm eſt voluntas, vt homines ſint creati ad finem ſupernaturalem, quantum eſt ex parte Dei, conſequenquendum: Jam intelligitur quidem Deus per huiuſmodi voluntatem determinatus ad danda infantibus auxilia ſufficientia, ad finem ſalutis; ſed nonniſi illa, quæ à ſe ſolo dependent. Cum enim iſta voluntas finis ſit limitata, ſcilicet quantum eſt ex parte Dei erga finem, limitata etiam debet intelligi circa media, & ad illa ſolùm danda, ex vi talis in-
10 tentionis, quæ ex parte ſolius Dei ſunt neceſſaria. Ergo non tenetur ex vi talis voluntatis ad mutandum ordinem aliarum cauſarum, V. G. ad fovendum aliquo modo, extra ordinarium naturæ curſum, Matris uterum ut partus legiti-
11 mo tempore naſcatur, & Baptiſmum recipiat; vel ad revelationem clarè, & diſtinctè, per ſcientiam phyſicam naturalem, vel per Theologiam, aut per Sacras litteras, quo tempore præcisè fœtus ſit animatus participandam, ut
12 poſſit illi applicari Baptiſma; Cum enim iſta cognitio involvat ea, quæ pendent à cauſis ſecundis, iam excederet illam generalem voluntatem & providentiam, & extenderet ſe ad ea, quæ ad ſpecialem Providentiam pertinent, egrederetur extra illam conditionem intellectam in generali intentione ſalvandi pueros, & infantes, quantum eſt in ſe, & vt proportionata voluntati limitatæ ad ea media, & auxilia danda, quæ à ſe ſolo pendent.

Jdeò benè intelligitur, quomodo ex vi talis voluntatis
13 Chriſtus pro iſtis Abortivis, ſi ſunt rationaliter animati, mortuus eſt; quomodo pro iſtis redemptionem ſuam Divino Patri obtulit; quomodo etiam pro illis Baptiſmum inſtituit: non quidem applicandum per Miniſtros, ſed quantum eſt de ſe aptum ad ſalutem, & in confuſo, quatenus me-

dium

dium de se sufficiens ad illam acquirendam : Et alia similia, quia nimirum in his impletur illa conditio, *quantum est ex parte Dei*. Et similiter intelligitur ratio, quare Divina Sapientia ita disposuerit, ut sacræ literæ de tempore, quo fœtus humanus primo vivit ita generaliter loquantur, ut dubia sit animæ existentia primis diebus in fœtu ; & non nisi adhibito studio, humana diligentia, & Anatomicorum observatione, & Physiosophorum doctrina possit probabiliter cognosci ; quia ista non possunt esse à Deo volita, illa generali voluntate, quæ prævisionem operum antecedit. 14

Intelligitur etiam ex hoc discursu, quomodo voluntas illa antecedens in Deo, erga omnium salutem, sit absoluta, & efficax & quomodo possit dici conditionata, & inefficax: Nam in ordine ad media, quæ pendent à solo Deo, est absoluta, & efficax, in ordine vero ad illa quæ pendent etiam à secundis causis, cum non operetur effectum salutis, nisi impleta hac conditione ; si secundæ causæ cooperentur ; est conditionata, & inefficax. 15

Ex dictis patet solutio ad argumentum à me retortum, contra P. G. H. Neganda est enim sequela maioris, quia ex voluntate antecedente, quam habet Deus de salute omnium hominum, inter quos Abortivi comprehenduntur, si vivant, infertur, & extenditur consequentia, ad illa media, quæ cooperationem involvunt secundarum causarum, ut est Divina illuminatio communicanda per scientiam physicam naturalem, per Theologiam, vel per Sacras literas, cum cognitione temporis, & aliorum accidentium, ex quibus iam esset provisum homunculis illis, non solum de mediis, quæ se tenent ex parte Dei, sed etiam de illis quæ se tenent ex parte hominum, qui illa applicarent, & cooperarentur ; Negata igitur majore, & concessa minore, quæ procedit de notitia, & revelatione distincta, iuxta ea, quæ supra *n.* 11. adnotav, inegatur consequentia.

Hac eadem responsione vtor ego, & respondeo ad argumentum ipsius Patris G. H. contra me factum, negando se-

qualem

quelam maioris, & conſequentiam Quare quia argumentum retortum oſtendit difficultatem illi, & mihi eſſe communem, iuvat idcirco mihi perſuadere, quod P. G. H. qui in prima parte ſui doctiſſimi ſcripti, ex iis, quæ iam pridem ſcripſeram in illo folio, cuius ſupra memini n. 1. omnia admiſit, & comprobat, contra ſecundam partem arguerit, non ex animo, & ex voluntate, ſeu ex intellectu contrario: ſed ut ad reſpondendum me excitaret, & ut veritas impugnatæ propoſitionis magis appareret: quare maximas habeo gratias & me totum illi ad obſequia ſubmitto.

Hæc ſunt quæ diſputationibus quatuor comprehenſa, circa abortivorum baptiſma tam ad probationem piæ protheſis, quam ad eiuſdem defenſionem in lucem dare neceſſarium duxi, non quidem vt aliquid certum ſtatuam neque vt definiri à S. ſede tanquam catholicam meam propoſitionem voluerim; ſed ſolum, ut eiuſdem probabilitatem cum pietate coniunctam oſtenderem; & ut ſapientiſſimis viris, nec non fidelium zelo, & religioni, plurimarum animarum ſalutem commendarem. Quare ſi vel vnicam abortivorum animulam in cæleſtem theſaurum tranſmittere datum fuerit, hæc pauca non omnino inutiliter ſcripſiſſe putabo.

Cæterum hæc omnia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ infallibili iudicio, & prudentiſſimæ cenſuræ non ſolum ex debito, ſed ex libera, ſpontanea, & pleniſſima voluntate imo ex tota animi propenſione; iterum ſemperque volo eſſe ſubiecta.


FINIS.

INDEX

INDEX RERVM.

In quo primus Numerus paginam, Secundus Numerum marginalem indicat.

A



BORTIVI fœtus quod moriantur pœna est originalis peccati. p. 3. marg. 6.

Abortus, ut sit punibilis, debet fœtus esse vitalis 41. 8. & plures alias circumstantias habere ibid. 10. 11. 12. 13. 14. & 15.

Abortus delictum non semper facit irregularem. 43. 19. & 20.

Abortus fœtus animati non semper punitur, tam iure Canonico, quam Civili 44. 26.

Abortivos parvulos non considerat Ecclesia, quia sunt in parvo numero, & ideo de illis non determinat. 94. 8.

Absolvi pœnitentem Sacramentaliter posse per epistolam, est error damnatus. 139. 7.

Accidentalis organizatio quid sit. 6. 7. constituit corpus organicum. 225. 6. non est Authoris inventio. 227. 4.

Acetabula, quid sint. 187. 5

Actio generetiva non est uniformis, & quare 232. 5.

Adæ prima creatio. 13. 7. 8. eiusdem lutea statua accidentaliter tantum organizata. 15. 9.

Alex. PP. VII. innovavit damnando plures propositiones

tiones quæ prius credebantur probabiles. 263 4

B. Amadæus Conceptionē Deiparæ ſpatio ſex horarum dicit miraculosè factam, 218.1.

Anatomici fatentur tempus animationis eſſe ignotum 76.3.4.5.

Anima rationalis eſt in homine vera forma informans. 22.8. & 224. 2. an ſit actus corporis organizati accidentaliter tantum. 225. 5. ſi præcedit tempore vegetativam & ſenſitivam, illud eſt breviſſimum. 240.3. non eſt in ſubiecto ſimul cum forma ſeminis. 150. 3. quid ſit ipſam fieri ex traduce 226. 1. efficit ſibi membra. 53.6. & 278. 21. in primo conceptionis momento eſt in corpore. 58. 1. eandem non eſſe in fœtu, non probatur argumento vermiculorum in lacte. 291.5. in teneriori materia magis reſiſtit contrariis, & diutius conſervatur. 272.12,

Animas tres eſſe in corpore diſtinctas, rejicitur 11. 2. neque duas 270.4. ſibi ipſis in embrione ſuccedere. 11.3.

Anima matris non eſt in fœtu 276.18.

Animæ viales inſententia S. Thomæ corrumpuntur quã citiſſime. 135. 1. & etiam in ſententia Ariſtotelis. 136.3.

Anima rationalis non educitur de potentia materiæ, ſed ex nihilo creatur. 21.5. in ipſo corpore. ibi. 6. & ante ipſum non exiſtit. ibi.

Animæ Sanctorum, ſi non indigent purgatione, ſtatim Deum vident. 138.4.

Anima B. Virginis creata die octava Decembris. 158.5.

Animalcula quædam breviſſimum intra tempus naſcuntur. 244.4.

Animationis tempus iuxta aliquas ſententias rejicitur ex Bulla Alexandrina. 196.5.

Animationis tempus & modus. 227. 4. per regulam trium non probatur. 229. 2. & 3. maſculi & fœminæ quoad tempus non differunt. 231. 4. tempus animationis non eſt à iure determinatum 118.3.

Animatum eſſe fœtum primis diebus ſentit Ariſtoteles. 276.18.

Aqua quam ſolum per revelationem ſcio eſſe naturalem eſſet materia ſufficiens baptiſmi. 265.1.

Ariſtoteles nunquam dixit maſculum ante diem 40. fœminam

fœminam ante diem 80. non esse animatos 201.1. explicatur. *lib.* 2. *de generat. anim. c.* 3. 22. 10. & 11.

Argumentum theologicũ. 140. 1. in eo sufficit quod una præmissarum sit evidens evidentia probabili. 153. 12. & ita probatur nova prothesis. 151. 5. & 141. 2.

Argumento validissimo probatur immaculata Deiparæ Virginis Conceptio. 156. 1. Author *Quæstion. veter. & nou. testam.* non est B. August. sed quidam Hæreticus. 35. 12.

S. Augustinus putabat animam fieri ex traduce, & rogabat D. Hieronymum, vt eius doceret originem. 72. 8. fatetur ignotum esse tempus, quo primum est in corpore. 70. 2. non est eius, liber *de spirit. & ani.* 74. 11. dubitat, an in fœtu informi sit anima. 93. 5.

B

Baptismus non est differẽdus ad mẽsem, ut aliq ui sentiunt, S. Thom. male interpretantes 11. 3. & 241. 5.

Baptismus potest conferri in aqua stillatitia, iure, cerusia, herbarum succo, & lixivio. 165. 3. 5. conferri potest etiam à non baptizatis. 256 3.

Baptismus conditionalis datur. 125. 2. collatus à quibusdam hæreticis iterandus. 138. 2.

Baptizandi sunt abortivi. 80. 1. ad hoc tenemur etiam cum periculo vitæ. ibid. 2. 3. & 4. etiam si existant in vtero matris. 253. 2. quando in membris apparet motus, absolutè sunt baptizandi. 5. 1.

Baptizandos esse parvulos recentes ab utero matris, est de fide 151. 5 & necessarium. 2. 1.

Baptizare abortivum, mox ab vtero eiectum, non est indecens. 144. 5. imo est obligatio charitas. ibid.

S. Basilius cum Balsamone asserit fœtum informem vivere. 69. 1.

Bersabeæ historia fuse declaratur. 279. 23.

C

Caietãni sentẽtia de baptismo filiorum in utero morientium expungitur. 86. 4.

Calor naturalis uteri citissime operatur. 277. 19.

non est elementaris, sed cæleſtis ibid. eius actio dicitur fortis. ibid.

Consuetudo non est in Ecclesia ad differendum baptisma usque ad quadragesimam vel octuagesimam diem. 117. 1. neque talis consuetudo est dossibilis. 122. 4.

Cardinali doctissimo contradicenti, satisfit. 291. 22.

Causam efficientem corpus nostrum, esse solum Deum. 52. 3.

Christus quomodo pro abortivis mortuus sit, & pro illis baptismum instituerit. 300. 13.

Communio sub utraque specie laicis interdicta. 138. 6.

Conceptio hominis quomodo fiat 8 14. ad instar pulificationis. ibid. medica quid sit, & quomodo incipiat 227. 4.

Conceptionem Deiparæ sex horarum spatio factam miraculose. 218. 1. rejicitur. ibid. 4. eius festum antiquius festo Nativitatis. 213. 2. immaculatam esse probatur argumento validissimo. 156. 1. naturalem esse, & supernaturalem. 166. 6. 7.

Concluſio est Thcologica, quod fœtus abortivi baptizentur sub conditione. 151. 4.

Concilia, SS. Pontifices statuunt parvulos periclitantes statim baptizari 87. 1. 2. & quare de abortivis nihil dixerint. 94. 8.

Conditionale Baptisma usitatur in Ecclesia. 125 2.

Confessio, & absolutio per epistolam inrerdicta. 139. 7.

Corpus Christi in instanti organizatum, animatum, & unitum Verbo. 26. 14. & 163. 2. non propterea debuit Christus nasci octavo mense 26. 14. & 15. eiusdem corporis parvitas. 28. 16.

Conditionalis propositio si fœtus vivat [continetur sub illa evangelij propositione baptizandæ sunt omnes gentes] 15 2. 7. 9.

Cõditionalis baptismi collatio ordinatur ab Ecclesia in Rituali. 150. 7. 8.

Consistentiæ humanæ æ. tas. 229. 2.

Consuetudo non baptizandi Abortivos nullas, 257. 4. abussus, & corruptela. 16. 7.

Corculum. V. punctum saliens.

Corporis humani causa efficiens

efficiens, V. causam.

Corpusculum abortivi fœtus dierum 80. est apud Authorem 229.2.

Corpus organicum salvatur ex sola accidentali organizatione. 225.5.

D. Crespius admittebat humanum fœtum non esse animatum ante diem 40.

D

DEus vult omnes homines salvos fieri voluntate antecedente. 93. 6. quæ non mutat cursum naturalem rerum. ibid. noluit a nimationis humanæ tempus definire. 92.4. & 300.13.

Diœcesis Lucanæ vsus alicubi baptizandi abortivos. 261.16.

Dubium, & opinio plusquam probabilis est, quod tempus animationis sit incertum. 78.7.

Dubio posito, pars tutior est eligenda. 236.6.7. matrimonium valet ibid. 8. filius Patris infidelis est baptizandus. ibid. 10. ægrotus ungendus oleo sancto. ibid. 11. an infans monstrosus sit homo, est baptizandus. ibid. 12.

Dubitans speculative an hostia sit consecrata, illam tenetur adorare. 295.1. & an sit baptizatus non tenetur rebaptizari.

E

ECclesia non fuit negligens in præscribendo Baptismo Abortivorum. 92. 2. in festis colendis exactissima. 206.13. innovavit in casibus necessitatis. 262. 1. non est sententia sed fingitur, quod non baptizet masculum ante diem quadragesimam, & fœminam ante octogesimam. 117. 1. innovat in casibus, vel magnæ vtilitatis, vel necessitatis. 137.1.

Embryonem vivere ante animam rationalem. 16.12. sed reiicitur. 283.28. & vivere anima matris. 11. 1. & pariter rejicitur. ibid.

Episcopus Crespius, aiebat fœtum fœminæ non animari ante diem 80. 156. 2. sed postea mutavit sententiam. 199.5.

Evidentia probabilis. 153. 12.

F

FEstum Conceptionis B. Uirginis semper celebratum die octava Decembris. 159. 7. transferre aliqui voluerunt in finem Februarij. 198.1. in tali festo Ecclesia colit instans immaculatæ Conceptionis 202.3.

Festum resurrectionis Domini tanquam mysterium; Nativitatis vero tanquam nudum factum celebrat Ecclesia. 203.6. nomina significantia hodiernam diem aliquando representative aliquando simpliciter accipiuntur. ibid. 8.9.10.

Fætus animati, & inanimati distinctio legalis est: non autem tempus. 117.2. in dubio præsumitur masculus. ibid.4.

Fætus septem dierum iuxta stylum S. Romanæ Ecclesiæ est baptizandus. 128.8.

Fætum humanum animari statim ac in utero receptum est semen putant aliqui. 58.1. & 61.4. alij tertia die 58. 2. & 53.5. alij spatio septem horarum 61.2. & 48.6. alij sexta die 51.2. alij decima. 47.4. alij decima septima. ibid. 2. alij vigesima quinta ibid. 1. solus Deus novit. 65.4.

Fætus humanus initio æqualis est grano hordeaceo, vel phaseolo minori. 5. 2. & quomodo intelligi debeat. 274. 15. est primo mense imperceptibilis. 32.4. quam parvus in principio. 9. 17. ante septimum vivit vitam dubiam 184. vivit prima die. 193.1. & de vita primorũ dierum est communis fidelium sensus. 216.9. in dubio non obstante regula, est baptizandus 234.1. quod vivat à principio anima tantum sensitiua & deinde rationali, ab ea distincta est error. 270.4. si ad ipsum dum existit in vtero matris posset pervenire actio ministri posset baptizari. 253.2.3.

G

GAllina sine gallo parit Gova sicut mulier sine viro contra Galenum. 131.4.5.

Generativa actio non est uniformis. 232 5.7.

Gigantes essent omnes homines, si valeret argumentum ex regula trium deductum. 229.2.

Gestatio Uerbi incarnati in utero B. Uirginis fuit naturalis, quoad tempus. 163. 2.

& ratione probatur.165.5.

Gratia sanctificans inhæret animæ 138.5.

S.Gregorius M.abortivum recens conceptum , etiam ipsa die prima mandat baptizari.113.3.

Guarinonij obseruationes circa punctum saliens conueniunt cum obseruationibus Harvæi.285 1.13.

H

HOmo est animal oviparum.7.11.

Hippocrates docet novem menses,& decem dies esse tẽpus naturale gestandi uterum. 170. 3. quando requirit menses decem , non potest intelligi de completis. 172.8. supponit ante diem septimam vivere fœtum vitam dubiam.184.

P. Honoratus Fabri una cum Authore , sed primus, Gulielmum Harvæum reprehendit.249.3.

I

INcarnatio Divini Uerbi quomodo fuerit supernaturalis. 163. 1. & quomodo naturalis.ibid.

Infirmus ad mortem , si antea Confessionem postulavit , absolute debet absolui. 164.3.

Innovandum nihil esse in Ecclesia.256.1.

Instinctus Divinus certus, non est extra Ecclesiam.221. 9.

Instans morale Conceptionis Deiparæ comprehendit duo instantia physica.156. 2. sed iam per Constitutionem Alexandrinam hoc reprobatur.159.6.

Intentio dupliciter conditionata in baptizandis abortivis.5.3.

S. Ioan. Baptistæ conceptio probat humanum fœtum primis diebus esse animatum. 59.6.

Joannes Gallego negat animam rationalem primis diebus esse in fœtu. 20.2. sed rejicitur. ibid. 3. asserit fœtum esse vivum ante trigesimam diem.35.12.

Irregularitatis pœna quando incurratur à causante abortum.34.10.

Jura civilia nunquam puniunt pœna mortis delictum abortus.41.7.

L

LAc recens emunctum, esse vermicillorum congeriem, quomodo possit verificari. 292. 1. 2. 3.

Liber de Eccles. dogmati. non est D. Augustini sed *Gennadij Episcopi Masilien.* 72. 7. neque alius *liber de Spirit. & anim.* 74. 11.

Lussardi Hæretici dicunt in unione animæ cum corpore infundi gratiam spiritus sancti. 2. 4.

M

MAgi Pharaonis veras ranas fecerunt. 244. 5.

B. Marie Uirginis Conceptio, tum naturalis, tum super naturalis fuit. 166. 6. 7. ex ea probatur humanum fœtum animari primis diebus. 58. 3. & 19. 3. 1.

Martianus erravit in calculo dierum quibus Christus fuit in utero B. Uirginis. 171. 7.

Matrimonium in dubio, valet. 236. 8.

Mensem decimum quando exigit Hippocrates, non potest intelligi de mense cõpleto. 172. 8. & seqq. nisi explicetur de mensibus Lunaribus.

Matris prægnantis & ad mortem damnatæ, licet accelerare mortem. 95. 10.

Medici docent statim animam rationalem esse in fœtu 71. 5.

Membra in humano corpore efficiuntur ab anima. 278. 21.

Membrana circa fœtum statim producitur, sicut crusta in pane, qui coquitur in clibano. 186. 4. 5. 6. 7.

Miraculo facta habent omnem naturalem perfectionem. 164. 4.

Mola quid sit. 9. 16. 129. 2. 3. est figuræ irregularis. 130. 3. 6. distinguitur ab. Ovo 133. 10.

Monstrum sub conditione est baptizandum. 127. & 139. 8

Mola non est figuræ ovalis. 132. 6. est coloris varii. ibid. 7. discernitur à fœtu, & quomodo ibid. 8. 10. & 11.

Mors filij Dei tanquam medium ad finem nostræ salutis fuit ordinatum. 144. 1.

Moribundus aliquando sine conditione; & aliquando cum conditione est absoluendus. 81. 5. 6.

Mors causatur à retentione nimia respirationis. 288. 12.

Motus nullus in animali fit à pulmone. 285. 1. 2. 3. 4. &c.

Mulieres aliquæ in Lucana diœceſi convenerunt baptizare abortivos.261.16.

Mulier, non ſecus ac Gallina, parit ova ſubventanea. 131.5.

Muſca ephemera ſpatio unius horæ naſcitur.245.9.

N

NAturalis fuit quoad tẽpus, geſtatio incarnati Uerbi in utero B. Virginis 163.2.

Nativitatis Marianæ feſtum non fuit in Eccleſia antiquius, feſto eiuſdem Conceptionis.213.2. quando cæperit.241.5.

Negativum dubium quodnam ſit 83.8. & quando cum tali dubio miniſtranda ſint ſacramenta.ibid.

Novitatem Eccleſia non ſemper & in omnibus abhorruit.258.8.

O

OBſtetrices regulariter non ſolent baptiſare ante trigeſimam diem.34.9.

Opinio probabilis quid ſit 78.7.illi adhærens quæ dicit primis diebus fœtum non eſſe animatum adhuc tenetu baptizare 83.8.& 24.6.quod vero etiam tũc anima ſit in fœtu tanquam tutior in praxi ſequenda 278.22.

Organizatio duplex. 6.7. non gratis excogitata.227.4. ad conſtituendum corpus organicum.225.6.

Ovum humanæ concep tionis quomodo formetur. 8.12.in quo differat à mola 132.8.10.11.ovum humanæ Conceptionis quale.129.1.

Ovorum incubatorũ experientia ad probandam exiſtentiam animæ in fœtu. 276.18.

Ovo columbino, ſi in magnitudine adæquetur fœtus primis diebus baptizandum eſſe aſſerunt Theologi Pragenſes, & explicantur.274. 15.

Ova genitiva per calorem extrinſecum pullos gignunt, & excludunt.276.18.

P

PArentum lacrymæ non ſatis ſunt, ut ſalventur filij moriẽtes in utero.86.4.

Parochus ex iuſtitia tenetur baptizare fœtum dubium, quod uivat. 235.5. docere debet modum baptizandi, & diſcernendi mo-

las

las à fœtibus. 133. 11.

Parvulos recentes ab utero matris esse baptizandos, est de fide. 151. 5. si sint in necessitate, etiam cum vitæ periculo illius qui ministrat baptismum. 80. 2. 3. eos salvari ex diligentia maiorum Deus voluit. 96. 11. 12. & 13. circumcidebantur olim etiã ante octavum diem. ibid. 13. 14. imo, & ante legem Circumcisionis aderat pro illis remedium contra peccatum. 98. 15. etiam pro fœminis. ibid.

Philosophus non debet esse aut Medicus minister necessarius baptismi. 6. 5.

Placenta quid sit. 8. 12.

Pius V. non minuit, sed auxit festum Conceptionis, dũ præcepit recitari idem officium, quod in festo Nativitatis. 207. 15.

SS. Pontifices in celebratione festorum mobilium cavent, ut nõ dicatur hodierna dies, nisi quæ vere talis est. 206. 13.

Plastica virtus operatur uniformiter difformiter. 232. 7.

Pragẽses Theologi negant baptismũ fœtui primus diebus edito. 269. 1. concedunt si ovi columbini magnitudinem attingat. ibid. 2. & tunc sub secundinis baptizari posse concedunt. 271. 6. sed refutantur. 272. 9. & 10.

Praxis non baptizandi abortivos, non est universalis. 261. 18.

Probabilis opinio quænam sit. 78. 7.

Procurantis abortum fœtus animati pœna. 39. 2.

Prohibitæ sunt aliquæ sententiæ quæ prius putabantur probabiles. 193. 2. 3.

Prophetæ, & sancti non semper Dei spiritu loquuti sunt. 218. 2.

Propositio est evidenter probabilis quod fœtus humanus primis diebus vivat. 154. 14.

Propositio, quæ est probabilis potest esse prohibita. 193. 2.

Propositio quod abortivi sunt baptizandi, neque est contra fidem, neque contra Ecclesiæ consuetudinem. 257 4. quæ est probabilis, nisi evidenter reprobetur semper est probabilis. 273. 13.

Propositio de Baptizandis abortivis, est probabilior, aliis probabilibus. 141. 2. & probatur argumẽto Theologico

gico.ibid.3.

Pulli formatio ex ovo, similis humanæ conceptioni. 8.14.pullus in ovo totus apparet secunda fere die 288. 13. gallinaceus die decima octava in æstate, die vero vigesima in hyeme excludi. 232.5.

Pulmo non movet,sed movetur 285.3.in fœtu est rubri coloris. 286. 8. in utero existentis non movetur.287. 11.

Pulsus,& respiratio in animali sunt operationes distinctæ.ibid.

Punctum saliens, seu corculum apparet in ovo initio quartæ diei. 8. 14. movetur motu systoles, & diastoles. ibid. aliquando apparet vivum secunda die incubationis.288.13.est animatum,& pusillum animal.272.8.in eo quiescunt aliquando operationes,impeditæ à contrariis;sed beneficio caloris extrinseci reviviscunt.ib.90.10 exiguum est adeo, ut fugiat aspectum. ibid. avulsum, & venis spoliatum vivit ad horam & amplius.ibid.11.asseritur ab Aristot. 285,3. 6. exhausto sanguine à venis,adhuc vivit. 289. 16. etiam à corpore pulli avulsum. ibid. 17.eo diutius vivit,quo animal recentius est.ibid. 18.ita avulsum vivit ad horam. ibi. 19. quo animal est adultius, minus vivit.290.20.huius rei ratio. ibid. & vivere ipsum constat ibid.22.in eo pulsatio non potest esse ab anima matris, sed ab eius propria. 289.16.

R

RAnas, quæ æstate videtur gigni ex pulvere perpluto, non in solo sed in aëre generari putant aliqui. 243.1.2. ex putri generantur in terra. ibid. 5. 6 aliquando etiam in aëre.246 10.

Rationes, quæ efficacius probant,animã primis diebus non esse in fœtu,expenduntur, & minus relinquunt rẽ dubiam.275.17.18,

Regula trium, non valet ad probandam fœtus humani primam animationem.229.2. & seqq.fundatur in habitudine inuariabili numeri ad numerum.232.6.

Regula possedendi explicatur.234.2.illam habere locum solum in materia iustitię dicunt aliqui; alij in omni materia.235.3.4.pendet à iure positiuo in ratione tamen fundata. 236. 6. cessat, quando agitur de animarum salute.ibid.7.

Regula discernendi fœtum à mola,132.8.10.11.

Remedia contra originale

peccatum olim non erant in præcepto sed pietati Parẽtum à Deo cõmittebantur. 68.15.

Resolutio vsque ad materiam primam in generatione hominis videtur superflua. 16. 12.

Respiratio distinguitur à pulsu. 287.11. potest retineri ad tempus 288.12. diu retenta necat per suffocationem ibid. vt patet exemplo cucurbitularum. 291.22.

Reuelationes B. Amadei in multis Bibliothecis extant manuscriptæ. 222.10.

Riolanus de omni fœtu est intelligendus, cum dixit grani hordeacei magnitudinem fœtum humanum, à principio non excedere 274.15.

S.

SAcra scriptura, quare de Abortiuorum salute distinctè non loquatur. 300.13.

Sacramenta solent in Ecclesiâ administrari, ex quacumque honesta causa, 126.4. etiam ex sententia probabili & minus tuta. 84.11.

Sãcti viri non semper Dei spiritum in se loquentem agnouerunt. 218.2.

Secundinæ, fœtum humanũ inuoluentes, probabile est, quod non impediant validitatem baptismi. 5.4.

Seminis forma non est in subiecto simul eum anima rationali. 150.3.

Sententia probabilis quænam sit. 78.7. aliquæ sententiæ olim probabiles, nunc prohibitæ. 193.2.3. & 263.4.

Septem dierum esse hominis vitã, explicatur, 174.12. & 178

Septimestris partus est, qui sex mensesexactos habet. 187

Signa tẽporis quo mulier cõceperit. 191.12.

Sputo suo quidam ranam gignebat. 245.9.

Stylus baptizandi. 124.1.

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quinam sit. 127.7.

Subiectum dubium posse Baptizari videtur satis inferri, ex eo quod possit in materiâ dubia baptizari. 266.5.

Substantialis organizatio, quæ sit. 7.9.

T

TEmpus, quo Christus fuit in vtero Matris, fuit 276. dierum. 164.3. quo verò eius sanctissima Mater fuit in vtero S. Annæ dierum 275. ad minus. 167.10.

Tempus, quo humanus fœtus animatur, esse incertum sacræ litteræ ostendunt 63.1 & seqq. & omnia tempora à die concubitus, vsque ad diem quadragesimam, vel trigesimam sunt incerta. 75.1.

Tempus gestationis vteri iuxta Hippocratem, est nouem mensium, & dierũ. 170.3.

non

non autem decem mensium completè. ibid. 4 & seqq. à conceptione medica est inchoandum. 190. 11. & 13. quod vero sit tempus conceptionis demonstrant signa quedam. 191. 13.

Tempus formationis fœtus 120, 1.

Tempus puniendi causantem abortum, & tempus baptizandi illum, debet esse diuersum. 117. 5.

Tempus quadraginta vel octoginta dierum, non est tempus animationis, sed perfecti motus, vel formationis. 201. 1. sed ex communi fidelium sensu, est vel prima vel secunda vel ad summum tertia dies. 215. 8. 9. animationis maris, & fœminæ tempora non differunt. 231. 4.

Theologica est conclusio, quod fœtus abortiui baptizẽtur sub conditione. 151. 4.

S. Thomas male intellectus à quibusdam 12. 4. 5. & 6. non determinat tempus animationis. 83. 8. sentit esse breuissimum. 239. 2. & animas viales statim corrumpi. 136. 2.

Traduci animam, siue fieri ex traduce quid sit. 226. 5. error damnatus. 72. 8, tempore S. Augustini non erat error damnatus, & ideo ipse dubitabat de veritate. ibid.

Tutior pars est sequenda, quando adest animæ periculum. 295. 2.

VEnæ vteri, fœtum matri coniungunt. 286. 6.

Vermiculi quidam citissimè generantur. 243. 4. non sunt in lacte, nisi forte ab animali febricitante emuncto. 293. 3. ut sunt in sanguine. ibid.

Uita in actu secundo magis propriè vita 22. 11. hominis in utero matris septem dierum explicatur 174. 12. & 178. abstinentis ab omni alimento non durat regulariter ultra septem dies. 180.

Uoluntas Dei de salute omnium est antecedẽs iuxta communem SS. Patrum. 298. 4. non est sola simplex complacentia de obiecto possibili. 299. sed intentio, de salute omnium futura, ibid. 6. & de mediis ut se tenent ex parte Dei. ibid. 9. finis & mediorum in Deo est eadẽ ibid. 7. non est compossibilis cum revelatione de tempore quo fœtus animatur. 300. 11. quomodo sit efficax & absoluta. ibi. 15.

Uoluntates duæ in Christo. 138. 3.

FINIS.

HVMANISSIME LECTOR, QVE TYPOgraphum latuerunt, condona; quæ ille deprehendit notiora, tu ipse.

Errata in censuris ita corrige.

* Pag. 4. lin. 4. tota hac, *lege* tota prima. ** p. 6. l 28. caullaudarunt, *l.* cõlaudarunt. *** p. 5. l. 33. analongiam, *l.* analogiam. *** p. 6. l. 17. Philomarum, *l.* Philomatum. **** p. 2. l. 16. Presbitere, *l.* Padre. †† p. 3. l. 34. quantitate obſervetur, *l.* quantitate non obſervetur. †† p. 4. l 2 perectamque, *l.* perfectamque. ††† p. 2. l. vlt. martialis, *l.* martiali.

Errata in diſputationibus ita corrige.

Pag. 12. lin. 17. Immegãtur, *l.* immergãtur. p. 23. l. 32. c. vers. 2. vers ſed. licet, *l.* c. 2. vers. ſed licet. p. 23. l. 11. P. Bambianus, *l.* P. Barbianus. p. 24. l. 20. impotentia operationem, *l.* impotentia ad operationem. p. 30. l. 29. eſſe humanum, *l.* eſſe vt humanum. p. 32. l. 26. lèvius lènius, *l.* Levinius Lemnius. p. 36. l. 33. licet adhuc, *l.* licet non ſit adhuc. p 40. l. 12. habeatur tali, *l.* habeatur pro tali. p. 41. l. 21. verſellis, *l.* vercellis p 42. l. 21. fætus ſignificat, *l.* fætus vivificatus ſignificat. p. 52. l. 9. perferetam, *l.* perfectam. p. 54. l. 1. vitim. *l.* vltim. p. 54. l. 13. nũcia, l. nnnciavit. p. 55. l. 32. conformentur, *l.* conformãtur. p. 57. l. vlt. farſinac. *l.* farinac. p. 59. l. 25. videre, *l.* vt videre. p. 60. l 6. non ex, *l.* nõ eſt ex. p. 64. l. 5. iumetorũ, *l* iumentorum. p 68. l. 14. Eilios, *l.* filios. p. 70. l. 3. Auguſtini, *l.* Auguſtinus. p. 79. l. 33. iure, ſed ex facto, *l.* ex iure, ſed ex facto. p. 93. l. 22. diſp. 3 ſect. 19. *l.* diſp. 4. ſect. 18. p. 95. l. 33. ſub cõditionet, *l.* ſub cõditione p. 95. l. 34. ſun, *l.* ſunt. p. 100. l. 2. patuo, *l.* parvo p. 108. l. 13. vide d. 4. l. 7. dele. p. 110. l. 1. tit. *l.* tom. p. 113. l. 13. 23. *l.* 13. p. 117. l. 21. quadraſimum, *l.* quadrageſimum. p. 119 l. vlt. Thonologis, *l.* Theologis. p. 145 l. 2. peſtringam, *l.* perſtringam. p. 150. l. 28. prænotavit, *l.* prænotavi. p. 158. l. 26. illam, *l.* illud. p. 162. l. 13. incarnali, *l.* incarnati. p. 163. l. 11. art. 40. *l.* art. 4. p. 165. l. 21. pœnalites, *l.* pœnalitates. p. 66 l 26. inter, *l.* iter. p. 167. l. 10. oppera, *l.* opera. p. 170. l. 4 hor 1. 11. m. 10. *l.* hor. 5. 11. 10. p. 176. in margine 61. *l.* 16. p. 177. l. 13. in 6. num. *l.* in 6. Numeror. p. 178. l. 31. quod, *l.* quid. p. 187. l. 28. tunc, *l.* ſi tunc p. 198. accipiebat, *l.* incipiebat. p. 201. l. 17. martialis, *l.* mercurialis. p. 230. l. 30. excitata, *l.* exſiccata. p. 242 l. vlt. gerentur, *l* generentur p. 254. l. 13 ſpiculli *l.* ſpecilli. p. 259. l 1. emendant, *l.* emendantur. p. 259. l. 2. ſufficeret, dele. pag. 271. l. 29. membrani, *l.* membranis. pag. 273. lin. 16 innitur, *l.* in. niutur.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA